







ACHERII
SPICILEGIUM
11
PARISIIS
1672









VETERUM ALIQUOT SCRIPTORUM

Qui in Galliæ Bibliothecis, maximè Benedictinorum latuerant,

SPICILEGIUM.

Tomus Undecimus continet

1. Collectionem antiquam Canonum Pœnitentialium tribus libris distinctam.
2. STATUTA Synodalia NICOLAI Gelant, & GUILLELMI Majoris Episcoporum Andegavensium.
3. Sermonem vetusti Auctoris de Natali Domini contra Nestorium.
4. Miscellanea Epistolarum ac Diplomatum.
5. Chronicon Guillelmi de Nangis, Continuationem ejusdem primam, & Continuationem alteram, Monachis S. Dionysij in Francia Auctoribus.

Prodeunt nunc primùm in lucem

Operâ & studio Domni LUCÆ ACHERII *è Congregatione S. Mauri Monachi Benedictini.*





PARISIIS,
Apud VIDUAM CAROLI SAVREUX ad Turrim Metropolis Ecclesiæ sub insigni trium Virtutum.

CIↃ. DC. LXXII.

Cum Privilegio Regis, & Superiorum permissu.

13



LECTORI.

PERACTO Spicilegij Tomo x. nunc Tomum xi. exhibemus, ut ad perfectum tandem numerum duodenarium accedamus, in quo metam imponere Spicilegiis noſtris conſtituimus; ultra nihilominùs progredientur, ſi Deus faverit, è noſtris Sodalibus aliqui & ætate juniores, & valetudine firmiores, & eruditione inſtructiores, quales nunc nobis Chriſto donante non deſunt.

Primum in Tomo undecimo locum occupat COLLECTIO CANONUM PŒNITENTIALIUM, in tres libros diſtincta ab Auctore anonymo, qui ante ſæculum nonum vixit. Quid utilitatis Reip. Chriſtianæ proveniat ex ejuſmodi antiquis monumentis nemo neſcit, quibus non ſolùm genuini Conciliorum Canones probantur emendantúrve, verùm etiam priſca diſciplina Eccleſiaſtica quaſi ob oculos ponitur. Hanc verò Collectionem duo potiſſimè commen-

dant, antiquitas, & ſinceritas; de quibus adnotabo nonnulla, cùm de Collectionis inſcriptione dixero. Inſcribitur, ut jam præmiſſum eſt, COLLECTIO CANONUM PŒNITENTIALIUM, rectiùs appellanda ſimpliciter COLLECTIO CANONUM, niſi Auctor PŒNITENTIALIUM nomen appoſuiſſet. Certè ex Præfatione apparet, ipſius mentem fuiſſe, ut modum pœnitentiæ ſacris Canonibus præſcriptum traderet, & liber primus ferè peccatorum pœnas definit: at reliqui duo potiùs ſpectant diſciplinam judiciorum Eccleſiaſticorum. Siquidem ſecundus *maximè de accuſatis & accuſatoribus, de judiciis ac teſtibus*, ut loquitur Auctor; tertius *de ſacris Ordinibus, ſeu de iis qui promovendi ſunt ad Clerum aut ab eo removendi; ac de regulis ac privilegiis omnium Clericorum & Præſulum* tractat.

Antiquitatem hujuſce Collectionis probant tum veteres codices, in quibus continetur, tum Halitgarius in libro ſuo Pœnitentiali. Duobus codicibus Mſſ. uſus ſum, uno Bibliothecæ Thuaneæ, altero muſæi V. C. Stephani Baluzij, Bibliothecæ Colbertinæ moderatoris eruditiſſimi, qui mihi Collectionem iſtam indicavit. Uterque codex ſuperat annos ſeptingentos, uti & Agobardinus, quem recens Lugduno huc advehi curavit Stephanus Baluzius, & ille quem vidit Johannes Morinus, qui de ipſamet Collectione quædam obſervat in

lib. 5. de Pœnitentia cap. 1. §. 13.

Hinc mihi persuadeo, Halitgarium dum Pœnitentialem suum conderet, ob oculos habuisse hancce Collectionem, ex cujus Præfatione suam mutuatur, sicut ipse fatetur his verbis: *Hanc autem epistolam nemo quidem existimet meam, ne illi pro parvitate nominis mei vilescat: sed sciat à Majoribus nostris ex Sanctorum sententiis esse collectam, à me quidem excerptam *, ne nimia prolixitate negligentibus Lectoribus fastidium generaret.* Et quidem Collectoris nostri Præfatio prolixior est quàm Halitgarij, ac sententiis maximè S. Augustini constat, nonnullis etiam Gregorij Magni.

* *id est*, in epitomen coactam.

Alterum quo istud Opus commendatur, est, quòd Auctor è puris fontibus suos derivat Canones, non verò è turbidis illis librorum supposititiorum lacunis. Ut autem Lectoris studium quantum in me fuit relevarem, curavi quo ex Concilio Auctoréve singuli Canones decerpti essent, ad marginem indigitare.

Porrò in fine Præfationis hujusce Collectionis notanda sunt Auctoris verba, queis *plenariam Synodum*, de qua nostro tempore tam multiplices exortæ sunt controversiæ, dicit eam *esse*, *ubi cum suis Diœcesaneis Metropolitanus fuerit Episcopus.* Quibus verbis explicatur canon. XVI. Antiochenus, in quo ita scriptum est: *Perfectum verò Concilium illud est, ubi interfuerit Metropolitanus Antistes.* Legesis No-

tas V.C. Stephani Baluzij in Agobardi librum de Diſpenſatione cap. 20.

Animadvertas etiam velim, Lector, ſummaria capitum indicata initio iſtius Collectionis, non omnino ad verbum reſpondere ſummariis in Operis ſerie ad ſingula capita præfixis. Id accidit, quòd in duobus Mſſ. ejuſmodi ſummaria ſæpiùs variant, cùm in uno prioris libri dumtaxat, in alio poſteriorum librorum capita indicentur.

Secundo loco occurrunt STATUTA SYNODALIA NICOLAI GELANT & GUILLELMI MAJORIS Epiſcoporum Andegavenſium, quorum priora condita ſunt anno MCCLXI. poſteriora anno MCCCXIV. In his Statutis elucet maxima utriuſque Epiſcopi vigilantia in emendandis corruptelis, quæ mores & diſciplinam Eccleſiaſticam ſua ætate labefactabant: nec memini in ullis umquam aliis ejuſmodi Synodis tot ſingularia legiſſe decreta, quot in iſtis præſcripta ſunt. Qua de re jam egregium ſpecimen exhibui pro GUILLELMO Majore, cujus geſta in decimo Spicilegij tomo edita nemo non probavit. Is verò ipſe eſt, qui Statuta iſthæc tam à deceſſore ſuo Nicolao quàm à ſeipſo publicata, collegit in unum, uti ipſemet commemorat in Præfatione Statutis præfixa, ut excuſationem Clericorum ſuorum, qui ea ſe ignorare prætendebant, removeret.

Illis in Statutis cùm multa ſunt obſervatione

digna, tum illud in primis venit in mentem, quòd Nicolaus in Synodo Pentecoſtes anno MCCLXIII. abrogat uſum hoſtiarum, quæ in die Paſchæ non communicantibus præbebantur loco panis benedicti. Deinde quòd in Synodo S. Lucæ anni MCCLXX. iis qui comitarentur Sacerdotem Euchariſtiam ad ægrotos deferentem, viginti dies de injunctis pœnitentiis relaxat. Tum quòd in eodem Feſto poſt duos annos præcipit, ut non poſt elevationem Sanctiſſimi Sacramenti, ſed paulò ante eam campana pauſatim pulſetur, ad excitandos abſentes in cultum Corporis Dominici. Et anno ſequenti in Feſto eodem vetat, ne Diaconi qui Confeſſiones (ut ſolebant) infirmorum excipiebant, eiſque miniſtrabant Euchariſtiam, ulteriùs id præſtare audeant citra neceſſitatem, ubi ſcilicet abfuerit Presbyter. Accedit, quòd anno MCCLXXIV. in Synodo Pentecoſtes monet & exhortatur Presbyteros ſuæ diœceſis, ut *poſt Dominicam ante Cineres uſque ad Paſcha carnibus non utantur.* Antiquum hunc morem penes Clericos fuiſſe probat Anonymus, qui vitam S. Udalrici Auguſtani Epiſcopi ſcripſit ſub finem ſæculi decimi, cùm in cap. 10. Dominicam Quinquageſimæ appellat *eam Dominicam, in qua mos eſt Clericorum ante Quadrageſimam carnes manducare, & deinceps uſque ad ſanctum Paſchæ tempus devitare.* Denique anno inſequente in Synodo S. Lucæ, præcipit in Baptiſmo tri-

nam immerſionem, aut certè trinam effuſionem obſervari, contra nonnullos qui *ſemel tantùm* baptizandos *immergebant in aquam, vel uno contextu aquam fundebant ſuper eos.* In Synodo itidem S. Lucæ anni MCCXCII. Barbitonſoribus ſub pœna excommunicationis interdicit, *ne diebus Dominicis barbas radant, vel aliàs barbitonſoris officium exerceant, etiam minuendo,* (nempe ſanguinem per venæ ſectionem) *niſi mortis vel gravis infirmitatis periculo imminente.* Eam denique pœnam molitoribus, qui diebus Dominicis operi ſuo vacarent, interminatur. Hæc in ſpecimen de illis Statutis ſufficiat adnotaſſe.

Poſtea ſubjungitur SERMO IN NATALI DOMINI, neſcio an à S. Fulgentio compoſitus adverſùs Neſtorium. Quippe Sermonem hunc ſæculo quinto dixiſſe ſe profitetur Auctor, quiſquis fuit, hiſce verbis hæreticum quempiam compellans in fine: *Chriſtus circa quingentos annos, nativitatis ſuæ cauſas præſtat, ortus ſui lites patitur, ſtatus ſui ſuſtinet quæſtiones. Hæretice deſine judicare judicem tuum &c.*

Subſequuntur MISCELLANEA Epiſtolarum ac Diplomatum, quæ maxima ex parte diligentiæ debemus viri de republica litteraria optimè meriti, ANTONII VIONIS HEROVALLII, qui aliorum ſtudia fovet ac promovet velut ſua. Hiſce in monumentis animadvertenda præcipuè eſt Conſtitutio LUDOVICI VI. Fran-

corum

corum Regis, Leges pacis ab ipſo in civitate Laudunenſi conſtitutas confirmantis: PHILIPPI Auguſti, qui ratas habet Conſuetudines Communiæ, civitati Sueſſionenſi à prædicto Ludovico conceſſas: PHILIPPI II. Uſus & Conſuetudines Tornacenſium ordinantis: PHILIPPI Flandriæ Comitis, Leges Arienſium; & ALPHONSI Comitis Pictavenſis, antiquas Arvernorum Conſuetudines confirmantium. Inſuper conſiderandæ ſunt Litteræ Pontificum Romanorum ad Francorum Reges & Principes de ſua ad Pontificatum promotione, quales etiam ad Univerſitates, præſertim Pariſienſem, videre eſt in lib. de Scholis celebrioribus V. C. Johan. Launoij, pag. 239. & ſeqq. Qua de re plures mihi ſuppeditavit V. C. ANTONIUS HEROVALLIUS, nempe NICOLAI Papæ III. ad PHILIPPUM III. JOHANNIS Papæ XXII. ad CAROLUM Marchiæ Comitem, & alias; ex quibus duæ priores viſæ ſunt ſufficere in exemplum. Obſerva demum in his Miſcellaneis Litteras Manumiſſionis, quas Ludovicus X. in gratiam ſervorum Regni ſui promulgavit; Litteras Clementis Papæ X. contra monetæ adulteratores: & Ordinationem Caroli IV. pro expenſis domus Reginæ conjugis ſuæ.

Poſtremo loco habes, Lector, CHRONICON GUILLELMI DE NANGIS, Monachi Dionyſiani, qui ab Orbe condito ad annum Chri-

ſti MCCC. illúd deduxit, idémque continuavere anonymi duo itidem Monachi S. Dionyſij ad annum MCCCLXVIII. in quibus continuationibus ſingularia occurrunt multa : prior deſinit in anno MCCCXL. altera in anno MCCCLXVIII. cujus Auctor pinguiori minerva, & barbarico ſæpiùs ſtilo quàm priores duo res deſcribit. Nec mirum, ſiquidem Scriptor iſte refert, nullum pæne qui grammaticam doceret, ſua ætate reperiri potuiſſe. Is ad annum 1358. proprium natale ſolum deſignat Venittam, vulgo *Venette*, villam quondam regiam paulo infra Compendium ad Oeſiam, cujus villæ mentio fit ab Aigrado in libro de vita S. Ansberti Epiſcopi Rothomagenſis, in Sæculo 2. Bened. num. 38. & ſeqq. Ut tamen illius Chronici editionem nonniſi ab anno MCXIII. inchoarem, ſuaſit adnotatio ipſius Guillelmi, ſcribentis ab eo anno Sigiberti Chronicon ſe continuaviſſe; tam etſi nonnulla mutuatur ab Anſelmo Gemblacenſi Monacho, Sigiberti Continuatore.

Unicus mihi fuit codex Mſ. Chronici Nangiaci ac Continuationis ejuſdem, in majori folio chartaceo abhinc trecentis circiter, ut reor, annis exaratus, unde exſcribi quæ edita ſunt curavi; nec alibi alium codicem potui comparare, quo poſſem menda & labes quibus ſcatebat caſtigare & extergere : idcirco ſæpiùs conjecturas correctionéſque margini

affigere meas vel alienas ſum coactus. Maximo mihi hac in re adjumento fuit V. C. ac erudiriſſimus CAROLUS DU FRESNE D. du Cange, qui ope præſertim Gallicæ Continuationis prædictæ, quam habet, multa emendavit. Nec mirere, Lector, ſi adhuc occurrant nævi & lacunæ, vix enim ac ne vix quidem dilui & ſuppleri potuerunt, etſi omnem adhibuerimus diligentiam induſtriámque. Porrò codex ille olim fuit V. C. Philippi de Lautier, *Generalis pecuniæ Præfecti*, quem dono dedit Jacobo Brolio, noſtri Monaſterij Cœnobitæ, uti Brolius ipſe quondam ſua manu notavit ſub operimento ligneo nunc perfracto.

Atque ut Nangius his qui linguam Latinam minimè noverant, & Monaſterium Sandionyſianum ſæpiſſimè adibant faceret ſatis, ſuum Gallicè vertit Chronicon, quo faciliùs poſſent Regum ejus in Abbatiæ Baſilica ſepultorum notitiam percipere. Iſthæc in Præfatione Gallica ſignificat Nangius.

Scripſit Guillelmus Nangius, præter Chronicon, geſta S. Ludovici (ſive incepta ab Ægidio Remenſi proſecutus eſt, ſicut ipſe fatetur) & filij ejus Philippi cognomine Audacis, Regum Francorum, quæ edita reperiuntur, notiſſima utique viris rerum hiſtoricarum peritis, qui Scriptorem hunc ſatis accuratum ac diligentem reputant.

Illud verò ad commendationem Dionyſiani

Monaſterij obſervare juvat, moris quondam fuiſſe, ut Chronica de Regum Francorum geſtis ibi adſervarentur, & (quod in Anglicanis etiam Monaſteriis Benedictinis fiebat) periti deſignarentur è Monachorum cœtu Hiſtoriographi, qui res Francorum præcipuas litteris mandarent. Utrumque nobis teſtatum facit Præfatio Chronici Gallico idiomate conſcripti, quod vulgò *Chronicon S. Dionyſij* appellatur. Illud ipſum confirmant anonymi Geſta Dagoberti, & Sugerij liber de Geſtis Ludovici VI. Rigordi Geſta Philippi Aug. anonymi Monachi hiſtoria de Carolo VI. latinè ſcripta, aliaque Monachorum iſtius Regalis Abbatiæ monumenta, quæ in direptione Bibliothecæ Dionyſianæ ſuperiorum temporum procellis facta perierunt magna ex parte, aut certè in externorum manus venerunt. Ex his Scriptoribus Rigordus Regius etiam Hiſtoriographus eſſe promeruit, cùm ſe *Magiſtrum Rigordum, Regis Francorum Chronographum, B. Dionyſij Clericorum minimum*, in præfatione Geſtorum Philippi Aug. ad Ludovicum ejus filium ipſemet appellet: quo nomine à Guillelmo Armorico, tamquam laudem & vanos Chronographi ſive Hiſtoriographi titulos ambiret, ſine cauſa reprehenditur. Neque enim qui Hiſtoriographus eſt modeſtiæ terminos excedit, ſi ſe Regium Hiſtoriographum ſuis in libris vocet: cùm aliter aut meliùs quàm ſuæ quiſque pro-

feſſionis titulis innoteſcere non poſſimus.

Tandem ſcias, Lector, mihi ſuppetias plurimùm adtuliſſe V. C. HADRIANUM VALESIUM univerſo Orbi litterario & eruditione & ſcriptis notiſſimum ac celeberrimum, qui de Epiſtolis potiſſimùm ſive antiquis chartis, quas publicavi, obſervationes & adnotationes mihi perhumaniter ut ſolet communicavit. Contulit quoque ſuam operam, ſuúmque ſtudium Sodalis meus, & particeps ſtudiorum ac laborum, D. Johannes Mabillon, imbecillitatem mei corporis identidem ſublevans peramanter. Ad extremum, quid beneficij V. C. CAROLUS BULTELLUS, Regi à ſecretis, mihi præſtiterit in editione utriuſque Continuationis Nangiacæ, haud prætermittendum eſt. Ab annis duodeviginti me ſæpiùs adhortati ſunt plerique viri eruditi & rerum hiſtoricarum curioſi indagatores, ut Guillelmi de Nangis Chronicon & Continuationes, quæ nullibi niſi in Bibliotheca Sangermanenſi reperiebantur, diutiùs latere non ſinerem, immo in lucem proferrem incunctanter. Verùm ab eo conſilio me ſemper deterruit labor improbus, qui ad corrigenda manuſcripti codicis menda & errata ſuſcipiendus erat. Bultellus verò ut eſt rei hiſtoricæ non minus ſtudioſus quàm peritus, eloquentior mihi non verbis modò, ſed etiam beneficio perſuaſit, uti Continuationes Nangiacas Spicilegio inſererem, atque ut ad id ſuſ-

cipiendum alacriorem me & faciliorem redderet, eas tametsi prolixiores suis sumptibus exscribi curavit, & exemplum quo in hac editione usus sum mihi liberaliter concessit.


CORRIGENDA IN TOMO X.

Monitus ab amico quòd in nonnullis Tomi X. Spicilegij exemplis errata quædam minimè à Typographo fuissent emendata, uti mandaveram, operæ pretium est heic illa Lectori indigitare.

In Præfatione mea, pag. 20. *lin.* 26. Henricum III. *lege* II. & *lin.* 23. circa 1240. *lege* 1140.

In tomo, pag. 400. *lin.* 23. Robinus & Brito, *lege*, Robinus Brito. Pag. 631. *in marg.* 787. *lege* 687. & in Elencho pag. 3. *lin.* 28. eadem correctio adhibenda.






ELENCHUS
CONTENTORUM IN TOMO UNDECIMO SPICILEGII.

Desiderio





SVMMA PRIVILEGII.

CHristianissimi Francorum Regis LUDOVICI XIV. Pivilegio die IV. Junij MDCLXIX. concesso, & ejusdem anni ejusdémque mensis die VI. in Typographiæ Parisiensis Codicem relato, cautum est, ut Congregationis S. Mauri R. P. Superior Generalis librum, cui titulus est, *Veterum Scriptorum Spicilegium*, in plura volumina distributum, per quem maluerit Typographum, nevè alius citra ejus consensum, edat: uti uberiùs Diploma ipsum explicat.

Idem Superior Generalis facultatem dedit Viduæ Caroli Savreux Bibliopolæ Parisiensis, imprimendi Tomum undecimum Spicilegij Veterum Scriptorum, die 4. Novembris 1671.

INDEX RERUM, ET VERBORUM.

D

E

F

Humbertus

ẽ

L

N

O

P

Q

R

T

V



Addenda, *pag.* 920.

Eruit V. C. Anto. du Fresne D. du Cange.
* v. vulgò Longus.

Ex codice Cameræ computorum Parif. *notato C. fol. 169. verso.*

PHILIPPUS Magnus * Francorum Rex & Navarræ obiit 2. Jan. 1321.

PHILIPPUS de Valesio ob. 22. Aug. 1350.

JOHANNES ejusdem Philippi filius coronatur Remis 26. Sept. 1350. & ob. in Anglia 8. Apr. 1364.

CAROLUS ejus filius regnavit 17. an. & ob. apud nemus Vincennarum, videl. in hospicio vocato *Beauté*, 16. die Sept. an. D. 1380.

CAROLUS ejus filius VI. de hoc nomine, ob. Par. in sua domo S. Pauli 22. die Octob. an. 1422. & regnavit 43. an.

CAROLUS VII. ejus filius obiit Magduni super Euram hora 1. post meridiem, 22. Julij 1461. & regnavit an. 39.

LUDOVICUS ejus filius obiit penult. Aug. 1483.

LUDOVICUS 12. Dux Aurel. Rex Franc. obiit Parisiis die Lunæ circiter decimam horam post meridiem in æde Turricularum an. 1514. 1 Janvar, regnavit an. 16. m. 8. dies 23.



QVÆDAM CORRIGENDA.

PAg. 200. *lin.* 5. *l*, Υἱός
Pag. 337. *lin.* 4. volo, *l*, nolo.
In Chronico pluries, Sybilla, *l*, Sibylla.
In fine Præfationis nostræ, lin. 9. *post verborum* indigitare *pone quæ in lin.* 13. & in Elencho &c. ad finem usque.

Sunt & alia errata, non diffiteor, quæ Lector eruditus benigna manu, ut spero, castigabit.



COLLECTIO ANTIQUA
CANONUM
POENITENTIALIUM.

INCIPIT DE UTILITATE pœnitentiæ, & quomodo credendum ſit de remiſſione peccatorum per pœnitentiam, cum præfatione Operis ſubſequentis.



XCEPTO Baptiſmatis munere, quod contra peccatum originale donatum eſt, unde incipit hominis renovatio, in qua ſolvitur omnis reatus & ingeneratus & additus, * etiam cetera vita jam ratione utentis ætatis, quantalibet præpolleat fœcunditate juſtitiæ, ſine remiſſione peccatorum non agitur, quoniam Filij Dei quamdiu mortaliter vivunt, cum morte confligunt; & ſic Spiritu Dei excitantur, & tamquam Filij Dei proficiunt ad Deum, ut etiam ſpiritu ſuo adgravante corruptibili corpore tamquam Filij hominis in quibuſdam humanis motibus deficiunt ad ſe ipſos, & ideo peccant.

* *Auguſtin. Enchirid. ad Laur. c. 64.*

Interest quidem quantum; neque enim quia peccatum est omne crimen, ideo crimen etiam omne peccatum. Itaque sanctorum hominum vitam, quamdiu in hac morte vivitur, inveniri posse dicimus sine crimine; unde Apostolus eligendum dicit Episcopum, si quis sine crimine est. *Peccatum autem si dixerimus quia non habemus*, ait alius Apostolus, *nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Sed neque de ipsis criminibus quamlibet magnis in sancta Ecclesia remittendis Dei misericordia desperanda est agentibus pœnitentiam secundùm modum cujuscumque peccati. In actione autem pœnitentiæ, ubi tale commissum est peccatum ut is qui commisit à Christi etiam corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis quàm doloris. Cor enim contritum & humiliatum Deus non spernit. Verùm quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, nec in aliorum notitiam per verba vel quæcumque alia signa procedit, cùm sit coram illo cui dicitur: *Gemitus meus à te non est absconditus:* rectè constituuntur ab his qui Ecclesiis præsunt tempora pœnitentiæ, ut satisfiat etiam Ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata. Extra eam quippe non remittuntur.

Iohan. 1. 1. 8.

Psal. 37. 10.

Ergo cùm tanta est plaga peccati atque impetus morbi, ut medicamenta corporis & sanguinis Domini differenda sint auctoritate Antistitis, debet se quisque ab altario removere ad agendam pœnitentiam, & eadem auctoritate reconciliari. Hoc est enim indignè accipere corpus & sanguinem Domini, si eo tempore accipiat, quo debet agere pœnitentiam.* Nam & ipsa pœnitentia quando causa digna est, ut secundùm morem Ecclesiæ agatur, plerumque infirmitate non agitur, quia & pudor est timor displicendi, dum plus delectat hominum existimatio quàm justitia, qua se quisque humiliat pœnitendo. Unde non solùm cùm agitur pœnitentia, verùm etiam ut agatur, Dei misericordia necessaria est; alioquin non diceret Apostolus de quibusdam: *Ne fortè det illis Deus*

** Augustini ibid. ut supra, c. 82.*

pœnitentiam. Et ut Petrus amarè fleret, præmisit Evangelista, & ait: *Respexit eum Dominus.* 2. Timot. 2. 25. Lucæ 22. 61.

Judicet ergo seipsum homo voluntate dum potest, & mores convertat in melius, ne cùm jam non poterit, etiam præter voluntatem à Domino judicetur, & cùm in se protulerit severissimæ medicinæ, sed tamen medicinæ sententiam, veniat ad Antistites per quos illi in Ecclesia claves ministrantur, & tamquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, à Præpositis Sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum, & in offerendo sacrificio contribulati cordis devotus & supplex: id tamen agat quod non solùm ipsi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam ceteris ad exemplum; ut si peccatum ejus non solùm in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis, agere pœnitentiam non recuset, non resistat, non letali & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem. Meminerit semper quia *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Iac. 4. 6. Quid enim est infelicius, quid perversius quàm de ipso vulnere quod latere non potest non erubescere, & de ligatura plus erubescere?

Nemo arbitretur propterea se consilium salubre hujus pœnitentiæ debere contemnere, quia multos fortè advertit, & novit ad Sacramenta Altaris accedere, quorum talia crimina non ignorat. Multi enim corriguntur, ut Petrus, multi tolerantur ut Judas, multi nesciuntur donec veniat Dominus & illuminet abscondita tenebrarum & manifestet cogitationes cordis. Nam plerique propterea volunt alios accusare, quia se per illos cupiunt excusare. Plerique autem boni Christiani propterea tacent & sufferunt aliorum peccata quæ noverunt, quia documentis sæpe deseruntur, ut ea quæ ipsi sciunt judicibus Ecclesiasticis probare possint; quamvis enim vera sint quædam, non tamen judici facilè credenda sunt, nisi certis in-

diciis demonſtrentur. Nos verò à communione quemquam prohibere non poſſumus, quamvis hæc prohibitio nondum ſit mortalis, ſed medicinalis, niſi aut ſponte confeſſum, aut aliquo ſæculari ſive Eccleſiaſtico judicio accuſatum atque convictum. Quis enim ſibi utrumque audet aſſumere, ut cuiquam ipſe ſit & accuſator & judex? Non enim temerè & quomodolibet, ſed per judicium ab Eccleſiæ communione ſeparandi ſunt mali, ut ſi per judicium auferri non poſſunt, tolerentur potiùs velut palea cum tritico uſque ad ultimum ventilabrum; velut piſces mali cum bonis uſque ad ſegregationem quæ futura eſt in littore, hoc eſt, in finem ſæculi.

Plerique autem attendunt multos etiam in ipſis honoribus Eccleſiaſticis Præpoſitorum & Miniſtrorum non congruenter vivere ſermonibus & Sacramentis, quæ per eos populis miniſtrantur. O miſeros homines! qui hos intuendo Chriſtum obliviſcuntur, qui & tanto antè prædixit, ut legi Dei potiùs obtemperetur quàm imitandi videantur illi, qui ea quæ dicunt non faciunt, & traditorem ſuum tolerans uſque in finem, etiam ad evangelizandum cum ceteris miſit. Quiſnam hominum erit, qui ſibi manendum exiſtimet in itinere, cùm viderit milliaria lapidea litteris plena viam docere & * non ambulare?

al. * & ambulare.

Fortaſſe alius dicat: Ego jam baptizatus in Chriſto, à quo mihi omnia peccata præterita dimiſſa ſunt, vilis factus ſum nimis iterans vias meas, & canis horribilis oculis Domini converſus ad vomitum ſuum: quo abibo à Spiritu ejus, & à facie ejus quo fugiam? Quo, frater, niſi ad ejus miſericordiam pœnitendo, cujus poteſtatem peccando contempſeras? Nemo enim rectè fugit ab illo niſi ad illum, ab ejus ſeveritate ad ejus bonitatem. Quis enim locus te excipiet fugientem, ubi ejus præſentia te non inveniat? Si aſcenderis in cœlum, ibi eſt; ſi deſcenderis in infernum, adeſt. Recipe ergo pennas tuas in directum & habita in ſpe in extrema hujus ſæculi. Etenim illuc manus ſua de-

ducet te, & perducet te dextera sua. Quidquid enim feceris, quæcumque peccaveris, adhuc in hac vita es, unde te omnino si sanare nollet, auferret. Cur ergo ignoras quia *patientia Dei ad pœnitentiam te adducit?* Qui enim clamando non tibi persuasit ut non recederes, parcendo clamat ut redeas. Sed non sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere; nisi etiam de his quæ facta sunt satisfiat Domino per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis: *Beati misericordes, quoniam ipsis miserebitur Deus.* *Luca* 6. 36. Non enim dictum est ut tantùm abstineamus à peccatis, sed & *de præteritis*, inquit, *deprecare Dominum ut* Eccli. 21. 1. *tibi dimittantur.*

Oportet igitur ad pœnitentiam accedere cum omni fiducia, & ex fide credere indubitanter pœnitentiâ aboleri posse peccata, etiam si ultimo vitæ spiritu admissorum pœniteat, & publica lamentatione peccata prodantur; quia propositum Dei, qui decrevit salvare quod perierat, stat immobile; & ideò quia voluntas ejus non mutatur, sive emendatione vitæ si tempus conceditur, sive supplici confessione si continuò vita exceditur, venia peccatorum fideliter præsumatur ab illo, qui *non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur* à perditione pœnitendo, & salvatus miseratione Domini vivat. Sed fac incertum esse utrum ignoscat Deus, quid perdit homo cum supplicat Deo, qui salutem perdere non dubitavit cùm offenderet Deum? Quis enim certus est etiam quòd Imperator ignoscat? Et tamen pecunia funditur, maria transeuntur, procellarum incerta subeuntur, & ut mors vitetur pene mors ipsa suscipitur. Supplicatur dein per homines homini. Sine dubitatione fiunt ista, cùm sit dubium quo fine proveniant*: & tamen certiores sunt claves Ec- *f.* * primò veniant. clesiæ quàm corda Regum, quibus clavibus quodcumque in terra solvitur, etiam in cælo solutum promittitur: & multo est honestior humilitas quâ se quisque humiliat Ecclesiæ Dei, & labor minor imponitur,

& nullo temporalis mortis periculo mors æterna vitatur.

Hæc dicta ſunt de publica ſatisfactione, quâ quiſque humiliando ſe non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram Eccleſia, quæ habet claves regni cælorum, in qua fit remiſſio peccatorum ad arbitrium Antiſtitis, ſatisfacere debet. Sed & ſecreta ſatisfactione ſolvi mortalia crimina non negamus, ſed mutato priùs ſæculari habitu, & indefeſſo Religionis ſtudio per vitæ correctionem, & jugi immo perpetuo luctu miſerante Deo, ita dumtaxat, ut contraria pro his quæ pœnitet agat.

De quotidianis autem levibúſque peccatis, ſine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio ſatisfacit. Eorum eſt enim dicere: *Pater noſter qui es in cœlis*, qui jam tali Patre regenerati ſunt ex aqua & ſpiritu: delet omninò hæc oratio Dominica quotidiana peccata, delet & illa à quibus vita fidelium etiam ſceleratè geſta, ſed pœnitendo in melius mutata diſcedit. Si quemadmodum veraciter dicitur: *Dimitte nobis debita noſtra*, quoniam non deſunt quæ dimittantur; ita veraciter dicatur: *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, id eſt fiat quod dicitur, quia & ipſa eleemoſyna eſt veniam homini petenti ignoſcere, ac per hoc ad omnia quæ utili miſericordia fiunt, valet quod Dominus ait: *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Non ſolùm ergo qui dat eſurienti cibum, ſitienti potum, nudo veſtimentum, peregrinanti hoſpitium, fugienti latibulum, ægro vel incluſo viſitationem, captivo redemptionem, debili ſubvectionem, cæco deductionem, triſti conſolationem, non ſano medelam, erranti viam, deliberanti conſilium, & quodcumque neceſſarium eſt indigenti; verùm etiam qui dat veniam peccanti, eleemoſynam dat, & qui emendat verbere in quem poteſtas datur, vel coercet aliquâ diſciplinâ, & tamen peccatum ejus, quod ab illo læſus aut offenſus eſt dimittit ex corde, vel orat ut ei dimittatur, non ſolùm in eo quod

dimittit atque orat, verùm etiam in eo quod corripit, & aliqua emendatoriâ pœnâ plectit, eleemoſynam dat, quia miſericordiam præſtat. Multa enim bona præſtantur invitis, quando eorum conſulitur utilitati non voluntati.

Multa itaque ſunt genera eleemoſynarum, quæ cùm facimus, adjuvamur, ut dimittantur noſtra peccata. Sed ea nihil eſt majus, qua ex corde dimittimus quod in nos quiſque peccavit. Quiſquis autem roganti & peccanti, ſive pœnitenti ex corde non dimittit, nullo modo æſtimet à Domino ſua peccata dimitti. Quæ ſint autem levia quæ gravia peccata, non humano ſed divino ſunt penſanda judicio. Videmus enim quædam ab ipſis quoque Apoſtolis ignoſcendo fuiſſe conceſſa, quale illud eſt quod venerabilis Paulus conjugibus ait: *Nolite fraudare invicem, niſi ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi, & iterum revertimini in idipſum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram.* (1. Cor. 7. 5.) Quod putari poſſet non eſſe peccatum, miſceri ſcilicet conjugi, non filiorum procreandorum cauſa, quod bonum eſt nuptiale, ſed carnalis etiam voluptatis, ut fornicationis ſive adulterij, ſive cujuſquam alterius immunditiæ mortiferum malum, quod turpe eſt etiam dicere; quò poteſt tentante Satana libido pertrahere incontinentem, devitet infirmitas. Poſſet ergo, ut dixi, hoc putari non eſſe peccatum, niſi addidiſſet: *Hoc autem dico ſecundùm veniam, non ſecundùm imperium.* (Ibid.) Quis autem jam neget eſſe peccatum, cùm dari veniam facientibus Apoſtolica auctoritas fateatur. Tale quiddam eſt, ubi dicit: *Iam quidem omninò delictum eſt, quia judicia habetis vobiſcum. Quare non magis iniquitatem patimini: quare non potiùs fraudamini?* (1. Cor. 7. 5.) Ut ad illud redeatur quod Dominus ait: *Si quis voluerit tunicam tuam tollere, & judicio tecum contendere, dimitte illi & pallium.* (Matt. 5. 40.) Et alio loco: *Qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas.* (Luca 6. 30.) Prohibuit itaque ſuos Apoſtolos de ſæcularibus rebus cum aliis habere judicium, quod dicit eſſe delictum; & tamen cùm ſinit in Eccleſia talia

judicia finiri inter fratres fratribus judicantibus, extra Ecclesiam verò terribiliter vetat, manifestum est etiam hîc, quòd secundùm veniam concedatur infirmis.

S. Augustin. ubi supra c. 79. Sunt autem quædam quæ levissima putarentur, nisi in Scripturis demonstrarentur opinione graviora. Quis enim dicentem fratri suo fatue, reum gehennæ putaret, nisi Veritas diceret? Aut quis æstimaret quàm magnum peccatum sit dies observare & menses & annos & tempora, sicut observant qui certis diebus, sive mensibus, sive annis volunt vel nolunt aliquid inchoare, eo quòd secundùm vanas doctrinas hominum fausta vel infausta æstiment tempora, nisi magnitudinem ex timore Apostoli pensaremus, qui talibus ait:
Galat. 4. 11. *Timeo vos ne fortè sine causa laboraverim in vobis?* Quàm multa sunt alia peccata, sive in loquendo de rebus & negotiis alienis, quæ non ad te pertinent, sive in vanis
Eccli. 21. 23. cachinnationibus, cùm scriptum sit: *Stultus in risu exaltat vocem suam; sapiens autem vix tacitè ridebit:* sive in ipsis escis, quæ ad necessitatem sustendandæ hujus vitæ præparantur, avidior atque immoderatior appetitus; sive in emendis & vendendis rebus caritatis & vilitatis vota perversa. Propter hæc atque hujuscemodi peccata, & alia licet minora his quæ fiunt, verborum & cogitationum offensionibus, Apostolo Jacobo
Jacobi 3. 2. confitente ac dicente: *In multis enim offendimus omnes;* oportet quotidie crebróque oremus ad Dominum atque dicamus: *Dimitte nobis debita nostra;* nec in eo quod sequitur mentiamur: *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Pro quibus etiam sacrificia eleemosynarum & jejuniorum quisque pro suis viribus offerre non cesset.

Ceterum pro illis peccatis quæ legis decalogus con-
1. Cor. 6. 9. tinet, & de quibus Apostolus ait: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt;* illa actio pœnitentiæ subeunda est, in qua majorem in se quisque severitatem debeat * exercere, ut à se ipso judicatus non judicetur à Domino. Quæ actio pœnitentiæ tunc erit perfecta & Deo acceptabilis, si ascenderit homo adversum

al. * excercere.

versum se tribunal mentis suæ, & constituerit se ante faciem suam, ne hoc ei postea fiat sicut comminatur Deus peccàtori. Atque ita constituto in corde judicio adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor, deinde sanguis animæ confitentis per lacrymas profluat. Postremò ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo judicet participatione corporis & sanguinis Domini, Versetur ante oculos imago futuri judicij, ut cùm alij accedunt ad altare Dei, quo ipse non accedit, cogitet quàm sit contremiscenda illa pœna, qua percipientibus alijs vitam æternam, alij in mortem præcipitantur æternam.

Mensuram autem temporis in agenda pœnitentia, idcirco non satis attentè præfigunt Canones pro uno quoque crimine, sed magis in arbitrio Antistitis relinquendum statuunt, quia apud Deum non tam valet mensura temporis quàm doloris, nec abstinentia tantùm ciborum, sed mortificatio potiùs vitiorum. Propter quod tempora pœnitentiæ fide & conversatione pœnitentum adbrevianda præcipiunt, & negligentia protelanda. Extant tamen pro quibusdam culpis modi pœnitentiæ impositi, juxta quos ceteræ perpendendæ sunt culpæ, cùm sit facilè per eosdem modos vindictam & censuram Canonum æstimare.

Librum autem quem de corpore Canonum excerpsimus, cuique hoc opus quasi præfationem præponimus, in tribus libellis dividi placuit, quò faciliùs lector quod quærit inveniat. Et primus quidem libellus continet ea quæ sunt de pœnitentia & pœnitentibus, criminibus atque judicijs. Secundus maximè de accusatis & accusatoribus, judicibus ac testibus, cum ceteris ad hæc pertinentibus Ecclesiasticis regulis. Tertius de sacris ordinibus vel qui promovendi sunt ad Clerum, quive removendi à Clero, & de regulis ac privilegijs omnium Clericorum & Præsulum. In quibus si quisquam aliquid invenit de talibus Concilijs, quæ aut despicienda, aut non recipienda judicat, ignoscat paupertati sensus nostri. Nos tamen dignum putamus plurimo-

Divisio totius Operis.

rum ſententiam ſingulorum ſuſpicionibus præferendam, & in quibuſcumque rebus generalium Conciliorum auctoritatem non habemus, magis earum Synodorum quæ per ſingulas provincias factæ ſunt quàm proprium noſtrum ſequendum ſenſum. Denique ipſa ſacra & generalia Canonum decreta præcipiunt, ut bis in anno per ſingulas provincias Epiſcoporum celebretur Concilium, & plenariam Synodum dicunt eſſe ubi cum ſuis diœceſaneis Metropolitanus fuerit Epiſcopus. Cùm ergo ita ſpecialia Concilia ex generalium auctoritate fiant, conſtat nullum poſſe de eorum aliquid improbare ſtatutis, niſi eum qui apertis indicijs potuerit convincere eos aliqua contra fidem aut mores bonos conſtituiſſe.

Explicit præfatio.

INCIPIUNT CAPITULA Libri primi.

crosancta mysteria contrectant, placuit ab uxoribus abstinere.

XLIV. De his qui ad honorem Presbyterii sine examinatione provecti sunt.

XLV. De Presbyteris qui uxores acceperunt, vel fornicati sunt.

XLVI. De Diaconibus.

XLVII. De Diaconibus, si ante honorem peccare probantur.

XLVIII. De Monachis & Virginibus propositum non servantibus.

XLIX. De subintroductis mulieribus.

L. De Clericis & Monachis non manentibus in suo proposito.

LI. De Clericis qui sunt in ptochis, Monasterijs atque Martyrijs, qui sub potestate Episcoporum unius cujusque civitatis existunt.

LII. De Virginibus vel Monachis.

LIII. De his qui fornicantur irrationabiliter, id est, qui miscentur pecoribus; vel si qui cum propinquis junguntur, aut cum masculis polluuntur.

LIV. De his qui in pecudes, vel in masculos, vel olim polluti sunt, aut hactenus hoc vitio tabescunt.

LV. De his qui adulteras habent uxores, vel si qui adulteri comprobantur.

LVI. De his qui partus suos ex fornicatione diversis modis interimunt.

LVII. De his qui Virginum corruptionibus conscij sunt.

LVIII. Vt natalitia vel nuptiæ in Quadragesima non fiant.

LIX. Vt in Christianorum non saltetur nuptijs.

LX. De parentibus qui fidem sponsaliorum frangunt.

LXI. Qualiter sponsus & sponsa benedicantur, & de castimonia eorum tempore nuptiarum.

LXII. Quòd aliud sit uxor, aliud concubina; nec erret quisquis filiam suam in matrimonium concubinam habenti tradiderit.

LXIII. Quòd non sit conjugij duplicatio, quando ancillà

relictâ uxor assumitur.

LXIV. Quòd debeant feminæ, quæ captis viris nupserant, aliis regressis de captivitate viris prioribus copulari, ut quod suum est unusquisque recipiat.

LXV. Quòd non probetur esse culpabilis, qui uxorem capti in matrimonium videtur esse sortitus.

LXVI. Ut si viri de captivitate reversi intemperantia uxorum offensi non fuerint & noluerint* eas in conjugium recipere, liberam habeant facultatem.

al. * voluerint.

LXVII. Ut si mulieres ad priores maritos redire noluerint, velut impiæ Ecclesiastica communione privandæ sint.

LXVIII. Quòd non liceat alterius sponsam ad matrimonij jura sortiri.

LXIX. De Raptoribus.

LXX. De his qui rapiunt puellas.

LXXI. De desponsatis puellis & ab alijs raptis.

LXXII. De raptoribus si ad Ecclesiam confugerint.

LXXIII. Quod hi qui intercedente repudio divortium pertulerunt, si se alijs junxerint nuptijs, adulteri sint.

LXXIV. De his qui uxores, aut quæ viros dimittunt, ut sic maneant.

LXXV. De feminis quæ relictis viris suis alijs nubunt.

LXXVI. De feminis quæ adulteros relinquunt, & alijs nubunt.

LXXVII. De secularibus, ut sine judicio Episcopi culpabiles conjuges non relinquant.

LXXVIII. De multinubis.

LXXIX. De Virginibus secularibus si mæchaverint.

LXXX. De bigamis.

LXXXI. De eo qui uxorem habet, si concubinam habuerit, ut non communicet.

LXXXII. De eo qui uxorem habens si sæpiùs mæchatur.

LXXXIII. De viris conjugatis postea in adulterio lapsis.

LXXXIV. Qui viri cum adulteris uxoribus non conveniant.

LXXXV. De mulieribus quæ lenocinium fecerint.

LXXXVI. De feminis quæ conscijs maritis adulterant.

INCIPIUNT CAPITULA Libri secundi.

XIII.

LXXVII. *De sacris locis noviter institutis, quamuis superiùs dictum sit, hoc nunc tamen adijcitur, ut nulla basilica sub defunctorum nomine constructa dedicetur.*

LXXVIII. *Quòd in una quaque Ecclesia cui Episcopus præest quatuor tam de reditibus, quàm de oblatione fidelium fieri debeant portiones.*

al. * *Recentiori manu.* Contra eum qui illicitè ordinat Clericos: & de redditibus Ecclesiæ.

LXXIX. * *Vt Episcopus qui præter quartam portionem aliquid præsumpserit sibi vindicare, reddere compellatur.*

LXXX. *Vt nulli Apostolicæ sedis Præsuli possessionem Ecclesiæ magnam vel paruam in perpetuum liceat alienare.*

LXXXI. *Vt non liceat Presbyteris titulorum suorum prædia, seu quidquid juris eorum fuerit quod libet alienare commutuo.*

LXXXII. *Vt qui petierit prædium Ecclesiæ & acceperit, aut siquis Presbyterorum & Diaconorum vel defensorum danti subscripserit, anathemate feriatur.*

LXXXIII. *Vt si quis anathematis pænam parvi duxerit; etiam documento quo se putat prædium possidere frustretur, liceátque cuilibet Ecclesiasticæ personæ vocem contradictionis adferre, & cum fructibus præteriti temporis eadem prædia alienata reposcere.*

LXXXIV. *Si quis Clericorum pauper in ordine promotus postea habuerit aliquid, Ecclesiæ potestati subjiciat.*

LXXXV. *Vt Presbyteri rem Ecclesiæ in qua sunt constituti non vendant; & nulli Episcopo liceat rem tituli matricis Ecclesiæ usurpare.*

LXXXVI. *Vt res Ecclesiæ nemo distrahat.*

LXXXVII. *De rebus ad Ecclesiam pertinentibus; & de his quæ propria Episcopi esse noscuntur.*

LXXXVIII. *Vt Episcopus dispensandi res Ecclesiasticas habeat potestatem.*

LXXXIX. *Vt de rebus Ecclesiæ nihil Episcopi auferant; & qualiter proximi fundatores Ecclesiarum sollicitudinem gerant.*

* *In hoc lib. 2. subsequitur,*

XC. * *Vt Episcopus exiguum aliquod sine Clericorum cohibentia distrahat.*

XCI. *Vt ſervos Eccleſiæ fugitivos liceat vendere Epiſcopo.* De diſcretione &c. *infra; omiſſis quinque capp.*

XCII. *De Epiſcopis qui per teſtamentum de rebus Eccleſiæ aliquid contulerint.*

XCIII. *De venditionibus quas Abbates facere præſumunt.*

XCIV. *De libertis ex familia Eccleſiæ factis.*

XCV. *De diſcretione manumiſſorum ex familia Eccleſiæ, qualiter manumittantur; & ne adverſa teſtificent vel accuſent.*

XCVI. *De libertis patrocinio Eccleſiæ commendatis.*

XCVII. *Vt laici contemptores Canonum excommunicentur, Clerici honore priventur.*

XCVIII. *Vt ſi quis Sacerdotum contra interdicta fecerit à ſuo ſit officio ſubmovendus.*

XCIX. *De flectendo genua.*

C. *Vt populus ante completam Miſſam & benedictionem acceptam egredi non præſumat.*

CI. *Quòd debeat manere firmum ſi ſervi fiſci Eccleſias fecerint, eáſque de peculio ſuo ditaverint.*

CII. *Vt valle matia & turpia cantica prohibeantur.*

CIII. *De his qui Eccleſiaſtica jejunia abſque neceſſitate diſſoluunt.*

CIV. *Non debere in diebus jejuniorum commemorationes Martyrum fieri.*

CV. *Oblationes in domibus offerri non opportere.*

CVI. *Vt Sacramentum Cathecumenis non præbeatur.*

CVII. *Quòd * Paſcha & Pentecoſten ſit baptizandum.* ſupple, * ad

CVIII. *Quòd omni tempore hi qui in neceſſitate mortis, aut ægritudinis, vel obſidionis, ſive perſecutionis, aut naufragij urgentur debeant baptizari.*

CIX. *De Cathecumina pregnante.*

CX. *De infantibus baptizandis quoties dubitatur utrum fuerint baptizati.*

CXI. *De baptizatis qui nondum confirmati moriuntur.*

CXII. *De his qui rebaptizati ſunt quantum pœniteant.*

CXIII. *Quòd non debeant baptizati niſi ab Epiſcopis conſignati.*

INCIPIUNT CAPITULA in Libro tertio.

XXXIX. *Qualiter Ostiarij ordinentur.*
XL. *Qualiter Lectores ordinentur.*
XLI. *Qualiter Exorcistæ ordinentur.*
XLII. *De Exorcistis qui non sunt ab Episcopis ordinati.*
XLIII. *Qualiter Acoliti ordinentur.*
XLIV. *Qualiter Subdiaconi fiant.*
XLV. *Vt Clerici nullas negotiationes inhonestas & turpia lucra sectentur.*
XLVI. *De eadem re.*
XLVII. *Vt Clericus nec suo nec alieno nomine fœnus exerceat.*
XLVIII. *De contumacibus Clericis & ad officium tardis.*
XLIX. *Si Clericus furtum Ecclesiæ fecerit.*
L. *Vt cujuslibet ordinis Clericus si tardiùs ad Ecclesiam venerit, deponatur.*
LI. *Quòd nullus Ecclesiasticorum in tabernis comedere debeat.*
LII. *De Clericis qui in mutuam cædem prorumpunt.*
LIII. *De Clericis qui ad sæcularium defensionem confugiunt propter districtionem Episcopi.*
LIV. *De Clericis negotia & nundinas sectantibus.*
LV. *Vt si voluntariè Clericus damnum Ecclesiæ fecerit, & satisfaciat, & excommunicetur.*
LVI. *De conversatione Clericorum, ut in uno conclavi sint.*
LVII. *Vt Clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes ac nutrix est.*
LVIII. *Cujuscumque ordinis Clerici nuptialia convivia vitent.*
LIX. *De Clericis qui magos aut sortilegos consuluerunt.*
LX. *Clerici tabernas non ingrediantur absque peregrinationis necessitate.*
LXI. *De Clericis qui in seditione arma sumpserint.*
LXII. *De Clericis per plateas & andronas ambulantes.*
LXIII. *De Clericis in nundinis & foro deambulantibus.*
LXIV. *Clerici qui vigiliis desunt stipendiis privandi.*
LXV. *Clerici maledici degradentur.*

XC. *Vt nullus minister sine chrismate proficiscatur.*

XCI. *Vt ab alterius Episcopo chrisma nullus accipiat.*

XCII. *Presbyter Diaconum aut Presbyterum non ordinabit.*

XCIII. *De his qui prohibentur à Presbyteris in ecclesiasticis Sacramentis agere.*

XCIV. *Vt si Presbyter inconsulto Episcopo agendam celebraverit honore privetur.*

XCV. *Ne Presbytero alterius regionis præsente Episcopo vel Presbyteris civitatis liceat ministrare, & quo ordine panem sive calicem dent, & quòd Coepiscopi ad exemplum septuaginta seniorum ordinati sunt.*

XCVI. *De his qui ex vasis ministerij Ecclesiæ aliquid vendiderunt.*

XCVII. *Ne Presbyter benedictionem vel pœnitentiam in Ecclesia dare præsumat.*

XCVIII. *De his qui in Ecclesiis in quibus provecti sunt minimè perdurarunt.*

XCIX. *Qualiter Diaconi ordinentur.*

C. *De numero certo Diaconorum.*

CI. *Quo tempore Presbyterum conveniat ordinari.*

CII. *Qualiter Presbyter ordinetur.*

CIII. *De non contemnendo oblationes Presbyteri conjugati.*

CIV. *Quòd non liceat Clerico in duarum civitatum Ecclesiis ministrare.*

CV. *De his qui vocantur Coepiscopi.*

CVI. *Iudicio multitudinis ordinationes fieri non debere.*

CVII. *De Episcopalibus ordinationibus.*

CVIII. *De electione Episcopi.*

CIX. *De his qui ad Episcopatum in provinciis provehuntur.*

CX. *Quòd addi debeant Episcopi numero ordinatorum, si de ordinando Episcopo fuerit contradictum.*

CXI. *Non accipiendum præmium pro Episcoporum honore de communione peccati.*

CXII. *Quòd non oporteat Episcopos aut quemlibet ex clero per pecunias ordinari.*

CXXXIV. *Vt Episcopus non litiget.*

CXXXV. *Vt Episcopus Canones agnoscat antequam ordinetur.*

CXXXVI. *Vt Episcopus die Dominico ab Ecclesia deesse non debeat.*

CXXXVII. *Vt Episcopus nullam curam rei familiaris ad se revocans tantùm orationi & doctrinæ vacet.*

CXXXVIII. *Vt Episcopus sedens stare Presbyterum non patiatur.*

CXXXIX. *Vt Episcopus collegam se Presbyterorum cognoscat.*

CXL. *Quamdiu Episcopus in aliena civitate remoretur.*

CXLI. *Non liceat Episcopo à sua Ecclesia plus tribus hebdomadibus abesse.*

CXLII. *De laicis non temere faciendis Episcopis.*

CXLIII. *Quando & in quibus causis Episcopi ad Comitatum ire debeant.*

CXLIV. *De Diaconis ad Comitatum dirigendis.*

CXLV. *Quòd ad Comitatum pro pupillis & viduis ac necessitatem patientibus sit eundum.*

CXLVI. *Quòd non oporteat Episcopos, Clericos & Monachos prædia aliena conducere.*

CXLVII. *De honore Monachis competente; & ut nullus eorum tentet Ecclesiastica aut sæcularia inquietare negotia, nec alienum servum præter conscientiam Domini ejus suscipere.*

CXLVIII. *De pacificis peregrinorum, id est commendatitiis litteris.*


CXLIX. *De Metropolitanis singularum provinciarum.*

CL. *De vacantibus Episcopis.*

CLI. *Vt Metropolitanis sua jura serventur.*

CLII. *Vt Episcopus absque Metropolitani conscientia nihil agat in causis generalibus.*

CLIII. *De Præsidibus, vel ceteris rempublicam agere volentibus, ne sine litteris Episcopi sui communicent, & cùm contra disciplinam egerint excommunicentur.*



CANONUM POENITENTIALIUM.

LIBER PRIMVS.

CAPITULUM I.

Quòd nulli sit in morte ultima pœnitentia deneganda.

Ex Epistola Papæ Cœlestini ad Episcopos Galliarum. capitulo XV.

Cœlestini Papæ 1. Epistola 2. ad Episcopos provinciæ Viennensis & Narbonensis cap. 2.

GNOVIMUS enim pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum desiderijs annui, qui obitus sui tempore hoc animæ suæ cupiunt remedio subveniri. Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet, quasi non possit ad se quovis tempore concurrenti succurrere, & periclitantem sub onere peccatorum hominem redimere*, quo se ille expedire desiderat & liberari. Quid hoc *rogo aliud est quàm morienti mortem addere, ejusque animam sua crudelitate ne absoluta esse possit occidere? cùm Deus ad subveniendum sit * paratissimus, & invitans ad pœnitentiam sic promittat: *Peccator*, inquit, *quacumque die conversus fuerit, peccata ejus non reputabuntur ei.* Et iterum: *Nolo*

al. * hominem pondere quo se expediri desiderat liberare.
al. * ergo.
al. * ad subven. paratissimus invitans.

Ezech. 18, & 33. *mortem peccatoris sed tantùm ut convertatur & vivat.* Salutem ergo homini adimit quisquis ei mortis tempore pœnitentiam * denegarit; & desperavit * de clementia Dei, qui eum ad subveniendum morienti sufficere vel in momento posse non credidit. Perdidisset latro in cruce præmium ad Christi dexteram pendens, si illum unius horæ pœnitentia non juvisset, cùm esset in pœna pœnituit, & per unius sermonis promissionem *, habitaculum Paradisi Deo promittente promeruit. Vera ergo ad Deum conversio in ultimis positorum mente potiùs est æstimanda quàm tempore, Prophetà hoc taliter asserente; *Cùm conversus ingemueris, tunc salvus eris.* Cùm ergo Dominus sit cordis inspector, quovis tempore non est deneganda pœnitentia postulanti, cùm illi * se obliget judici, cui occulta omnia noverit revelari.

al. * speratam pœnit. *al.* * desperat.

al. * professionem.

Isa. 30.

al. * ille.

CAPUT II.

De his qui necessitate mortis urgente pœnitentiam simul & Viaticum petunt. Et de his qui obmutescunt antequam ad eos Sacerdos daturus pœnitentiam accedat.

Ex epistola XCI. Leonis Papæ I. sub finem, scripta an. 452.

Ex Epistola Papæ Leonis ad Theodorum Forojulianensem Episcopum.

ITA ergo talium necessitati auxiliandum est, ut nec actio illis pœnitentiæ, nec Communionis gratia denegetur, si eam etiam amisso vocis officio per indicium integri sensus quærere comprobentur: quòd si ita aliqua ægritudine fuerint adgravati, ut quod paulò antè poscebant, sub præsentia * significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul & pœnitentiæ & reconciliationis beneficia consequantur. Servatâ tamen regulâ Canonum * circa eorum personas quæ * in dominica fide discedendo peccaverunt.

* Sacerdotis.

* paternorum. *al.* * qui in Deum a fide.

CAPUT III.

Quòd oporteat eum qui pro illicitis veniam poſcit, etiam à multis licitis abſtinere.

Ex Epiſtola Papæ Leonis ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum, cap. XXXVI. *Epiſtola* XCII. *Inquiſit.* X.

ALIUD quidem eſt debita juſta * repoſcere, aliud proprio * perfectionis amore contemnere. Sed illicitorum veniam poſtulantem oportet etiam à licitis abſtinere, dicente Apoſtolo : *Omnia licent, ſed non omnia expediunt.* Undè ſi pœnitentes * habent cauſam quam negligere fortè non debeant, melius expetit * quis Eccleſiaſticum quàm forenſe judicium.

al. * propria.
al. * juſtè
al. * pœnitens, &c.
al. * exigit Eccleſ.

CAPUT IV.

Quòd pœnitenti nulla lucra negotiationis exercere conveniat.

Ex eadem Epiſtola XXIII. *Inquiſit. & reſp.* XI.

QUALITAS lucri negotiantem aut excuſat * aut arguit, quia eſt & honeſtus quæſtus & turpis. Verumtamen pœnitenti utiliùs eſt diſpendia pati, quàm periculis negotiationis obſtringi, quia difficile eſt inter ementis vendentíſque commercium non intervenire peccatum.

al. * exhoneſtat.

CAPUT V.

Quòd ad militiam ſæcularem poſt pœnitentiam redire non debeat.

Ex Eadem Epiſtola. *Inquiſit. & reſp.* XII.

CONTRARIUM eſt omnino eccleſiaſticis regulis poſt pœnitentiæ actionem redire ad militiam ſæcularem, cùm Apoſtolus dicat : *Nemo militans Deo implicat*

ſe negotiis ſæcularibus. Unde non eſt liber à laqueis diaboli qui ſe militiæ mundanæ voluerit implicare.

CAPUT VI.

al. * ſe urgente.
al. * contineat ab uxoris amplexu.
al. * remedium ſuſtinere.

*Quòd adoleſcens ſi urgente * quocumque periculo pœnitentiam geſſit & non ſe continet *, uxoris poteſt remedio * ſuſtineri, quouſque poſsit adipiſci continentiæ ſtatum per temporis maturitatem : cæteri tamen pœnitentes à conjugiis debeant continere.*

Inquiſit. XIII.

Ex eadem Epiſtola.

IN adoleſcentia conſtitutus ſi urgente aut metu mortis aut captivitatis periculo pœnitentiam geſſit, & poſtea timens lapſum incontinentiæ juvenilis copulam uxoris elegit, ne crimen fornicationis incurreret; rem videtur feciſſe venialem, ſi præter conjugem nullam omnino cognoverit. In quo tamen non regulam conſtituimus, ſed quid ſit tolerabilius æſtimamus, nam ſecundùm veram cognitionem nihil magis ei congruit qui pœnitentiam geſſit, quàm caſtitas perſeverans mentis & corporis.

CAPUT VII.

De his qui poſt pœnitentiam habitum ſæcularem præſumunt.

* *ſecundo ſub Liberio.*

Ex Concilio Arelatenſe *, capitulo XXV.

HI qui poſt ſanctam religionis profeſſionem apoſtatant, & ad ſæculum redeunt, & poſtmodum pœnitentiæ remedia non requirunt, ſine pœnitentia communionem penitùs non accipiant : quos etiam jubemus ad clericatus officium non admitti, & quicumque ille ſit poſt pœnitentiam habitum ſæcularem non præſumat,

præſumat, quod ſi præſumpſerit, ab Eccleſia alienus efficiatur. * *al.* habeatur.

CAPUT VIII.

Quòd quibuſdam pœnitentibus priſtina reddantur conjugia propter juvenilem ætatem; quibuſdam verò interdicantur conjugia; & quòd hæc & à viris & à feminis uniformiter obſervaveri debeant.

Ex Concilio Toletano *, capitulo VIII. * VI. *ſub Honorio an.* 638.

ANTIQUI & ſanctiſſimi eſt patris ſententia Papæ Leonis, ut is qui in ætate adoleſcentiæ poſitus dum mortis formidat caſum pervenerit ad pœnitentiæ remedium, ſi conjugatus & fortè fuerit incontinens, ne poſtea adulterij incurrat lapſum, redeat ad priſtinum conjugium quouſque poſſit adipiſci temporis maturitate continentiæ ſtatum. Quod nos ſicut de viris ita & de feminis æquo modo cenſemus. Non quidem hoc generaliter & legitimè * præceptum; ſed conſtat à nobis pro humana fragilitate indultum, ea dumtaxat ratione, ut ſi is qui pœnitentiæ non eſt legibus deditus * antè ab hac vita diſceſſerit, quàm ex conſenſu ad continentiam eorum * fuerit regreſſus ſuperſtiti non liceat denuò ad uxorios tranſire amplexus. Si autem illius vita extiterit ſuperſtes * qui non accepit benedictionem pœnitentis, nubat ſi ſe continere non poteſt, & * alterius fruatur conſortio uxoris. Quod de utroque ſexu pari modo à nobis manifeſtum eſt decreviſſe: ita videlicet ut in his omnibus Sacerdotis ordinatio expectetur, ut juxta quod ætatem aptam proſpexerit * continentiæ, abſolutionis vel diſtrictionis tribuat legem.

al. * canonicè.
al. * ſubditus.
al * definierit.
al. * ſuperſtitis.
al. * alter ad continentiam eat unde fuerit.
al. * pœnitentiæ.

CAPUT IX.

De his qui pœnitentiam minimè ſervaverunt.

Ex Epiſtola Papæ Syricij ad Hymerium Epiſcopum * Terraconenſem, cap. v.

al. * Tarraconenſem.

DE his verò non incongruè dilectio tua Apoſtolicam ſedem credidit conſulendam, qui actâ pœnitentiâ tamquam canes & ſues ad vomitus priſtinos & volutabra redeuntes, & militiæ cingulum & ludicras voluptates, & nova conjugia & inhibitos denuò appetivere concubitus: quorum profeſſam incontinentiam generati poſt abſolutionem filij prodiderunt. De quibus quia jam ſuffugium non habent pœnitendi id duximus decernendum, ut ſola intra Eccleſiam fidelibus oratione jungantur, ſacræ * myſteriorum celebritati quamvis non mereantur interſint: à Dominicæ autem menſæ convivio ſegregentur, ut hac ſaltem diſtrictione correcti & ipſi in ſe ſua errata caſtigent, & alijs exemplum tribuant quatenus ab obcœnis cupiditatibus retrahantur. Quibus tamen quoniam carnali fragilitate ceciderunt viatico munere cùm ad Dominum cœperint proficiſci per communionis gratiam volumus ſubveniri: quam formam & circa mulieres, quæ ſe poſt pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, ſervandam eſſe cenſemus.

al. * ſacris myſter. celebritatibus.

CAPUT X.

Qualiter majores pœnitentiam accipiant, quæ minoribus non facilè committenda eſt.

Ex Concilio Agathenſe, cap. xvii.

ſub Symmacho.

POENITENTES tempore quo pœnitentiam petunt, impoſitionem manuum & cilicium ſuper capita à Sacerdote ſicut ubique conſtitutum eſt conſequantur. Si autem comas non depoſuerint, aut veſtimenta non mutaverint, abjiciantur: & niſi dignè pœnituerint, non recipiantur. Juvenibus etiam pœnitentia non facilè committenda eſt propter ætatis fragilitatem: Viaticum tamen omnibus in morte poſitis non negandum.

CAPUT XI.

Vt pœnitentiæ tempora juxta qualitatem peccati decernantur.

Ex Concilio Affricano, cap. x.

POENITENTIBUS ſecundùm differentiam peccatorum Epiſcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur.

Ex Concilio Affricano vulgò dicto ſeu collectione variorum canonum Affricanæ provinciæ.

CAPUT XII.

Ex Concilio Carthaginenſe *, cap. LXXIV.

*IV. *ſub Anaſtaſio.* I.

VT Sacerdos pœnitentiam imploranti abſque perſonæ acceptione pœnitentiæ leges injungat.

CAPUT XIII.

Vt pœnitentia conjugatis ex conſenſu detur.

Ex Concilio Arelatenſe, cap. XXII.

Ex Arelat. 2.

POENITENTIAM conjugatis non niſi ex conſenſu dandam.

CAPUT XIV.

De remedio pœnitentiæ; & quòd abſolutio pœnitentum per manuum impoſitionem Epiſcoporum ſupplicationibus fiat; propter quod neceſſe eſt ut reatus peccatorum ante ultimum diem Sacerdotali ſupplicatione ſolvatur, etiam ſi periculo mortis urgente ſtatim per acceptionem pœnitentiæ & reconciliatio ſubſequatur.

Leonis I. *epist.* XCI.

Ex Epistola Papæ Leonis ad Theodorum Forojulianensem Episcopum.

MVLTIPLEX misericordia Dei ita lapsibus humanis subvenit, ut non solùm per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ: & qui regenerationis dona violassent *, proprio se judicio condemnantes ad remissionem criminum pervenirent. Sic divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentiam Dei nisi supplicationibus Sacerdotum nequeant obtinere. Mediator enim Dei & hominum Dominus CHRISTUS JESUS hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus sanctificationem * pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent: cui utique operi incessabiliter ipse Salvator intervenit, nec umquam ab his abest quæ ministris suis exequenda commisit dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Qua de re innuitur, ut si quid servitutem nostram bono ordine & gratulando * impletur affectu, non ambigamus per Spiritum sanctum nobis donatum fuisse. Si autem aliquis eorum, pro quibus Domino supplicamus, quocumque interceptus obstaculo à munere præsentis indulgentiæ exciderit, & priusquam ad constituta remedia perveniat, temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non recepit, consequi exutus carne non poterit. Idcirco * necesse est nos eorum qui sic obierint merita actúsque discutere, cùm Dominus noster, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod Sacerdotale implere ministerium non potuit, suæ justitiæ reservarit: ita potestatem suam timeri volens, ut hic terror omnibus prosit, & quod quibusdam tepidis aut negligentibus accidit, nemo non metuat. Multum enim utile ac necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem Sacerdotali supplicatione solvatur. His autem qui in tem-

al. * violaverint.

Math. 28. 20.

al. * actionem.

al. * grato.

al. * nec necesse.

pore neceſſitatis, & periculi urgentis inſtantia præſidium pœnitentiæ & mox reconciliationis implorant, nec ſatisfactio interdicenda eſt, nec reconciliatio deneganda: quia miſericordiæ Dei nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera converſio, dicente Dei ſpiritu per Prophetam. *Cùm converſus ingemueris, tunc ſalvus eris*, & alibi, *Dic iniquitates tuas prior, ut juſtificeris.* Item: *quia apud Dominum miſericordia eſt, & copioſa apud eum redemptio.* In diſpenſandis itaque Dei donis non debemus eſſe difficiles, nec accuſantium ſe gemitus lacrymàſque negligere, cùm ipſam pœnitendi * affectionem ex Dei credamus inſpiratione conceptam, dicente Apoſtolo: *Ne fortè det illis Deus pœnitentiam ut reſipiſcant à diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem.*

Iſai. 30. & 43.

Pſal. 129. 7.

al. * pœnitentiam.

2. *Tim.* 2. 26.

CAPUT XV.

De his qui pro diverſis erratibus pœnitudinem ferventiùs exegerunt.

Tempore Sylveſtri Papæ; ſed, ut quidam volunt & rectiùs, ſub Liberio, alii etiam ſub Damaſo.

Ex Concilio Laodicenſe, cap. II.

* DE his qui diverſis facinoribus peccaverunt, & perſeverantes in oratione confeſſionis, & pœnitentiæ converſionem à malis habuere perfectam pro qualitate delicti, talibus pœnitentiæ tempus impenſum * propter clementiam & bonitatem Dei communio concedatur.

* *ex interpretatione Dionyſii Exigui.*

al. * impenſuri.

CAPUT XVI.

Ex Concilio Carthaginis IV. cap. LXXV.

UT negligentiores pœnitentes tardiùs recipiantur.

CAPUT XVII.

Item ex eodem Concilio, cap. LXXVIII.

POENITENTES qui in infirmitate Viaticum Euchariſtiæ acceperint, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione ſi ſupervixerint.

CAPUT XVIII.

De his qui communionem tempore mortis exposcunt; aut ſi deſperatus & conſecutus communionem iterum convaluerit.

Ex Concilio Niceno *, cap. XIII.

* I. *Sub Sylveſtro.* I.

DE his qui ad exitum veniunt etiam nunc lex antiqua regularíſque ſervabitur; ita ut ſi quis egreditur è corpore ultimo & * neceſſario viatico minimè privetur: quòd ſi deſperatus, & conſequutus communionem, oblationiſque particeps factus, iterum convaluerit, ſit inter eos qui communionem orationis * tantummodò conſequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu poſito, & poſcenti ſibi communionis * gratiam tribui, Epiſcopus probabiliter * ex oblatione dare debebit.

al. * & maximè neceſ.

al. * orationum.

al. * Euchariſtiæ.

al. * poſt quam probaverit dare, &c.

CAPUT XIX.

De pœnitentibus ut à Presbyteris non reconcilientur, niſi præcipiente Epiſcopo.

Ex Concilio Carthaginis tertio, cap. XXXI.

UT pœnitentibus ſecundùm differentiam peccatorum Epiſcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur: & ut * Presbyter inconſulto Epiſcopo non reconciliet pœnitentem, niſi abſentiâ Epiſcopi neceſſitate cogente. Cujuſcumque autem pœnitentis publicum & vulgatiſſimum crimen eſt, quod * univerſam eccleſiam commoverit; ante abſidem manus ei imponatur.

* *Hic incipit, cap.* XXXII.

al. * quod univerſa Eccleſia noverit.

CAPUT XX.

Item ex Concilio Carthaginensi II. de eadem re, cap. IV.

AVRELIUS Episcopus dixit : si quisquam in periculo fuerit constitutus, & se reconciliari divinis altaribus petierit, si Episcopus absens fuerit, debet utique Presbyter consulere Episcopum, & sic periclitantem ejus præcepto reconciliare : quam rem debemus salubri consilio roborare. Ab universis Episcopis dictum est : placet quod sanctitas vestra necessariò nos instruere dignata est.

CAPUT XXI.

De tempore remissionis pœnitentum.

Ex Epistola Papæ Innocentii * ad Decentium Episcopum, cap. VII. ** Papæ I.*

DE pœnitentibus autem qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus pœnitentiam gerunt, si nulla interveniat ægritudo, quintâ feriâ ante Pascha eis remittendum Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat. Ceterum de pondere æstimando delictorum Sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti cùm viderit congruam satisfactionem. Sanè si quis in ægritudinem inciderit, atque usque ad desperationem devenerit, ei est ante tempus Paschæ relaxandum, ne de sæculo absque communione discedat.

CAPUT XXII.

Ut pœnitentes ab aliis Episcopis vel Presbyteris non recipiantur, nec alibi communicent, nisi in ipsis locis ubi fuerunt exclusi.

Ex Epistola Papæ Felicis ad Episcopos per Siliciam. *Epistola Felicis Papæ III. 7. quæ alibi inscribitur ad*

CURANDUM verò maximè, & omni cautela est providendum, nè quis fratrum Coepiscoporúm-

universos Episcopos. que nostrorum, aut etiam Presbyterorum in alterius civitate vel diœcesi pœnitentem, vel sub manu positum Sacerdotis, aut eum qui reconciliatum se esse dixerit, sine Episcopi vel Presbyteri testimonio & litteris ad * cujus pertinet parrochiam suscipiat : quod si aliqua dissimulatione negligitur, culpa tangit etiam clerum, * qui in locis in quibus hoc minus curatum fuerit, commoratur. His itaque ritè dispositis, & ad Ecclesiarum nostrarum * notitiam nostra deliberatione perlatis, parere vos * convenit. De his similiter & in Concilio Arelatense, cap. XVI.

al. * aut in parrochia Presbyter aut Episcopus in civitate. *al.* * Clericum. *al.* * vestrarum. *al.* * convenerat.

CAPUT XXIII.

De pœnitentibus subitò mortuis, ut oblationes eorum recipiantur.

Ex Vasensi. I.

Ex Concilio Vasensi, cap. II.

PRO his qui pœnitentiâ acceptâ in bono vitæ cursu satisfactoria compunctione viventes, sine communione inopinato nonnumquam transitu, in agris, aut in itineribus præveniuntur, oblationem recipiendam, & eorum funera ac deinceps memoriam Ecclesiastico affectu prosequendam, quia nefas est eorum commemorationem excludi à salutaribus sacris, qui ad eadem sacra fideli affectu contendentes, dum se diutiùs reos statuunt, indignos salutiferis ministeriis judicant, ac dum purgatiores restitui desiderant, absque sacramentorum Viatico intercipiuntur; quibus fortè nec absolutissimam reconciliationem Sacerdos denegandam putasset.

CAPUT XXIV.

De pœnitentibus transgressoribus.

Ex Concilio Toletano VI. cap. VII.

al. * tantis facinoribus.

QVAMVIS priora numquam siluerint de tanto facinore * Concilia, ratio tamen poscit ut ea

quæ

quæ frequenti prævaricatione iterantur, frequenti etiam ſententia condemnentur. Et ideo quando * tanta exiſtit perverſitas hominum, ut hi quos ſub religioſo habitu pœnitentiæ profeſſio pro peccatorum venia ad manum Sacerdotis deduxit, vel adduxit, iterum rediviva malitia ad vitæ priſtinæ ſordes revocet; hujus rei cauſâ, ſancta Synodus decrevit, ut ſi qui ingenuorum utriuſque ſexus, ſi ſub nomine pœnitentis * in habitu religioſo ſunt converſati, poſtea autem comam nutrientes, vel veſtimenta ſæcularia ſumentes, ad id quod reliquerant redierunt, aut redierint, ab Epiſcopo civitatis, in cujus territorio ſunt converſati *, comprehenſi rurſus legibus pœnitentiæ in Monaſteriis ſubdantur inviti: quod ſi facere propter aliquem poteſtatis vigorem * difficilè fuerit, tunc ſicut priſcorum canonum ſtatuerunt decreta, quouſque ad dimiſſum ordinem revertantur, excommunicati & anathemate condemnati habeantur: * ſed & hi qui poſt excommunicationem vel interdictum cum ipſis communicaverint. Sacerdos autem ad quem pertinere noſcuntur, ſi eos quolibet munere vel favore aut negligentia admonere noluerit, ut aut revertentes ſuſcipiat, aut contemnentes de Eccleſia rejiciat, ſimili ſententia plectatur, quouſque emendationis vel damnationis eorum ab eo ſententia promulgetur.

al. * quoniam.

al. * pœnitentiæ.

al. * converſi.

al. * non potuerint.

al. * ſimiliter.

CAPUT XXV.

Vt Presbyteri & Diaconi in graviori culpa convicti manus impoſitionem tamquam laici nequaquam ſuſcipiant.

Ex Concilio Carthaginenſi. v. cap. xi.

ITEM confirmatum eſt, ut ſi quando Presbyteri vel Diaconi in aliqua graviore culpa convicti fuerint, pro qua eos à miniſterio neceſſe ſit removeri, non eis manus tamquam pœnitentibus vel tamquam fidelibus

laicis imponatur, neque permittendum ut rebaptizati ad Clericatus gradum promoveantur. De hac re Papa quoque Syricius ita decrevit dicens : Illud quoque vos par fuit providere, ut ſicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum, ita & poſt pœnitudinem ac reconciliationem nulli umquam laico liceat honorem Clericatus adipiſci.

CAPUT XXVI.

Arauſ. I.

Ex Concilio Arauſicano, cap. IV.

POENITENTIAM deſiderantibus Clericis non negandam.

CAPUT XXVII.

Quòd Presbyteri aut Diaconi, ſi in aliquo crimine prolapſi fuerint, non poſsint per manus impoſitionem pœnitentiæ remedium conſequi.

Leonis. I. *Epiſt.* XCII. *Inquiſit. & reſp.* II.

Ex Epiſtola Papæ Leonis ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum, cap. XVI.

ALIENUM eſt à conſuetudine Eccleſiaſtica, ut qui in Presbyterali * honore aut Diaconij gradu fuerint conſecrati, hi pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem remedium accipiant pœnitendi, quod ſine dubio ex Apoſtolica traditione deſcendit, ſecundùm quod ſcriptum eſt : *Sacerdos ſi peccaverit, quis orabit pro illo?* Unde hujuſmodi lapſis ad promerendam miſericordiam Dei privata eſt expetenda receſſio *, ubi illis ſatisfactio ſi fuerit digna, ſit etiam fructuoſa.

al. * qui Presbyteralem honorem aut Diaconi gradum fuerint conſecuti.

al. * confeſſio.

CAPUT XXVIII.

De his qui diverſis cauſis gentilitatis ritus aliquid peregerunt.

Ex Concilio Ancyrano *, cap. IV. * *Ancyr. I.*

DE his qui ſacrificare coacti ſunt, inſuper & cœnaverunt in idolio, quicumque eorum cùm ducerentur lætiore habitu fuerunt, & veſtimentis pretioſioribus uſi ſunt, & præparatæ cœnæ indifferenter participes extiterunt: placuit eos inter audientes uno anno conſtitui, ſubcumbere verò tribus annis, in oratione autem communicare biennio, & tunc ad perfectionis gratiam pervenire. * Quotquot autem aſcenderunt templa veſte lugubri, & recumbentes per omne tempus flevere diſcubitus, ſi compleverunt pœnitentiam trienni temporis, ſine oblatione ſuſcipiantur. Si autem non manducaverint, biennio ſubjecti pœnitentiæ, tertio anno ſine oblatione communicent, ut perfectionem quadriennio conſequantur. Penes autem Epiſcopos erit poteſtas, modum converſionis * eorum probantes, vel humaniùs erga eos agere, vel amplius tempus adjicere. Ante omnia verò præcedens eorum vita & poſterior inquiratur, & ita eis impertiatur humanitas.

* *Græcis hîc incipit canon quintus.*

al. * converſationis.

CAPUT XXIX.

De lapſis.

Ex Concilio Nicæno, cap. XI. *ſub Sylveſtro. I.*

DE his qui præter neceſſitatem prævaricati ſunt, aut præter ablationem facultatum, aut præter periculum, vel aliquid hujuſmodi quod factum eſt ſub tyrannide Licinij; placuit Synodo quamvis humanitate probentur indigni, tamen eis benevolentiam commodari. Quicumque ergò veraciter pœnitudinem gerunt, tribus annis fideles inter audientes habeantur, & ſex * annis omni ſe contritione dejiciant, duobus autem annis ſine oblatione populo in oratione communicent.

al. * ſeptem.

CAPUT XXX.

De his qui abrenunciaverunt, & iterum ad sæculum sunt regressi.

Ex eodem Concilio, cap. XII.

QVICUMQUE vocati per gratiam primùm quidem impetum monstraverunt deponentes militiæ cingulum, postmodùm verò ad proprium vomitum sunt relapsi, ita ut quidam & pecunias tribuerent & beneficiis militiam repeterent: hi decem annis post triennij tempus quo inter audientes erunt in afflictione permaneant. Sed in his omnibus propositum & speciem pœnitentiæ convenit explorare: quotquot enim metu & lacrymis atque pœnitentia*, vel bonis operibus, rebus ipsis conversationem* suam non simulationem* demonstrant; hi definitum tempus auditionis implentes tum demum fidelibus in oratione communicent, postmodum verò licebit Episcopo de his aliquid humaniùs cogitare*. Quicumque verò indifferenter tulerunt, & habitum* introeundi Ecclesiam sibi arbitrati sunt, ad conversionem posse sufficere, hi definitum modis omnibus tempus impleant.

al. * patientia.
al. * conversionem.
al. * simulatione.
al. * consulere.
al. * aditum introeundi, *item* habitum non intreundi.

CAPUT XXXI.

De Catholicis in hæresim transeuntibus.

Ex Concilio heliberitano*, cap. XXII.

* *Sub Marcello*, I.

SI quis de Ecclesia Catholica ad hæresim transitum fecerit, rursúsque ad Ecclesiam recurrerit, placuit huic pœnitentiam non esse negandam, eo quòd cognoverit peccatum suum: qui etiam decem annis agat pœnitentiam, cui post decem annos præstari communio debet. Si verò infantes fuerint transducti quòd non suo vitio peccaverint, incunctanter recipi debent.

CAPUT XXXII.

Item ex Concilio Agathensi de eadem re, cap. LXI. *Circiter annum. 506. cap. LX.*

LAPSIS, id est qui in Catholica fide baptizati sunt, si prævaricatione damnabili pòst in hæresim transierint, grandem redeundi difficultatem sanxit antiquitas; quibus nos annorum multitudine breviatâ pœnitentiam biennij conditione infra scriptæ observationis imponimus, ut præscripto biennio tertia die* *al.* * biennio tertio; sine relaxatione jejunent, & ecclesiam studeant frequentare atque in pœnitentum loco, stando & orando humilitatem ita noverint observandam, ut etiam ipsi cùm cathecumeni egredi commonentur abscedant. Hoc si observare voluerint, constituto tempore admittendis ad altarium observatio relaxetur: quòd si arduum vel durum fortè putaverint, statuta præteritorum canonum implere debebunt.

CAPUT XXXIII.

Quòd hi qui ad iterationem baptismi vel vi vel timore coacti animos inclinarunt, poenitentiæ sint sublevandi remedio, ita ut senilis ætatis periculorum quoque & ægritudinum, ceterarúmque necessitatum habeatur sollicita consideratione respectus.

Ex Epistola Papæ Leonis ad Nicetam Aquileiensem Episcopum, cap. XLVII. *Leonis I. Epist. LXXIX. cap. VI.*

HI verò de quibus similiter dilectio tua nos credidit consulendos, qui ad iterandum baptismum vel metu * coacti vel errore * transducti sunt, & nunc *al.* * vi. *al.* * errore. se contra fidei Catholicæ Sacramentum egisse cognoscunt, ea est custodienda moderatio, quâ in societatem nostram nonnisi per pœnitentiæ remedium, &

per impoſitionem Epiſcopalis manus communionis recipiant unitatem, tempora poenitudinis habitâ moderatione, tuo conſtituenda judicio, prout converſorum animos inſpexeris eſſe devotos; pariter etiam habens ætatis ſenilis intuitum, & periculorum quorúmque aut ægritudinum reſpiciens neceſſitates: in quibus ſi quis ita graviter urgeatur, ut dum adhuc pœnitet de ſalute ipſius deſperetur, oportet ei per Sacerdotalem ſollicitudinem communionis gratiâ ſubveniri.

CAPUT XXXIV.

al. * recipiendi.

*Quòd Arrianorum Clerici non ſint ſuſcipiendi * in ſuis officiis, quamvis eorum baptiſma, quod Catholicum conſtat, confirmet Eccleſia.*

Ex Epiſtola XVIII. *cap.* 3.

Ex Epiſtola Papæ Innocentij ad Alexandrum Antiochenum Epiſcopum, cap. XLVII.

ARRIANOS præterea ceteràſque ejuſmodi peſtes, quia eorum laicos converſos ad Dominum ſub imagine pœnitentiæ ac ſancti Spiritus ſanctificatione per manus impoſitionem ſuſcipimus, non videtur Clericos eorum Sacerdotij aut miniſterij cujuſpiam ſuſcipere * dignitatem; quoniam quibus ſolùm baptiſma ratum eſſe permittimus, quod utique in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti perficitur, nec ſanctum Spiritum eos habere ex illo baptiſmate, illiſque myſterijs arbitramur; quoniam cùm à Catholica fide eorum auctores deſciſcerent, perfectionem Spiritus quam acceperant, amiſerunt: nec dare ejus plenitudinem poſſunt, quæ maximè in ordinationibus operatur, quam per impietatis ſuæ perfidiam potiùs quàm fidem dixerim, perdiderunt. Quomodo fieri poteſt, ut eorum profanos Sacerdotes dignos Chriſti honoribus arbitremur, quorum laicos imperfectos, ut dixi, ad ſancti Spiritus gratiam per-

al. * ſuſcipere debere.

cipiendam cum pœnitentiæ imagine recipiamus?

CAPUT XXXV.

Item ipſe de eadem re.

Ex epiſtola ad Rufum & Euſebium Epiſcopos, cap. III. *Ex Epiſtola* XXII. *ad Epiſcopos Macedoniæ.*

VENTUM eſt ad tertiam quæſtionem, quæ pro ſui difficultate longiorem exigit diſputationem, cùm nos dicamus ab hæreticis ordinatos vulneratum per illam manus impoſitionem habere caput, & ubi vulnus infixum eſt, medicina eſt adhibenda, quo * poſſit recipere ſanitatem; quæ ſanitas poſt vulnus ſecuta ſine cicatrice eſſe non poterit; atque ubi pœnitentiæ remedium neceſſarium eſt, illic ordinationis honorem locum habere non poſſe decernimus: nam ſi, ut legitur, *quod tetigerit immundus, immundum erit*, quomodò id ei tribuetur quod munditia ac puritas conſuevit accipere?

al. * ut *vel* qua

Num. 19.

CAPUT XXXVI.

De Epiſcopis qui hæreticos vel paganos heredes inſtituunt.

Ex Concilio Affricano *, cap. XLVIII. * *Vulgò dicto, ſeu ex collectione variorum canonum ex Conciliis Affricanæ provinciæ.*

ITEM conſtitutum eſt: ſi quis Epiſcopus heredes extraneos à conſanguinitate ſua vel hæreticos etiam conſanguineos, aut paganos Eccleſiæ prætulerit, ſaltem poſt mortem anathema ei dicatur, atque ejus nomen inter Dei Sacerdotes nullo modo recitetur; nec excuſari poſſit ſi inteſtatus defecerit * quia utique debuit factus Epiſcopus rei ſuæ ordinationem congruam ſuæ profeſſioni nequaquam differre.

al. * deceſſerit, qui

CAPUT XXXVII.

Non debere hæreticos in hæreſim permanentes Eccleſiam ingredi.

Ex Laodiceno Concil.

Ex Concilio Laodiciæ, cap. VI.

NON concedendum hæreticis ingreſſum domus Dei in hæreſi permanentibus.

CAPUT XXXVIII.

De hæreticis ſi in mortis diſcrimine convertantur.

Arauſ. I.

Ex Concilio Arauſico, cap. II.

Ex interpretat. Iſidori Mercatoris.

HÆRETICOS in mortis diſcrimine poſitos, ſi Catholici eſſe deſiderant, ſi deſit Epiſcopus, à Presbyteris cum chriſmate & benedictione conſignari placet.

CAPUT XXXIX.

De his qui terrore compulſi ſunt ut hæreticis communicarent, ſi ſe ab hæreticis ſeparare voluerint, ut ab Eccleſia catholica ſuſcipiantur.

Epiſt. XL. *cap.* II. *circa medium.*

Ex Epiſtola Papæ Leonis ad Anatholium Conſtantinopolitanum Epiſcopum.

al. * accuſari.

HI qui plenis ſatisfactionibus malè geſta condemnant & accuſare* magis ſe eligunt, quàm tueri, pacis & communionis noſtræ unitate lætentur, ita ut digno priùs anathemate quæ contra fidem Catholicam ſunt precepta damnentur. Aliter enim in Eccleſia Dei, quæ corpus eſt Chriſti, nec rata ſunt Sacerdotia, nec vera ſacrificia, niſi in noſtræ proprietate naturæ verus nos Pontifex reconciliat, verus immacualti agni ſanguis emundat. Nec aſperè igitur communionis noſtræ gratia deneganda eſt, nec temerè largienda.

CAPUT

CAPUT XL.

Quòd omnis cujuslibet ordinis Clericus, qui catholicam deserens hæreticæ se communioni miscuerit, si ad Ecclesiam reversus fuerit, in eo gradu quo erat sine promotione permaneat.

Ex Epistola Papæ Leonis ad Januarium * Aquileiensem Episcopum, cap. XIV. *Leonis I. Epistola. 3.* *al.* * Julianum.

AD animæ periculum pertinet, si quisquam de his qui à nobis in hæreticorum atque schismaticorum sectam delapsus est, se utcumque hæreticæ communionis contagione macularit, resipiscens in communione Catholica sine professione * legitimæ satisfactionis habeatur. *al.* * promotione. Saluberrimum enim & spiritalis medicinæ utilitate plenissimum est, ut sive Presbyteri, sive, Diaconi sive Subdiaconi, aut cujuslibet ordinis Clerici, qui se correctos videri volunt, atque ad Catholicam fidem, quam jampridem amiserant, rursum revertere ambiunt, priùs errores suos, & ipsos auctores errorum damnari à se sine ambiguitate fateantur. Vt sensibus pravis etiam peremptis nulla speranda * superfit occasio nec illud * membrum talium possit societate violari, cùm per omnia illis professio propria cœperit obviare. *al.* * sperandi. *al.* * ullum. Circa quos etiam illam Canonum constitutionem præcipimus custodiri, ut in magno habeant beneficio, si adempta sibi omni spe promotionis, in quo inveniuntur ordine, stabilitate maneant perpetua: si tamen iterata tinctione non fuerint maculati: non levem apud Dominum noxam incurrit, qui de talibus ad sacros promovendos ordines judicarit. Quòd si cum grandi examinatione promotio conceditur inculpatis, multò magis non debet licere suspectis.

CAPUT XLI.

De his qui cum hæreticis nuptiarum copulam jungunt.

Ex Concilio Laodiciæ * cap. x. & xxx.

** Sub Sylvestro seu Liberio. Dionys. exiguo interpr.* * *sequentia ex cap.* XXXI. *sicut ea quæ præcedunt.* CXX. *al.* * Christianos.

QVÒD non oporteat indifferenter Ecclesiasticos fœdere nuptiarum hæreticis suos filios filiàsque conjungere, sed * magis accipere, si tamen Catholicos * se fieri promittant.

CAPUT XLII.

Ab hæreticis eulogias accipere non debere.

Ex eodem Concilio, cap. XXXII.

NON oportet ab hæreticis eulogias accipere, quæ sunt maledictiones potiùs quàm benedictiones : * neque cum hæreticis aut schismaticis pariter orare.

* *ex cap.* XXXIII.

CAPUT XLIII.

De Episcopis vel sequentibus ordinibus, qui sacrosancta mysteria contractant, placuit ab uxoribus abstinere.

Ex codice can. Affricanæ Ecclesiæ cap. XXV.

Ex Concilio Carthaginensi, cap. XXV.

ex Cartah. V. *cap.* 3.

AVRELIUS Episcopus dixit : Addimus, fratres charissimi, præterea cùm de quorumdam Clericorum, quamvis Lectorum erga uxores proprias incontinentia referretur, placuit quod & in diversis Conciliis firmatum est, ut Subdiaconi qui sacra mysteria contractant, & Diaconi & Presbyteri, sed & Episcopi secundùm propria * statuta etiam ab uxoribus se contineant, ut tamquam non habentes videan-

al. * priora *vel* priorum.

tur esse. Quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur officio. Ceteros autem Clericos ad hoc non cogi nisi maturiori ætate. Ab universo Concilio dictum est: Quæ vestra sanctitas est justè moderata, & sancta, & Deo placita sunt, confirmamus.

CAPUT XLIV.

De his qui ad honorem Presbyterij sine examine provecti sunt.

Ex Concilio Nicæno, cap. IX. *Sub Sylvestro. I.*

SI qui Presbyteri sine examine sunt provecti, vel cum discuterentur peccata sua confessi sunt, & homines contra Canones commoti manus confessis imponere tentaverint, tales regula non admittit, quia quod irreprehensibile est Catholica deffendit Ecclesia.

CAPUT XLV.

De Presbyteris qui uxores acceperunt, vel fornicati sunt.

Ex Concilio Neocæsariensi, cap. I. *Sub Sylvestro. I.*

PRESBYTER si uxorem acceperit ab ordine deponatur. Si verò fornicatus fuerit, aut adulterium perpetraverit, ampliùs pelli debet, & ad pœnitentiam redigi.

CAPUT XLVI.

De Diaconis similiter.

Ex eodem Concilio, cap. X.

SIMILI modo etiam Diaconus si eodem peccato subcubuerit, ab ordine ministerii subtrahatur.

CAPUT XLVII.

Ex Concilio Eliberit. sub Marcello. I. cap. 76.

De Diaconis si antè honorem peccare probantur.

al. * Si quis Diaconum.

QVISQUIS * Diaconus se permiserit ordinari, & postea fuerit detectus in crimine mortis, quod aliquando commiserit, si spontè fuerit confessus, placuit eum actâ legitimâ pœnitentiâ post triennium accipere communionem. Quòd si alius eum detexerit, post quinquennium acceptâ pœnitentiâ accipere communionem laicam debere.

CAPUT XLVIII.

De Monachis & Virginibus propositum non servantibus.

Ex epistola Papæ Syricij ad Hymerium Episcopum Terraconensem, cap. VI.

al. * Monacharum.

PRÆTEREA Monachorum quosdam atque Monialium * abjecto proposito sanctitatis in tantam protestaris demersos esse lasciviam, ut priùs clanculo velut sub monasteriorum prætextu illicita ac sacrilega se contagione miscuerint: posteà verò in abruptum conscientiæ desperatione perducti de illicitis complexibus liberè filios procrearint, quod & publicæ leges & Ecclesiastica jura condemnant. Has igitur impudicas detestabilesque personas à Monasteriorum cœtu Ecclesiarúmque conventibus eliminandas esse mandamus, quatenus retrusæ in suis ergastulis tantum facinus continua lamentatione deflentes purificatorio possint pœnitudinis igne decoquere, ut eis vel ad mortem saltem solius misericordiæ intuitu per communionis gratiam possit indulgentia subvenire.

CAPUT XLIX.

De subintroductis mulieribus.

Ex Concilio Nicæno, cap. III. *Nicæno.* I.

INTERDIXIT per omnia magna Synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omninò qui in clero est licere subintroductam habere mulierem, nisi fortè matrem, aut sororem, aut amitam vel eas tantùm personas quæ suspiciones * effugiunt. *al.* * omnem suspicionem.

CAPUT L.

De Clericis & Monachis non manentibus in suo proposito.

Ex Concilio Calcedonensi, cap VII. *Sub Leone.* I.

QVI semel in clero deputati sunt, aut Monachorum vitam expetiverunt * statuimus neque ad militiam, neque ad dignitatem aliquam venire mundanam *, aut hoc tentantes & non agentes pœnitentiam quominus * redeant ad hoc quod propter Deum primitùs elegerunt, anathematizari. *al.* * egerunt. *al.* * sæcularem. *al.* * ita ut

CAPUT LI.

De clericis qui sunt in ptochiis, Monasteriis atque Martyriis, quæ sub potestate Episcoporum uniuscujusque civitatis existunt.

Ex eodem Concilio, cap. VIII.

CLERICI qui præficiuntur ptochiis *, vel qui ordinantur in monasteriis & basilicis martyrum, sub Episcoporum qui in unaquaque civitate sunt, secundùm sanctorum Patrum traditiones potestate *al.* * dispensationi pauperum seu ptochiis.

permaneant; nec per contumaciam ab Episcopo suo dissiliant. Qui verò audent evertere hujuscemodi formam quocumque modo, nec proprio subijciuntur Episcopo; si quidem Clerici sunt Canonum correptionibus * subjaceant, si verò laici, vel monachi fuerint communione priventur.

al. * censuris *item* damnationi sive ultionibus.

CAPUT LII.

De virginibus vel monachis.

Ex eodem Concilio, cap. XVI.

VIRGINEM quæ se Domino Deo consecravit, similiter & monachum, non licere nuptialia jura contrahere: quòd si hoc inventi fuerint perpetrantes excommunicentur*. Confitentibus autem decrevimus ut habeat auctoritatem ejusdem loci Episcopus misericordiam humanitatemque largiri.

al. * sint excommunicati.

CAPUT LIII.

De his qui fornicantur irrationabiliter, id est qui miscentur pecoribus, aut cum masculis polluuntur.

Ex Ancyrano, I.

Ex Concilio Anchirano, cap. XV.

DE his qui irrationabiliter versati sunt, sive versantur, quotquot ante vicesimum annum tale crimen commiserint, quindecim annis exactis in pœnitentia communionem mereantur orationum, deinde quinquennio in hac communione durantes, tunc demum oblationis sacramenta contingant. Discutiatur autem & vita eorum qualis tempore pœnitudinis extiterit, & ita misericordiam consequantur. Quòd si inexplebiliter his hæsere criminibus, ad agendam pœnitentiam prolixius tempus insumant. Quotquot autem peracta viginti annorum ætate, & uxores

habentes hoc peccato prolapsi sunt, viginti quinque annis pœnitudinem gerentes in communionem suscipiantur orationum, in qua quinquennio perdurantes tunc demum oblationis sacramenta percipiant. Quòd si qui & uxores habentes & transcedentes quinquagesimum annum ætatis ita deliquerint, ad exitum vitæ communionis gratiam consequantur.

CAPUT LIV.

De his qui in pecudes, vel in masculos, vel olim polluti sunt, vel hactenùs hoc vitio tabescunt.

Ex eodem Concilio, cap. XVI.

EOs qui irrationabiliter vixerint, & leprâ injusti* criminis alios polluerint, præcepit sancta Synodus inter eos orare qui spiritu periclitantur immundo.

al. * inusti.

CAPUT LV.

De his qui adulteras habent uxores, vel si ipsi adulteri comprobantur.

Ex eodem Concilio, cap. XIX.

SI cujus uxor adulterata * fuerit, vel si ipse adulterium commiserit, septem annorum pœnitentiâ oportet eum perfectionem consequi secundùm pristinos gradus.

al. * adultera.

CAPUT LVI.

De his qui partus suos ex fornicatione diversis modis interimunt.

Ex eodem Concilio, cap. XX.

DE mulieribus quæ fornicantur & partus suos necant, vel quæ agunt secum ut utero con-

ceptos excutiant, antiqua quidem deffinitio uſque ad exitum vitæ eas ab Ecclesia removet: humaniùs autem nunc diffinimus, ut eis decem annorum tempus ſecundùm præfixos gradus pœnitentiæ largiamur.

CAPUT LVII.

De his qui virginum corruptionibus conſcij ſunt.

Ex eodem Concilio, cap. XXIV.

QVIDAM ſponſam habens ſororem ejus violavit, & gravidam reddidit; poſtmodùm deſponſatam ſibi duxit uxorem; illa verò quæ corrupta eſt laqueo ſe peremit: hi qui fuerunt conſcii poſt decennem ſatisfactionem juſſi ſunt ſuſcipi ſecundùm gradus pœnitentiæ conſtitutos.

CAPUT LVIII.

ſub Sylveſtro vel ut aliis placet ſub Liberio circa. 364. Interp. Dionyſ. exiguo.

Vt natalitia vel nuptiæ in Quadrageſima non fiant.

Ex Concilio Laodiciæ, cap. LII.

QVÒD non oporteat in Quadrageſima aut nuptias, aut natalitia celebrari.

CAPUT LIX.

Vt in Chriſtianorum non ſaltetur nuptiis.

Ex eodem Concilio, cap. LIII.

QVÒD non oporteat Chriſtianos euntes ad nuptias plaudere, vel ſaltare, ſed venerabiliter cœnare vel prandere ſicut Chriſtianos decet.

CAPUT

CAPUT LX.

De parentibus qui fidem ſponſaliorum frangunt.

Ex Concilio Heliberitano, cap. LIV. *Anno. 305. ſub Marcello. I.*

SI qui parentes fidem fregerint ſponſaliorum, triennii tempore * abſtineantur, ſi tamen iidem ſponſus vel ſponſa in gravi crimine fuerint deprehenſi, excuſati erunt parentes. *al.* * abſtineant ſe à communione.

CAPUT LXI.

Qualiter ſponſus & ſponſa benedicantur, & de caſtimonia eorum tempore nuptiarum.

Ex Concilio Carthaginenſi, cap. XIII. *Carthag. IV.*

SPONSUS & ſponſa cùm benedicendi ſunt à Sacerdote, à parentibus ſuis vel à paranymphis offerantur, qui cùm benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipſius benedictionis in virginitate permaneant.

CAPUT LXII.

Quòd aliud ſit uxor, aliud concubina, nec erret quiſquis filiam ſuam in matrimonium concubinam habenti tradiderit.

Ex epiſtola Papæ Leonis ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum, cap. XVIII. *Epiſt. XCII. Inquiſit. & reſp. IV.*

NON omnis mulier viro juncta uxor eſt viri, quia nec omnis filius heres eſt patris: nuptiarum autem fœdera inter ingenuos ſunt legitima, & inter æquales: multo priùs hoc ipſum Domino conſtituente, quàm initium Romani juris exiſteret. Itaque aliud

eſt uxor, aliud concubina, ſicut aliud ancilla aliud libera: propter quod etiam Apoſtolus ad manifeſtandam harum perſonarum diſcretionem teſtimonium ponit ex geneſi, ubi dicitur Abrahæ: Ejice ancillam & filium ejus; non enim heres erit filius ancillæ cum filio meo Iſaac. Vnde cùm ſocietas nuptiarum ita ab initio conſtituta ſit, ut præter ſexuum conjunctionem haberet in ſe Chriſti & Eccleſiæ Sacramentum, dubium non eſt eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuiſſe myſterium *. Igitur cujuslibet loci Clericus ſi filiam ſuam viro habenti concubinam in matrimonium dederit, non ita accipiendum eſt quaſi eam conjugato dederit, niſi fortè illa mulier & ingenua facta & dotata legitimè, & publicis nuptiis honeſtata videatur. Paterno arbitrio viris junctæ carent culpa, ſi mulieres quæ à viris habebantur in matrimonio non fuerunt, quia aliud eſt nupta, aliud concubina.

al. * miniſterium.

CAPUT LXIII.

Quòd non ſit conjugij duplicatio, quando ancillâ relictâ uxor adſumitur.

Ex eadem Epiſtola, cap. XIX.

Inquiſit. & reſp. VI.

ANCILLAM à thoro abjicere, & uxorem certæ ingenuitatis accipere, non duplicatio conjugij, ſed profectus eſt honeſtatis. * Culpanda eſt ſanè talium negligentia, ſed non penitus deſperanda *, ut crebris exhortationibus incitati, quod neceſſariè expetierint fideliter exequantur. Nemo enim deſperandus eſt dum in hoc corpore conſtitutus eſt, quia nonnumquam quod diffidentiâ ætatis differtur, conſilio maturiori perficitur.

* *Hic incipit. Inquis.* VII.
al. * diſcutienda *vel* deſerenda.

CAPUT LXIV.

Quòd debeant feminæ, quæ captis viris nupſe-

rant aliis, regreſsis de captivitate viris prioribus copulari, ut quod ſuum eſt unus quiſque recipiat.

Ex epiſtola Papæ Leonis ad Nicetam Aquileienſem Epiſcopum, cap. XLII. *Leonis.* I. *Epiſt.* LXXIX.

CUM ergo per bellicam cladem, & per graviſſimos hoſtilitatis incurſus, ita quædam dicatis diviſa eſſe conjugia, ut abductis in captivitatem viris feminæ eorum remanſerint deſtitutæ, quæ viros proprios aut interemptos putarent, aut numquam à dominatione crediderint liberandos, & in aliorum conjugium ſolitudine * cogente tranſierint. Cùmque nunc ſtatu *al.* * ſolicitudine. rerum auxiliante Domino in meliora converſo, nonnulli eorum qui putabantur periiſſe remearint, meritò charitas tua videtur ambigere quid de mulieribus, quæ aliis junctæ ſunt viris, à nobis debeat ordinari. Sed quia novimus ſcriptum quod à Domino jungitur *Proverb.* 19. mulier viro; & iterum præceptum agnovimus: *ut quod* *Math.* 19. *Deus junxit, homo non ſeparet.* Neceſſe eſt ut legitimarum fœdera nuptiarum redintegranda credamus, & remotis malis quæ hoſtilitas intulit, unicuique id quod legitimè habuit reformetur, omníque ſtudio procurandum eſt ut recipiat unuſquiſque quod proprium eſt.

CAPUT LXV.

Quòd non probetur eſſe culpabilis, qui uxorem capti in matrimonio videtur eſſe ſortitus.

Ex eadem epiſtola, cap. * XLIII. * *Cap.* II.

NEC tamen culpabilis judicetur & tamquam alieni juris pervaſor habeatur qui perſonam ejus mariti, qui * jam non eſſe æſtimabatur, adſumpſit. Si enim *al.* * quia multa quæ ad eos, qui in captivitatem ducti ſunt, pertinebant, in jus alienum tranſire potuerint, & tamen

plenum justitiæ est, ut iisdem reversis propria reformentur. Quod si in mancipiis vel in agris aut etiam in domibus ac possessionibus ritè servatur, quanto magis in conjugiorum redintegratione faciendum sit, ut quod bellica necessitate turbatum est, pacis remedio reformetur?

CAPUT LXVI.

Vt si viri de captivitate regressi intemperantia uxorum offensi non fuerint, & voluerint eas in conjugium recipere, liberam habeant facultatem.

* Cap. III.

Ex eadem epistola, cap. * XLIV.

ET ideò si viri post longam captivitatem reversi ita in dilectione suarum conjugum perseverant, ut eas cupiant in suum redire consortium, omittendum est & inculpabile judicandum quod necessitas intulit, & restituendum quod fides poscit.

CAPUT LXVII.

Vt si mulieres ad priores maritos redire noluerint, velut impiæ ecclesiastica communione privandæ sunt.

* Cap. IV.

Ex eadem epistola, cap. * XLV.

SI autem aliquæ mulieres ita posteriorum virorum amore sunt captæ, ut malint his cohærere, quàm ad legitimum redire consortium, meritò sunt notandæ, ita ut etiam Ecclesiastica communione priventur, quæ * de re excusabili contaminationem criminis elegerunt, ostendentes sibimet pro sua incontinentia placuisse, quod justa remissio poterat expiare. Redeant ergo in suum statum voluntaria redintegratione

al. * quia inexcusabiliter contaminationem.

conjugia, neque ullo modo ad opprobrium malæ voluntatis trahatur, quod conditio neceſſitatis extorſit; quia ſicut hæ mulieres, quæ revertere ad viros ſuos nolunt, impiæ ſunt habendæ, ita illæ quæ in affectum ex Deo initum redeunt meritò ſunt laudandæ.

CAPUT LXVIII.

Quòd non liceat alterius ſponſam ad matrimonii jura ſortiri.

Ex epiſtola Papæ Syricij ad Hymerium Terraconenſem Epiſcopum, cap. IV.

DE conjugali autem violatione * requiſiſti, ſi deſponſatam alij puellam alter in matrimonium poſſit accipere. Hoc ne fiat modis omnibus inhibemus, quia illa benedictio quam nupturæ Sacerdos imponit apud fideles cujuſdam ſacrilegij inſtar eſt, ſi ulla tranſgreſſione violetur.

al. * vetatione.

CAPUT LXIX.

De raptoribus.

Ex epiſtola Papæ Symmachi ad Cæſarium, cap. III.

Arelatenſem Epiſ. cap. IV.

RAPTORES igitur viduarum, vel virginum, ob immanitatem tanti facinoris deteſtamur, illos vehementiùs perſequendo, qui ſacras * virgines vel volentes vel invitas matrimonio ſuo ſociare tentaverint; quos pro tam nefandiſſimi criminis atrocitate à communione ſuſpendi præcipimus.

al. * Deo ſacratas.

CAPUT LXX.

De his qui rapiunt puellas.

Ex Concilio Calcedonenſi, cap. XXVII.

Sub Leone. I.

EOs qui rapiunt mulieres ſub * nomine ſimul habitandi, cooperantes aut conniventes raptoribus

al. * hoſpitalis ſolatij nomine.

decrevit sancta Synodus, ut si quidem Clerici sunt decidant gradu proprio, si verò laici anathematizentur.

CAPUT LXXI.

De desponsatis puellis & ab aliis corruptis.

Ex Ancyr. 1. sub Sylvestro. 1.

Ex Concilio Ancyrano, cap. x.

DESPONSATAS puellas, & pòst ab aliis raptas, placuit erui & eis reddi quibus antè fuerant desponsatæ, etiam si eis à raptoribus vis inlata constiterit.

CAPUT LXXII.

De raptoribus si ad Ecclesiam confugerint.

Aurelian.1.

Ex Concilio Aurelianensi, cap. 11.

DE raptoribus autem id constituendum esse censuimus, ut si ad Ecclesiam raptor cum rapta convenerit, & feminam ipsam violentiam pertulisse constiterit, statim liberetur de potestate raptoris, & raptor mortis vel pœnarum impunitate concessa, aut serviendi conditioni subjectus sit, aut redimendi se liberam habeat facultatem. Si verò quæ rapitur patrem habere constiterit, & puella raptori * consenserit, potestate * patris excusata reddatur, & raptor à patre superioris conditionis satisfactione teneatur obnoxius.

al. * raptori aut rapienda aut rapta.
al. * potestati.

CAPUT LXXIII.

Quòd hi qui intercedente repudio divortium pertulerunt, aliisque se junxerint nuptiis, adulteri esse monstrentur.

Innoc. 1. epist. 3.

Ex epistola Papæ Innocentij ad Exuperium Tolosanum Episcopum, cap. vi.

DE his etiam requisivit dilectio tua, qui interveniente repudio alij se matrimonio copularunt,

quos in utraque parte adulteros esse manifestum est. Qui * verò & uxore vivente, quamvis dissociatum esse videatur conjugium, ad aliam tamen copulam festinarunt, neque possunt adulteri non videri, in tantum ut etiam hæ personæ, quibus tales conjuncti sunt, etiam ipsæ adulterium commisisse videantur; secundùm illud quod legimus in Evangelio: *Qui dimiserit uxorem suam, & duxerit aliam, mæchatur: Similiter & qui dimissam duxerit, mæchatur.* Et ideò omnes * à communione fidelium abstinendos. De parentibus autem aut de propinquis eorum nihil tale statui potest, nisi si incentores inliciti consortij fuisse detegantur.

al. * qui ergo *vel* quæ, viro, vel.

Math. 19.

* *al.* tales.

CAPUT LXXIV.

De his qui uxores, aut quæ viros dimittunt, ut sic maneant.

Ex Concilio Africano, * cap. LXIX.

PLACUIT ut secundùm Evangelicam & Apostolicam disciplinam neque dimissus ab uxore, neque dimissa à marito alteri conjungantur, sed ita maneant aut sibimet reconcilientur. Quòd si contempserint, ad pœnitentiam redigantur; in qua causa legem Imperialem petendam promulgavi.

* *vulgo dicto seu collectione variorum canon. è Conciliis Africanæ provinciæ.*

CAPUT LXXV.

De feminis quæ relictis viris suis aliis nubunt.

Ex Concilio Heliberitano, cap. VIII.

ITEM feminæ quæ nullâ præcedente causâ reliquerint viros suos, & alteri se copulaverint *, nec in fine accipiant communionem.

Sub Marcello. I.

al. * & in hoc permanere voluerint, nec &c.

CAPUT LXXVI.

De feminis quæ adulteros relinquunt, & aliis nubunt.

Ex Concilio quo ſupra, cap. IX.

ITEM femina fidelis, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, & alterum ducit, prohibeatur nè ducat; ſi autem duxerit, non priùs accipiat communionem, quàm is quem reliquit de ſæculo exierit, niſi fortè neceſſitas infirmitatis dare compulerit.

CAPUT LXXVII.

De ſæcularibus, ut ſine judicio Epiſcopi culpabiles conjuges non relinquant.

Circiter annum 506. cap. XXV.

Ex Concilio Agathenſi, cap. XXVI.

al. * hoc verbum

HI verò ſæculares qui conjugale conſortium nulla * culpa graviore dimittunt, vel etiam dimiſerunt, & nullas cauſas diſcidii probabiliter proponentes, propterea ſua matrimonia dimittunt, ut aut aliena aut illicita præſumant. Si antequam apud Epiſcopum * comprovincialem diſcidij cauſam dixerint, & priús uxores quàm judicio damnentur abjecerint, à communione Eccleſiæ, ac * ſancti populi cœtu pro eo quod fidem conjugij maculant excludantur.

al. * Epiſcopos comprovinciales cauſas. *al.* * ſancto.

CAPUT LXXVIII.

De multinubis.

Sub Sylveſtro an. 314.

Ex Concilio Neocæſarienſi, cap. III.

DE his qui in plurimas nuptias inciderunt, tempus quidem præfinitum manifeſtum eſt, ſed converſatio eorum & fides tempus adbreviat.

CAPUT LXXIX.

De virginibus ſæcularibus ſi mæchaverint.

Sub Marcello. I.

Ex Concilio Heliberitano, cap. XIV.

VIRGINES

VIRGINES quæ virginitatem ſuam non cuſtodierint, ſi eoſdem qui eas violaverint maritos * acceperint ; eo quòd ſolas nuptias violaverint, poſt anni unius pœnitentiam reconciliari debebunt ; vel ſi alios cognoverint viros, eo quòd mœchatæ ſunt, placuit per quinquennii tempora actâ legitimâ pœnitentiâ admitti eas ad communionem oportere.

*al. * duxerint & tenuerint maritos.*

CAPUT LXXX.

De bigamis.

Ex Concilio Laodiciæ, cap. I.

Sub Silveſtro vel potiùs Liberio. Interp. Dion. exiguo.

DE his qui ſecundùm Eccleſiaſticam regulam liberè ac legitimè ſecundis nuptiis juncti ſunt, nec occultè nuptiarum copulam fregerunt *, oportet ut parvo tempore tranſacto vacent orationibus & jejuniis, quibus etiam juxta indulgentiam communionem reddi decrevimus.

*al. * fecerunt.*

CAPUT LXXXI.

De eo qui uxorem habet, ſi concubinam habuerit, ut non communicet.

Ex Concilio Toletano, cap. XVII.

Ex Toletano primo.

CETERUM is qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, à communione non repellatur ; tantùm ut unius mulieris, aut uxoris, aut concubinæ, ut ei placuerit, ſit conjunctione contentus. Aliàs verò vivens abjiciatur, donec deſinat, & ad pœnitentiam revertatur.

CAPUT LXXXII.

De eo qui uxorem habens ſæpiùs mœchatur.

Ex Concilio Heliberitano, cap. XLVII.

Si quis fidelis habens uxorem non ſemel ſed ſæpe fuerit mœchatus, in fine mortis eſt conveniendus; quòd ſi ſe promiſerit ceſſaturum, detur ei communio; ſi reſuſcitatus rurſùs fuerit mœchatus, placuit ulteriùs non ludere eum de communione pacis.

CAPUT LXXXIII.

De viris conjugatis poſtea in adulterium lapſis.

Ex Concilio quo ſupra, cap. LXIX.

Si quis fortè habens uxorem ſemel fuerit lapſus, placuit eum quinquennium agere de ea re pœnitentiam, & ſic reconciliari; niſi neceſſitas infirmitatis coegerit ante tempus dare communionem. Hoc & circa feminas obſervandum.

CAPUT LXXXIV.

Quòd viri cum adulteris uxoribus non conveniant.

Epiſtola 3. Innoc. 1.

Ex epiſtola Papæ Innocentij ad Exſuperium, cap. IV.

Et illud deſiderandum eſt ſciri, cur communicantes viri cum adulteris uxoribus non conveniant, cùm contra uxores in conſortium adulterorum virorum manere videantur. Super hoc chriſtiana religio adulterium in utroque ſexu pari ratione condemnat; ſed viros ſuos mulieres non facilè de adulterio accuſant, & non habent latentia peccata vindictam: viri autem liberiùs uxores adulteras apud Sacerdotes deferre conſueverunt: & ideò mulieribus prodito earum crimine communio denegatur; virorum autem latente commiſſo non facilè quiſquam ex ſuſpicionibus abſtinetur: qui utique ſubmovebitur, ſi ejus flagitium detegatur. Cùm ergo par cauſa ſit, interdum probatione ceſſante vindictæ ratio conquieſcit.

CAPUT LXXXV.

De mulieribus quæ lenocinium fecerint.

Ex Concilio Heliberitano, cap. XII.

MATER * vel parens, vel quælibet fidelis, si lenocinium exercuerit, eo quòd alienum vendiderit corpus vel potiùs suum, placuit eam nec in fine accipere communionem. *al. * pater.*

CAPUT LXXXVI.

De feminis quæ conscijs maritis adulterant.

Ex Concilio quo supra, cap. LXX.

SI conscio marito uxor fuerit mœchata, placuit nec in fine dandam ei esse communionem: si verò eam reliquerit, post decem annos accipiat communionem.

CAPUT LXXXVII.

De fidelibus conjugatis si cum Iudæa vel Gentili mœchaverint.

Ex Concilio quo supra, cap. LXXVIII.

SI quis fidelis habens uxorem cum Judæa vel Gentili fuerit mœchatus, à communione arceatur: quòd si alius eum detexerit, post quinquennium actâ legitimâ pœnitentiâ poterit dominicæ sociari communioni.

Ex capitulis Martini Bracarensis Episcopi, ex Orientalium præsertim Synodis collectis, cap. LXXVI.

CAPUT LXXXVIII.

Ex Concilio Bracarensi, cap. LXXIV.

SI cujus uxor adulterium fecerit, aut vir in alienam uxorem inruerit, septem annis pœnitentiam agat.

CAPUT LXXXIX.

De his quæ duobus fratribus nupſerint, vel qui duas ſorores acceperint.

Ex Concilio Neocæſarienſi, cap. II.

Sub Silveſtro an. 314.

MULIER ſi duobus fratribus nupſerit, abjiciatur uſque ad mortem : verumtamen in exitu propter miſericordiam ſi promiſerit quòd facta incolumis hujus conjunctionis vincla diſſolvat, fructum pœnitentiæ conſequatur : quòd ſi defecerit mulier, aut vir in talibus nuptiis, difficilis erit pœnitentia in vita permanenti.

CAPUT XC.

De inceſtis, ut quamdiu in ſcelere ſunt, inter cathecumenos habeantur.

Ex Concilio Hilardenſi, cap. IV.

Ilerdenſi, tempore Iohannis Papæ, circiter. 524.

al. * inceſta.

DE his qui ſe inceſti * pollutione commaculant, placuit, ut quouſque in ipſo deteſtando & inlicito carnis contubernio perſeverant, uſque ad Miſſam tantùm cathecumenorum in Eccleſia admittantur; cum quibus etiam nec cibum ſumere ullum Chriſtianorum, ſicut Apoſtolus juſſit, oportet.

CAPUT XCI.

De his qui proximis ſe copulant, ut à communione Chriſti ſeparentur.

Ex Concilio Toletano, cap. V.

Ex Tolet. 2.

NAM & hæc ſalubriter præcavenda ſancimus, nè quis fidelium propinquam ſanguinis ſui uſquequo affinitatis liniamenta generis ſucceſſione cognoſcit, in matrimonio ſibi deſideret copulari : quoniam

ſcriptum eſt : *Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedat, ut revelet turpitudinem ejus.* Nec ſine denuntiatione fit ſententiæ. Nam paulò pòſt infert & dicit : *Anima quæ fecerit de abominationibus iſtis quidpiam, peribit de medio populi ſui.* Si quis ergo hujus decreti temerator extiterit, ac vetitum violare præſumpſerit, tantò graviori ſe mulctandum ſententia recognoſcat; quantò & propinquiorem cui ſe copulari maluit, ſuæ originis eſſe non ambigat ; tantóque annoſioris excommunicationis tempore à Chriſti corpore ac fraternitatis conſortio ſequeſtretur, quantò fuerit propinquioris ſanguinis contagione pollutus. Hujus inſtitutionis regulam, cui * ſubſcribimus, irrefragabili auctoritate nos ſpondemus ſervaturos. Si quis autem tam noſtrum vel eorum qui nunc ſanctæ Synodo ex hac provincia defuerunt, huic tam ſalubri ordinationi obviare præſumpſerit, vel ſollerter adimplere neglexerit, convictus totius fraternæ charitatis aliquando habeatur extraneus.

Levit. 18.

al. * quam, *vel* cui.

CAPUT XCII.

De inceſtis conjunctionibus ; & vidua vel virgine in uxore furata : & de ariolis & aruſpicibus.

Ex Concilio Agathenſi * cap. LXI.

* An. 506.

DE inceſtis conjunctionibus nihil prorſus veniæ reſervamus, niſi cùm adulterium ſeparatione ſanaverint : inceſtos verò nullo conjugij nomine deputandos, quos etiam deſignare funeſtum eſt, hos eſſe cenſemus. Si quis relictam fratris, quæ pene priùs ſoror extiterat, carnali conjunctione [a] violaverit : Si quis frater germanam [b] uxoris accipiat. Si quis novercam duxerit : Si quis conſobrinæ [c] ſe ſociet : [d] quod ita præſenti tempore prohibemus, [e] ut ita ea quæ ſunt ante nos inſtituta non diſſolvamus. Si quis relictæ vel

al. [a] polluerit.
al. [b] acceperit uxorem.
al. [c] ſociaverit.
[d] In reliquis eſt tranſpoſitio & omiſſio nonnullorum.
al. [e] Vt ea quæ ſunt hactenus.

filiæ avunculi miſceatur, aut patrui filiæ vel privignæ ſuæ conjugio polluatur [f]. Sanè quibus conjunctio inlicita interdicitur habebunt ineundi melioris conjugii libertatem.

[f] Aut qui ex propria conſanguinitate aliquam aut quam conſanguinem habuit concubitu polluat, aut duxerit uxorem; quos omnes & olim, atque ſub hac conſtitutione inceſtos eſſe non dubitamus, & inter cathecumenos uſque ad legitimam ſatisfactionem manere & orare præcipimus: quod ita præſenti tempore prohibemus, ut ea quæ ſunt hactenus inſtituta non diſſolvamus.

Gregorius ſanctiſſimus ac beatiſſimus Papa dixit.

DEo verò favente ſollicitudine nimia freti animæquiori mente divino juvamine pro ſalute omnium ſtudere debemus, ut inconfuſo vultu non de fraude cujuſquam perculſi adſiſtere æterno judici mereamur, & vocem audire inquientem: *Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.* Hinc namque eſt, quod ingemiſcens dico, quia populi Chriſtiani aliquos per provinciam Italiam hanc commorantes audio temerè contra Catholicam fidem & Patrum ſtatuta agere * (*al.* * patrare.); ita ut Deo ſacratas feminas ducere præſumant mulieres, & propinquas conjugio ſocient: quod opportunum eſt ſpiritali amputari mucrone, atque ſi veſtræ placet ſanctitati radicitùs evelli, ne ſeges boni agricolæ zizaniorum * (*al.* * iniquorum.) mixta horrentibus fructatis ſordeſcat. Et infra:

I. Si quis Presbyteram * (*al.* * Presbyterum.) duxerit in conjugio, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit.

II. Si quis Diaconum * (*al.* * Si quis Presbyter vel Diaconus duxerit uxorem.) duxerit in conjugio, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit *. (* *Et ſic deinceps in ſequentibus canonibus: quod in edit. non reperitur.*)

III. Si quis Monacham, quam Dei ancillam appellant, in conjugio duxerit, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit.

IV. Si quis conmatrem ſpiritalem duxerit in conjugio, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit.

V. Si quis fratris uxorem duxerit in conjugio, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit.

VI. Si quis neptem duxerit in conjugio, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit.

VII. Si quis novercam aut nurum ſuam duxerit in conjugio, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit.

VIII. Si quis conſobrinam duxerit in conjugio, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit.

IX. Si quis de propria cognatione, vel quam * cognatus habuit, duxerit uxorem, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit. *al.* * *in edit.* in qua.

X. Si quis viduam * furatus fuerit in uxorem, vel conſentiens ei, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit. *Item* *, virginem rapuerit vel.

XI. Si quis virginem, niſi * deſponſaverit, furatus fuerit in uxorem, & conſentientibus * ei, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit. *al.* * quam ſibi non. *al.* * vel conſentiens ei *aut* cum conſentientibus & una cum ſibi faventibus.

XII. Si quis ariolos, aruſpices, vel incantatores obſervaverit, aut phylacteriis uſus fuerit, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit.

CAPUT XCIII.

De his qui divinationes expetunt.

Ex Concilio Ancyrano, cap. XXIII. *Ancyr. I.*

QVI divinationes expetunt, & morem gentilium ſubſequuntur; aut in domos ſuas hujuſcemodi homines introducunt exquirendi aliquid arte malefica, aut expiandi cauſa, ſub regula quinquennii jaceant ſecundùm gradus pœnitentiæ definitos.

CAPUT XCIV.

De divinis & ſortilegis.

Ex Concilio Bracarenſi, cap. XX. *Ex capitulis Martini Bracarenſis, cap.* LXXI.

SI quis paganorum consuetudinem sequens divinos & sortilegos in domum suam introduxerit, quasi ut malum foras mittant, aut maleficia inveniant, vel lustrationes paganorum faciant; quinque annis pœnitentiam agant.

CAPUT XCV.

De eo quòd non liceat Christianis observationes diversas adtendere.

* cap. LXXII.

Ex Concilio quo supra, cap. XXI. *

al. * tenere tradit. gentil. & observare.

NON liceat Christianis traditiones * gentilium observare, vel colere elementa, aut lunæ aut stellarum cursum, aut inanem signorum fallaciam pro domo facienda, vel propter segetes vel arbores plantandas, vel conjugia socianda. Scriptum est enim: *Omnia quæ facitis aut in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri* JESU CHRISTI *facite, gratias agentes Deo.*

Coloss. 3.

CAPUT XCVI.

* cap. LXXIV.

Ex Concilio quo supra, cap. XXII. *

NON liceat in collectione herbarum, quæ medicinales sunt aliquas observationes aut incantationes adtendere, nisi tantùm cum Symbolo divino & oratione Dominica, ut tantùm Deus * & Dominus honoretur.

addunt edita * Creator omnium & Dom.

CAPUT XCVII.

sub Anast. an. 398. * *Carthag.* IV.

Ex Concilio Carthaginensi *, cap. LXXXIX.

AUGURIIS vel incantationibus servientem à conventu Ecclesiæ separandum. Similiter & Judaicis superstitionibus, vel * fereis inhærentem.

al. * feris *vel* feriis.

CAPUT

CAPUT XCVIII.

Ex Concilio Bracarenſi, cap. XXIII. *

NON liceat mulieres Chriſtianas vanitatem * in ſuis laneficiis obſervare, ſed Deum invocent adjutorem, qui eis ſapientiam texendi donavit.

* *Ex collectis capp. Martini Brac. Epiſ. cap.* LXXV. *al.* * aliquam vanit.

CAPUT XCIX.

De his qui partus ſuos ex fornicatione diverſis modis interimunt.

Ex Concilio Ancyrano, cap. XX.

ex Ancyr. I. *hoc idem cap. ſupra num.* LVI.

DE mulieribus quæ fornicantur & partus ſuos necant, vel quæ agunt ſecum ut utero conceptos excutiant : antiqua quidem diffinitio uſque ad exitum vitæ eas ab Eccleſia removet ; humaniùs autem nunc diffinimus, ut eis decem annorum tempus ſecundùm præfixos gradus pœnitentiæ largiamur.

CAPUT C.

De homicidis.

Ex Concilio quo ſupra, cap. XXI.

QVI voluntariè homicidium fecerint, pœnitentiæ quidem jugiter ſe ſubmittant, perfectionem verò circa vitæ exitum conſequantur.

CAPUT CI.

De his qui non ſponte homicidium commiſerunt.

Ex Concilio quo ſupra, cap. XXII.

DE homicidiis non ſponte commiſſis, prior quidem diffinitio poſt ſeptennem pœnitentiam per-

fectionem consequi præcepit, secunda verò quinquennii tempus explere.

CAPUT CII.

Si domina per zelum ancillam occiderit.

Ex Concilio Heliberitano, cap. v.

al. * domina.
al. * in

SI quæ femina * furore zeli accensa flagellis verberaverit ancillam suam, ita ut infra * tertium diem animam cum cruciatu effundat: & quòd incertum sit voluntate an casu occiderit; si voluntate, post septem annos, si casu, per quinquennii tempora actâ legitimâ pœnitentiâ à * communione placuit abstinere: quòd si infra tempora constituta fuerit infirmata, accipiat communionem.

al. * ad communion. plac. admitti.

CAPUT CIII.

Si quicumque per maleficium hominem interfecerit.

Ex Concilio quo supra, cap. vi.

al. * veneficio.
al. * nisi in fine impertiendam non esse illi, &c.

SI quis verò maleficio * interficiat alterum, eo quòd sine idolatria perficere scelus non potuit, nec * in fine impertiendam illi communionem.

CAPUT CIV.

Ex Concilio Bracarensi, cap. xvi.

Ex Bracarensi Concil. primo, aliis secundo, hoc caput sic incipit. Item placuit ut hi, &c.
al. * violentiâ.

DE his qui sibi quacumque negligentiâ mortem inferunt, eorum commemoratio in oblatione non fiat. Similiter & de his qui pro suis sceleribus puniuntur. Placuit ut hi qui sibi ipsis aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut suspendium, vel quolibet modo violentam * inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat; neque cum psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducan-

tur: multi enim ſibi hoc per ignorantiam * uſurparunt. Similiter & de his placuit fieri, qui pro ſuis ſceleribus puniuntur. al. * uſurpant.

CAPUT CV.

De homicidis vel falſis teſtibus.

Ex Concilio Agathenſe, cap. xxxv. * *Anno 506. habito. in Edit. * xxxvii.*

ITAQUE cenſuimus homicidas & falſos teſtes à communione Eccleſiaſtica ſubmovendos, niſi pœnitentiæ ſatisfactione crimina admiſſa diluerint.

CAPUT CVI.

De his qui ſervos ſuos extra judicem necant.

Ex Concilio Agathenſi, cap. LXIII. cap. LXII. *in edit.*

SI quis ſervum proprium ſine conſcientia judicis occiderit, excommunicatione, vel pœnitentia biennii reatum ſanguinis emundabit *. *al.* * emendabit.

CAPUT CVII.

De ſervis qui ad Eccleſiam confugerint, ut poſt juramentum exire nolentes liceat occupare.

Ex Concilio Aurelianenſi, cap. III. *Aurel. I.*

SERVUS qui ad Eccleſiam pro qualibet culpa confugerit, ſi à domino pro admiſſa culpa ſacramentum * ſuſceperit, ſtatim ad ſervitium domini ſui redire cogatur: & * poſteà quàm dato ſacramento domino ſuo fuerit conſignatus, ſi aliquid pœnæ pro eadem culpa, qua excuſatur, probatus fuerit pertuliſſe, pro contemptu Eccleſiæ & prævaricatione fidei à communione & convivio Catholicorum * extraneus habea *al.* * ſacramenta. *al.* * ſed pòſt datis à Domino Sacramentis. *Hic * addunt edita;*

Sicut superiùs comprehensum est.

tur. Si verò servus pro culpa sua ab Ecclesia defensatus sacramenta domini Clericis exigentibus de impunitate perceperit, exire nolentem à domino liceat occupari.

CAPUT CVIII.

De discordantibus Episcopis.

Ex Cartha. IV.

Ex Concilio Carthaginense, cap. xxv.

DISSIDENTES Episcopos, si non timor Dei, Synodus reconciliet.

*Episcopus dissidentes Clericos sive laicos concordari * compellat.*

al. * concordare.

Ex Concilio Carthaginensi, cap. xxvi.

STUDENDUM Episcopo ut dissidentes fratres sive Clericos sive laicos ad pacem magis quàm ad judicium hortetur.

CAPUT CIX.

*De his qui per * odium ad pacem non revertuntur.*

al. * propter.

Anno 506. ut supra.

Ex Concilio Agathensi, cap. xxxi.

PLACUIT etiam ut sicut plerumque fit, quicumque odio aut longinqua interse lite dissenserint, & ad pacem revocari diuturna * intentione nequiverint, à civitatis primitus Sacerdotibus arguantur; qui si inimicitias deponere perniciosa intentione noluerint, de Ecclesiæ cœtu justissima excommunicatione pellantur.

al. * diutina.

CAPUT CX.

De his qui sacramento se obligant ne ad pacem redeant.

Ex Concilio Hilerdensi, cap. VII. *Circiter 524.*

QVI sacramento se obligaverit ut * litigans cum quolibet ad pacem nullo modo redeat, pro perjurio uno anno à communione corporis & sanguinis Domini segregetur: reatum suum eleemosynis & fletibus, ac quantis potuerit jejuniis absolvat *: ad charitatem verò, *quæ operit multitudinem peccatorum*, celeriter redire festinet.

al. * ut litiget cum quolibet ne ad pacem ullo modo.

al. * abluat.

CAPUT CXI.

Vt oblationes fratrum discordantium non recipiantur.

Ex Concilio Carthaginensi *, cap. XCIX. *Ex * Carthag. IV.*

OBLATIONES dissidentium fratrum neque in gazophylacio, neque in sacrario recipiantur.

CAPUT CXII.

Caput tondere mulieri non licere.

Ex Concilio Agathensi *. ** Ex Concil. Gangrensi sub Silvestro I.*

QVICUMQUE * mulierem religioni judicans convenire comam sibi amputaverit, quam Deus ad velamen ejus & ad memoriam subjectionis illi dedit, tamquam resolvens jura subjectionis anathema sit.

al. * quæcumque mulier.

CAPUT CXIII.

Ne feminæ in cimeteriis pervigilent.

Ex Concilio Heliberitano, cap. XXXV.

PLACUIT prohiberi nè feminæ in cimiterio pervigilent, eo quòd sæpe sub obtentu orationis latenter scelera committant.

CAPUT CXIV.

De ultione nequiter judicantium.

Ex Toletano IV.

Ex Concilio Toletano, cap. XXXII.

al. * & potestates.

al. * emendare.

EPISCOPI in protegendis populis ac defendendis impositam à Deo sibi curam non ambigant, ideóque dum conspiciunt judices ac potentes * pauperum oppressores existere, priùs eos Sacerdotali commonitione redarguant; & si contempserint, emendari * eorum insolentiam regiis auribus intiment, ut quos Sacerdotalis admonitio non flectit ad justitiam, regalis potestas ab improbitate coerceat.

CAPUT CXV.

Ut nullus civium festivitates majores in villa celebret.

Aurel. I. *al. in edit.* * XXV.

Ex Concilio Aurelianensi, cap. XX.*

UT nulli civium Paschæ, Natalis Domini, vel Quinquagesimæ solemnitatem in villa liceat celebrare, nisi quem infirmitas probabitur tenuisse.

CAPUT CXVI.

De his qui tardiùs ad Ecclesiam accedunt.

Ex Concilio Heliberitano, cap. XXI.

al. * tanto.

al. * abstineat.

SI quis in civitate positus tres Dominicas ad Ecclesiam non accesserit, pauco * tempore abstineatur *, ut correptus esse videatur.

CAPUT CXVII.

De laicis, quibus temporibus communicare debeant.

Ex Concilio Agathensi. * — *Anno 506.* * *cap.* XVIII.

SÆCULARES verò qui Natalem Domini, Pascha, Pentecosten non communicaverint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur.

CAPUT CXVIII.

De laicis qui in solemnitatibus ad civitatem non occurrunt.

Ex Concilio, quo supra. * — * *cap.* LXIII.

UT cives qui superiorum solemnitatum, id est, Paschæ aut Natalis Domini festivitatibus* cum Episcopis interesse neglexerint, in * quibus civitatibus positus accipiendæ communioni suæ benedictionis desiderio noverint; qui hoc facere neglexerint triennio communione priventur Ecclesiæ.

addunt edita * vel Pentecostes. *sic habent edita* * (Cùm in civitatibus communionis vel benedictionis accipiendæ causâ positos se nosce debeant) triennio &c.

CAPUT CXIX.

De his qui intrantes in Ecclesiam per nimiam luxuriam suam Sacramento se abstinent.

Ex Concilio Bracarensi. — *Ex capitulis Martini Ep. Bracar. cap.* LXXXIII.

SI quis intrat in Ecclesiam Dei, & sacras scripturas non audit, & pro luxuria sua avertit se à communione Sacramenti, & in observandis mysteriis declinat constitutam regulam disciplinæ, istum talem projiciendum de Ecclesia Catholica esse decernimus, donec pœnitentiam agat, & ostendat fructum pœnitentiæ suæ, ut possit communionem perceptâ indulgentiâ promereri.

CAPUT CXX.

De non permittendum imperare Religiosis.

Ex Concilio Toletano. — *Ex Toletano, dicto decimo cap. 3.*

al. * auditu percipiatur.
al. * adiit.
al. * cogitur.
al. * extirpari.
1. Pet. 5.

REVERENTIÆ totius auditum *, quia res adeo * dura non frustra cogimur * hanc duriori extirpare * censura : agnovimus enim quosdam Pontifices præcepti Principis Apostolorum, qui ait : *Pascite qui in vobis est gregem non coactè, sed spontanèe, neque vi dominantes in clero, sed forma facti gregis* : ita esse immemores, ut quibusdam Monasteriis, parrochialibúsque Ecclesiis, aut suæ consanguinitatis personas, aut sui favoris participes iniquum sæpe statuant in Prælatum, ita illis providentes commoda inhonesta, ut eisdem deferantur, aut quæ proprio Episcopo dare justus ordo poposcerit, aut quæ rapere deputati exactoris violentia potuerit : proinde decenter omnibus placet, & in præsenti tale rescindi factum, & non esse de cetero faciendum. Nam quisquis Pontificum deinceps aut sanguine propinquis, aut favore sibi personis quibuscumque devinctis, talia commodare lucra tentaverit ausu * nefandæ præsumptionis, & quod visum fuerit devocetur in irritum, & qui ordinabit annuæ excommunicationis ferat excidium. Quæ verò ablata fortasse fuerint, ab eo qui * tulit reddantur in duplum.

al. * ad suum nefandæ præsumptionis excidium & quod.
al. * ei qui.

CAPUT CXXI.

Quòd usuram non solùm Clerici exigere non debeant, sed nec laici Christiani.

Leonis 1. epist. 1.

Ex epistola Leonis ad Episcopos per Campaniam & diversas provincias.

NEC hoc quoque prætereundum duximus, quosdam lucri turpis cupiditate captos usurariam exercere pecuniam, & fœnore velle ditescere : quod nos non dicam in eos qui sunt in clericali officio constituti, sed in laicos cadere qui Christianos se dici cupiunt, condolemus. Quod vindicari acriùs in eos qui fuerint confutati decernimus, ut omnis peccandi opportunitas adimatur.

Explicit Liber I.

INCIPIT

INCIPIT LIBER II.

CAPITULUM I.

De conjuratione vel conspiratione.

Ex Concilio Calcedonensi, cap. XVIII. *Sub Leone.* I.

CONIURATIONIS vel conspirationis crimen & ab exteris * legibus est omnino prohibitum, multò magis hoc in Dei Ecclesia ne fiat admonere conveniet. Si qui ergo Clerici vel Monachi reperti fuerint conjurantes, aut conspirantes *, aut insidias ponentes Episcopis vel Clericis *, gradu proprio penitus abjiciantur *.

al. * sæcularibus *vel* veteribus legibus.
al. * & per conjurationem calumniam facientes.
al. * aut conclericis.
al. * excidant *vel* abscindantur.

CAPUT II.

De delatoribus.

Ex Concilio Heliberitano, cap. LXXIII.

DELATOR si quis extiterit fidelis, & per delationem ejus aliquis fuerit proscriptus vel interfectus, placuit eum nec * in fine accipere communionem : si levior causa fuerit, intra quinquennium accipere poterit communionem, si cathecumenus fuerit, post quinquennii tempora admittatur ad baptismum.

al. * non nisi in.

CAPUT III.

De accusatis & accusatoribus.

Ex Concilio Carthaginis, cap. XCVI. *ex Cartha.* IV.

QVÆRENDUM in judicio cujus sit conversationis & fidei is qui accusat, & is qui accusatur.

CAPUT IV.

Quòd excommunicati ad accusationem admitti non debeant.

Ex Concilio Africano *, cap. xcv.

* Vulgò dicto, seu collectione variorum canonum è Conciliis Africanæ provinciæ.

PLACUITQUE omnibus, quoniam superioribus Conciliorum decretis de personis quæ admittendæ sunt ad accusationem Clericorum jam constitutum est, & quæ personæ non admittentur non expressum est; idcirco diffinimus eum ritè ad accusationem non admitti, qui postea quàm excommunicatus fuerit, in ipsa adhuc excommunicatione constitutus sive sit Clericus, sive laicus accusare voluerit.

CAPUT V.

Quòd servi & liberti, omnésque infames personæ non debeant accusare.

Ex eodem Concilio, cap. xcvi.

ITEM placuit ut omnes servi vel proprii liberti ad accusationem non admittantur, & omnes quos ad accusanda publica crimina leges publicæ non admittunt. Omnes etiam infamiæ maculis aspersi, id est histriones ac turpitudinibus subjectæ personæ, hæretici etiam, sive pagani, sive Judæi. Sed tamen omnibus quibus accusatio denegatur, in causis propriis accusandi licentia non neganda.

CAPUT VI.

Vt qui unum crimen non probaverit, ad alterum admitti non debeat.

Ex eodem Concilio, cap. xcvii.

ITEM placuit ut quotiescumque Clericis ab accusatoribus multa crimina objiciuntur, & unum ex ipsis, de quo priùs egerint, probare non valuerint, ad cetera jam non admittantur.

CAPUT VII.

Qui ad testimonium admittendi sunt.

Ex eodem Concilio, cap. XCVIII.

TESTES autem ad testimonium non admittendos, qui nec ad accusationem admitti præcepti sunt, vel etiam quos ipse accusator de sua domo produxerit; ad testimonium autem infra annos quatuordecim ætatis suæ non admittantur.

CAPUT VIII.

De Episcopo qui excommunicat eum, qui sibi soli crimen dicit esse confessum.

Ex eodem Concilio, cap. XCIX.

ITEM placuit, ut si quando Episcopus dicit aliquem sibi soli proprium crimen fuisse confessum, atque ille neget *; non putet ad injuriam suam Episcopus pertinere, quòd illi soli non creditur, & si scrupulo propriæ conscientiæ se dicit neganti nolle communicare.

Edit. adaunt * & pœnitere noluerit.

CAPUT IX.

*Ut non temere quemquam communicatione * privet Episcopus.*

al. * communione.

Ex Concilio quo supra, cap. C.

QVAMDIU excommunicato non communicaverit suus Episcopus, eidem Episcopo ab aliis non communicetur Episcopis, ut magis caveat Epis-

copus, ne dicat in quemquam quod aliis documentis convincere non poteſt.

CAPUT X.

De his qui in accuſationem majoris natu veniunt, & ut Epiſcopum nulli criminoſo liceat accuſare.

Ex Concilio Carthaginenſi, cap. VI. *

** Ex Carthagin. 2. In codice canon. Afric. Eccl. cap.* VIII. *al.* * Maſſylitanus, Maſclianitanus *vel* Maxulianus. *al.* * ſæcularibus. *al.* * omnibus.

NUMIDIUS Epiſcopus Aſſulitanus * dixit: Præterea ſunt quamplurimi non bonæ converſationis, qui exiſtimant majores natu vel Epiſcopos paſſim vagéque in accuſationem pulſandos: debent tam facilè admitti nec ne? Aurelius Epiſcopus dixit: Placet igitur charitati veſtræ, ut is qui aliquibus ſceleribus * inretitus eſt, vocem adverſùs majorem natu non habeat accuſandi. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt; ſi criminoſus eſt, non admittatur, * placet.

CAPUT XI.

De his qui merito facinorum ſuorum ab Eccleſiæ congregatione pelluntur.

Ex eodem Concilio *, cap. IX.

** Non extat in Carthag. 2. eſt que nonus in codice canon. Afric. Eccleſiæ.*

AUGUSTINUS Epiſcopus legatus provinciæ Numidiæ dixit: Hoc ſtatuere dignamini, ut ſi qui fortè merito facinorum ſuorum ab Eccleſia pulſi ſunt, & ſive ab aliquo Epiſcopo vel Presbytero fuerint in communione ſuſcepti, etiam ipſe cum eis pari crimine teneatur obnoxius, refugientes ſui Epiſcopi regulare judicium. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt; Omnibus placet.

CAPUT XII.

De Presbyteris qui à proprijs corripiuntur Episcopis.

Ex eodem Concilio, cap. x.

In Cartha. II. initio cap. 8. In codice autem can. cap. 10.

ALIPPIUS Episcopus legatus Provinciæ Numidiæ dixit: Nec illud prætermittendum est, ut si quis fortè Presbyter ab Episcopo suo correptus tumore vel superbia inflatus putaverit separatim sacrificia Deo offerenda, vel aliud erigendum altare contra Ecclesiasticam fidem disciplinàmque crediderit; non exeat impunitus. Valentinus primæ sedis provinciæ Numidiæ dixit: Necessariò disciplinæ Ecclesiasticæ & fidei congrua sunt, quæ frater noster Alippius prosequutus est, proinde quid videatur vestræ dilectioni edicite.

CAPUT XIII.

Si quis Episcopus absque tempore Synodi in crimine detentus fuerit, à duodecim Episcopis audiatur.

Ex eodem Concilio, cap. XII.

In cod. can. cap. XII. & in Carthag. II. cap. 10.

FELIX Episcopus dixit: Suggero secundùm statuta veterum Conciliorum, ut si quis Episcopus, quod non optamus, in reatum aliquem incurrerit, & fuerit ei nimia necessitas non posse plurimos congregare, ne in crimine remaneat, à duodecim Episcopis, & Presbyter à sex Episcopis cum proprio suo Episcopo audiatur; & Diaconus à tribus.

CAPUT XIV.

De diversis ordinibus Ecclesiæ servientibus; ut si quis in causam criminis incurrerit &

abnuerit judicium Ecclesiasticum, debeat periclitari: & ut filij Sacerdotum spectacula sæcularia non exhibeant.

* In cod. can. at 9. in Concil. Carth. III.

* capitulo, xv.

ITEM placuit, quisquis Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, seu Clericorum, cùm in ecclesia ei fuerit crimen institutum, vel civilis causa fuerit commota, si relicto ecclesiastico judicio publicis judiciis purgari voluerit, etiam si pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat. Et hoc in criminali actione, in civili verò perdat quod evicit *, si locum suum obtinere maluerit. Hoc etiam placuit, ut à quibuscumque judicibus Ecclesiasticis ad alios judices Ecclesiasticos, ubi est major auctoritas, fuerit provocatum, non eis obsit quorum fuerit soluta sententia, si convicti non fuerint, vel inimico animo judicasse, vel aliqua cupiditate aut gratia depravati. Sanè si ex consensu partium electi fuerint judices, etiam à pauciore numero quàm constitutum est, non liceat provocari *. Et ut filij Sacerdotum spectacula sæcularia non exhibeant; sed nec expectent *, licet hoc semper Christianis omnibus interdictum sit, & ubi blasphemiæ sunt non accedant.

al. * acquisivit.
* Carth. conc. 3. cap. x.

* Cap. 9 Carth. 3.
f * spectent.

CAPUT XV.

Vt si quis Episcopus accusatur, ad Primatem ipsius provinciæ causa deferatur.

* In cod. can. cap. 19. at in Carth. 3. cap. 7.

cap. xix. *

AVRELIUS Episcopus dixit: Quisquis Episcoporum accusatur, ad Primatem provinciæ ipsius causam deferat accusator, nec à Communione suspendatur, cui crimen intenditur, nisi ad causam suam dicendam electorum judicum die statuta litteris

evocatus minimè occurrerit; hoc eſt infra ſpatium menſis ex ea die qua eum litteras accepiſſe conſtiterit: quòd ſi aliquas veras neceſſitatis cauſas probaverit, quibus eum occurrere non potuiſſe manifeſtum ſit, cauſæ ſuæ dicendæ intra alterum menſem integram habeat facultatem; verùm tamdiu poſt menſem ſecundum non communicet donec purgetur. Si autem ad Concilium univerſale anniverſarium occurrere noluerit, ut vel ibi cauſa ſua terminetur, ipſe in ſe damnationis ſententiam dixiſſe judicetur. Tempore ſanè quo non communicat, nec in ſua Eccleſia vel parrochia communicet. Accuſator autem ejus ſi numquam diebus cauſæ dicendæ defuerit, à communione non removeatur; ſi verò aliquando defuerit ſubtrahens ſe, reſtituto in communione Epiſcopo, ipſe removeatur à communione accuſator, ita tamen ut nec ipſi adimatur facultas cauſæ peragendæ, ſi ſe ad diem occurrere noluiſſe * probaverit. Illud verò placuit, ut cùm agere cœperit in Epiſcoporum judicio, ſi fuerit accuſatoris perſona culpabilis, ad arguendum non admittatur, niſi proprias cauſas non tamen Eccleſiaſticas aſſerere voluerit.

al. in edit. non noluiſſe * ſed non potuiſſe.

CAPUT XVI.

De Presbyteris vel Clericis accuſatis.

Ex eodem Concilio, cap. xx.

Ex cod. can. cap. 20. *ex conc. Carth.* 3. *cap.* 8.

SI autem Presbyteri vel Diaconi fuerint accuſati, adjuncto ſibi ex vicinis locis * proprius Epiſcopus * legitimo numero collegarum, quos ab eodem accuſati petierunt, id eſt unà ſecum in Presbyteri nomine ſex, in Diaconi tres, qui ipſorum cauſas diſcutiant: eadem dierum & dilationum & à communione remotionum, & diſcuſſione perſonarum inter accuſatores, & eos qui accuſantur formâ ſervatâ: reliquorum autem Clericorum cauſas etiam ſolus Epiſcopus ejuſdem loci agnoſcat, & finiat.

al. * Cum prop. &c. *al.* * proprio Epiſcopo.

CAPUT XVII.

De accuſato vel accuſatore.

Ex eodem Concilio, cap. xxx.

Ex cod. can. Eccleſ. Africanæ.

ITEM placuit, ut accuſatus vel accuſator in eo loco unde eſt ille qui accuſatur, ſi metuit aliquam vim temerariæ multitudinis, locum ſibi eligat proximum, quo non ſit difficile teſtes perducere * ubi cauſa finiatur.

al. * produ-cere.

CAPUT XVIII.

Qui de cauſa ſua ad tranſmarina putaverit appellandum, in communione minimè ſuſcipiatur.

Ex eodem Concilio, cap. xxviii.

Ex cod. can. ut ſupra.

ITEM plăcuit, ut Presbyteri, Diaconi vel ceteri Clerici inferiores in cauſis quas habuerint, ſi de judiciis Epiſcoporum ſuorum queſti fuerint, vicini Epiſcopi eos cum conſenſu ſui Epiſcopi audiant, & inter eos diffiniant adhibiti ab eis Epiſcopi: quòd & ſi ab eis provocandum putaverint, non provocent ad tranſmarina judicia, ſed ad Primates ſuarum provinciarum, ſicut & de Epiſcopis ſæpe conſtitutum eſt. Ad tranſmarina autem qui putaverit appellandum, à nullo intra Africam ad communionem ſuſcipiatur.

CAPUT XIX.

Ut accuſatores de levibus cauſis non audiantur.

Ex Concilio Vaſenſi, cap. vii.

PLACUIT præterea accuſandi licentiam in noſtris ordinibus, ſi qua exiſtat levitate, comprimere, quod

quòd * si Episcopus, aliquem judicat abstinendum * pro humiliatione & correctione fratris, & adsurgitur, exorari à ceteris adquiescat fratri, de quo agitur, correctione & comminatione adhibita; sin autem de crimine aliquem putet esse damnandum, accusatoris vice * discutiendum se sciat: fas est enim ut quæ uni probantur, probentur omnibus.

al. * ut si Episcopus sit, qua judicat abstinendum si pro humiliatione & correptione fratris adsurgit.
al. * vicem.

CAPUT XX.

De accusatoribus fratrum.

Ex Concilio Arelatense, cap. XXIV.

Ex *Arelat.* 2.

EOs qui falsò fratribus suis capitalia objecisse crimina * convicti fuerint, placuit eos usque ad exitum non communicare, sicut magna * Synodus antè constituit, nisi digna satisfactione pœnituerint.

* *deest in editis.*
al. * sancta.

CAPUT XXI.

Clerici accusatores fratrum ad communionem recipiantur, non ad clerum.

Ex Concilio Carthaginensi, cap. LV.

Ex *Carth.* IV.

UT Episcopi accusatores fratrum excommunicent, & si emendaverint vitium, recipiant eos ad communionem, non ad clerum.

CAPUT XXII.

Ne sine accusatore legitimo quispiam condemnetur.

Ex Concilio Toletano, cap. XI.

Ex *Tolet.* VI.

DIGNUM est, ut vita innocentis nulla maculetur pernicie accusatoris, ideo quisquis à quolibet criminatur, non antè accusatus supplicio detur, quàm accusator præsentetur, atque legum & cano-

num ſententiæ exquirantur. Quòd ſi indigna ad accuſandum * perſona invenitur, ad ejus accuſationem non admittatur, niſi ubi pro capite regiæ majeſtatis cauſa verſatur.

al. * ad cauſandum.

CAPUT XXIII.

De Clericis frequenter litigantibus.

Ex Carth. IV. cap. 58.

Ejus qui frequenter litigat, & ad accuſandum * facilis eſt, teſtimonium nemo abſque gravi examine recipiat.

al. * ad cauſandum.

Ex Concilio Carthaginenſi, cap. VII. & Africano, cap. I.

De Clericis placuit, ut nullius [a] Eccleſiaſtici ad teſtimonium dicendum perſona pulſetur. [b] Placuítque omnibus quoniam ſuperioribus Conciliorum decretis, de perſonis quæ admittendæ ſunt ad accuſationem Clericorum non admitti [c]. Qui poſtea quàm excommunicatus fuerit, in ipſa adhuc excommunicatione conſtitutus ſive ſit Clericus ſive laicus accuſare voluerit.

[a] *Sic habet cap. I. Concilij Carthag. V. ſub finem cap.* Nulla ad teſtimonium dicendum Eccleſiaſtici cujuslibet perſona pulſetur. [b] *Hic incipit cap.* XCV. *Concilij Africani vulgò dicti, ſeu collectionis Canonum Africanæ provinciæ. Titulus hic eſt.* Quod excommunicati ad accuſationem admitti non debent. *Eſtque cap.* I. *Carthaginenſis ſeptimi.* [c] Jam conſtitutum eſt, & quæ perſonæ non admittantur non expreſſum eſt, idcirco diffinimus eum ritè ad accuſationem non admitti.

CAPUT XXIV.

De Epiſcoporum aut Clericorum accuſatoribus.

Ex Concilio Calcedonenſi, cap. XXI.

Sub Leone. I. an. 451.

Clericos aut laicos accuſantes Epiſcopos aut Clericos paſſim & ſine probatione, ad accuſationem recipi non debere, niſi priùs eorum diſcutiatur exiſtimationibus * opinio.

al. * exiſtimationis.

CAPUT XXV.

De falſis teſtibus.

Ex Concilio Heliberitano, cap. LXIV.

FALSUS testis prout crimen est, abstinebitur; si tamen non fuerit causa mortis quod objecit & probaverit, quod diu tacuit, biennij tempore abstinebitur: si autem non probaverit, conventu Clericorum placuit per quinquennium abstineri.

CAPUT XXVI.

*Vt nullus Episcopus vel infra positus die Dominico causas audire * præsumat.*

al. * judicare.

Ex Concilio Terraconensi, cap. IV.

Tempore Hormisdæ circa 516.

NVLLUS Episcoporum, aut Presbyterorum, vel Clericorum die Dominico Præpositum cujuscumque causæ negotium audeat judicare*, nisi * hoc tantùm ut Deo statuta solemnia peragant: cæteris verò diebus convenientibus personis illa quæ justa sunt habeant licentiam judicandi *, excepto criminali negotio.

al. * vindicare *item* ventilare.
*al.** nisi ut: *sed fortè* nisi ad.
al. * vindicandi.

CAPUT XXVII.

Vt nullus Episcopus pro judiciis munera accipiat.

Ex Concilio quo supra, cap. X.

OBSERUANDUM quoque decrevimus, ne quis Sacerdotum vel Clericorum more sæcularium judicum audeat accipere * pro impensis patrociniis munera, nisi fortè in Ecclesia oblata gratuita, quæ non favore muneris videantur accepta, sed conlatione devotionis inlata. Quòd si quæsita * probantur accipere, veluti exactores fœnoris, aut usurarum possessores secundùm statuta Patrum se noverint degradandos.

al. * eximere.
al. * quia si qui ista.

CAPUT XXVIII.

Vt Episcopus nullius causam audiat absque præsentia Clericorum suorum.

* Carthag. IV. *sub finem cap.*

Ex Concilio Carthaginensi *, cap. XXIII.

IRRITA erit sententia Episcopi, nisi Clericorum suorum præsentiâ confirmetur.

CAPUT XXIX.

De discretione causarum in quibus Sacerdotes judices fieri possunt.

Ex *Tolet. IV. Honor. I.*

Ex Concilio Toletano, cap. XXXI.

al. * consentient.
al. * promittatur.

SÆPE Principes contra quoslibet majestatis obnoxios Sacerdotibus negotia sua committunt; & quia Sacerdotes à Christo ad ministerium salutis electi sunt, ibi consentiant * Regibus fieri judices, ubi jurejurando supplicij indulgentia permittitur *, non ubi discriminis sententia præparatur. Si quis etiam Sacerdotum contra hoc commune consultum discussor in alienis periculis extiterit, sit reus effusi sanguinis apud Christum, & apud Ecclesiam perdat proprium gradum.

CAPUT XXX.

De contemptu judicij.

Bonifacij Papæ I. Epistola. 2. ad Episcopos Galliæ. an. 419.
al. * versutis agendum credunt esse consiliis.

Ex epistola Papæ Bonifacij.

PROBAT vera esse illa quæ adversum se dicta sunt, qui ad ea confutanda adesse minimè vult, & nullus dubitat quòd ita judicium nocens subterfugit; quemadmodum ut absolvatur qui est innocens quærit, sed astuta cavillatio eorum qui versutias * eorum arguendas credunt esse consiliis, numquam innocentiæ

nomen accipiet *. Confitetur enim de omnibus, quisquis se subterfugere judicium dilationis * putat: veniet tamen aliquando ille qui talis perhibetur in medium, nec proderit illi totiens latuisse, totiens subterfugisse, quem sui actus & commissa quocumque fuerit *, ea quæ objiciuntur illi si vera sunt crimina, persequuntur; * ut si adesse voluerit præsens, si confidit, ad objecta respondeat: quòd si adesse neglexerit, dilationem sententiæ de absentia non lucretur. Nam manifestum est confiteri eum de crimine, qui indulto & toties delegato judicio purgandi se occasione non utitur: nihil enim interest utrum in præsenti examine omnia quæ dicta sunt comprobentur, cùm ipsa quoque pro confessione procurata totiens constet absentia.

al. * accepit.
al. * dilationibus.
al. * fugerit.
* *Hæc post multa sequuntur.*

CAPUT XXXI.

Vt inter discordes Episcopos comprovinciales, Antistites audiant: quòd si damnatus appellaverit ad Romanum Pontificem, id observandum quod ipse censuerit.

Ex Concilio Sardicensi, cap. III.

OSIUS Episcopus dixit: Illud quoque necessario * adjiciendum est, ut Episcopi de sua provincia ad aliam provinciam in qua sunt Episcopi non transeant, nisi fortè à fratribus suis invitati, ne videamur januam claudere charitatis. Quòd si in aliqua provincia aliquis Episcopus contra fratrem suum Episcopum litem habuerit, ne unus è duobus ex alia provincia advocet Episcopum * cognitorem. Quòd si aliquis Episcopus judicatus * fuerit in aliqua causa, & putat se bonam causam habere ut iterum Concilium * renovetur; si vobis placet, sancti Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur vel ab his qui causam examinarunt * Julio Romano Episcopo, & si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur, & det judices:

Sub Iulio I. an. 347.
al. * statutum sit.
al. * Episcopos ad judicium.
al * adjudicatus.
* *al.* judicium.
Edita. addunt * vel etiam ab aliis Episcopis qui in provincia proxima morantur, Romano &c.

si autem probaverit talem causam esse ut non refricentur ea quæ acta sunt, quæ decreverit * confirmata erunt. Si hoc omnibus placet? Synodus respondit: Placet.

* Romanus Episcopus.

CAPUT XXXII.

Ut nullus accusati sedem usurpet Episcopi.

Ex eodem Concilio, cap. IV.

GAUDENTIUS Episcopus dixit: Addendum est si placet huic sententiæ, quam plenam sanctitate protulistis, ut cùm aliquis Episcopus depositus fuerit, eorum Episcoporum judicio qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma, alter Episcopus in ejus * cathedra post appellationem ejus qui videtur esse depositus omnino non ordinetur; nisi fuerit causa in judicio Episcopi Romani determinata.

al. * eadem.

CAPUT XXXIII.

De Clericis à communione summotis ab aliis non recipiendis Episcopis.

Ex eodem Concilio, cap. XVI.

OSIUS Episcopus dixit: Si hoc quoque omnibus placet, ut sive Diaconus, sive Presbyter, sive quis Clericorum ab Episcopo suo communione fuerit privatus, & ad alterum perrexerit Episcopum, & scierit ille ad quem confugit eum ab Episcopo suo fuisse abjectum, non oportet ut ei communionem indulgeat: quod si fecerit, sciat se convocatis Episcopis causas esse dicturum. Universi dixerunt: Hoc statutum & pacem servabit, & concordiam custodiet.

CAPUT XXXIV.

De excommunicatis apud vicinos Episcopos audiendis.

Ex eodem Concilio, cap. XVII.

OSIUS Episcopus dixit: Quod me adhuc movet reticere non debeo. Si Episcopus quis fortè iracundus, quod non esse debet, citò aut asperè commoveatur adversùs Presbyterum, sive Diaconum suum, & exterminare eum de Ecclesia voluerit, providendum est nè innocens damnetur, aut perdat communionem: & ideò habeat potestatem is qui abjectus est, ut Episcopos finitimos interpellet, & causa ejus audiatur, ac diligentiùs tractetur: quia non oportet ei negari audientiam roganti. Et ille Episcopus, qui justè aut injustè eum abjecit, patienter accipiat ut negotium discutiatur, ut vel probetur sententia ejus à plurimis, vel emendetur. Tamen priùs quàm omnia diligenter & fideliter examinentur, eum qui fuerat à communione separatus, ante cognitionem nullus debet præsumere ut eum recipiat & communioni societ. Hi verò qui conveniunt ad audiendum, si viderint Clericorum esse fastigium * & superbiam, quia jam non decet ut Episcopus injuriam vel contumeliam patiatur, severioribus eos verbis castigent, ut obediant honesta præcipienti Episcopo: quia sicut ille Clericis sincerum exhibere debet amorem charitatis, ita quoque vicissim ministri infucata debent Episcopo suo exhibere obsequia. *al.* * *studium.*

CAPUT XXXV.

Quòd non oporteat Clericos habentes adversus se invicem negotia proprium Episcopum relinquere, & ad sæcularia judicia convolare.

Ex Concilio Calcedonensi, cap. IX.

Sub Leone I. an. 451.

SI quis Clericus adversùs Clericum habet negotium, non deserat Episcopum proprium, & ad sæcularia percurrat judicia, sed priùs actio ventiletur apud Episcopum proprium, vel certè consilio ejusdem Episcopi apud quos utræque partes voluerint judicium continebunt *. Si quis autem præter hæc fecerit, canonicis correctionibus subjacebit. Quòd si Clericus habet causam adversus Episcopum proprium, vel adversus alterum *, apud Synodum provinciæ judicetur: quòd si adversus ejusdem provinciæ Metropolitanum Episcopus vel Clericus habet querelam, petat * Primatem Diocœseos, aut sedem Regiæ urbis Constantinopolitanæ, & apud * ipsum judicetur.

al. * obtinebunt.

al. * extraneum.

al. * ad primam sedem recurrant.

al. * ibi causam definiant.

CAPUT XXXVI.

Si quis excommunicatus ante audientiam communicare præsumpserit, ipse in se damnationem protulit.

Ex Concilio Carthaginis, cap. XXVIII.

Ex codice canon. Ecclesiæ Africanæ. cap. 29.

ITEM placuit universo Concilio, ut qui excommunicatus fuerit pro suo neglectu, sive Episcopus, sive quilibet Clericus, & tempore excommunicationis suæ ante audientiam communionem præsumpserit, ipse in se damnationis judicetur protulisse sententiam.

CAPUT XXXVII.

Ut Clerici de judicii sui cognitione non cogantur in publico dicere testimonium.

Ex Concilio Africano *, cap. XXVI.

PETENDUM etiam ut statuere dignentur, ut si qui fortè in Ecclesia quamlibet causam jure Apostolico

* *Seu collectione variorum canon. è Conciliis Africanæ provinciæ.*

Apoſtolico Eccleſiis impoſito agere voluerint, & fortè deciſio Clericorum uni parti diſplicuerit, non liceat Clericum in judicium ad teſtimonium devocari eum qui cognitor vel præſens fuit, & nulla ad teſtimonium dicendum Eccleſiaſtici cujuslibet perſona pulſetur.

CAPUT XXXVIII.

De Clericis damnatis.

Ex Concilio Africano, cap. XXIX. *Ibidem.*

ET illud petendum ut ſtatuere dignentur, ut ſi quis cuiuslibet honoris Clericus judicio Epiſcoporum quocumque crimine fuerit damnatus, non liceat eum ſive ab Eccleſiis quibus præfuit, ſive à quolibet homine defenſari, interpoſita pœna damni pecuniæ atque honoris, quo nec ætatem, nec ſexum excuſare * præcipiant. *al. * excuſandum eſſe.*

CAPUT XXXIX.

De Clericis qui intra annum cauſam ſuam agere non procurarint.

Ex Concilio Africano, cap. XLVI. *Ibidem.*

RVRSUM conſtitutum eſt, ut quotiens Clericis convictis & confeſſis in aliquo crimine, vel propter eorum quorum verecundiæ parcitur, vel propter Eccleſiæ opprobrium, aut inſolentem inſultationem hæreticorum atque gentilium, ſi fortè cauſæ ſuæ adeſſe voluerint, & innocentiam ſuam adſerere, intra annum excommunicationis hoc faciant : ſi verò intra annum cauſam ſuam purgare contempſerint, nulla eorum vox poſtea penitus audiatur.

CAPUT XL.

Quòd electorum judicum ſententia ſperni non debeat.

Ibidem. Ex Concilio Africano, cap. LXXXIX.

A judicibus autem quos communis conſenſus elegerit, non liceat provocare; & quiſquis probatus fuerit pro contumacia nolle obtemperare judicibus, cùm hoc primæ ſedis Epiſcopo fuerit probatum, det litteras, ut nullus ei communicet Epiſcoporum donec obtemperet.

CAPUT XLI.

De Presbyteris & Clericis, ut non appellent niſi ad Africanum Concilium.

Ex eodem Concilio, cap. XCII.

ITEM placuit, ut Presbyteri, Diaconi vel ceteri inferiores Clerici in cauſis quas habuerint, ſi de judiciis Epiſcoporum ſuorum queſti fuerint, vicini Epiſcopi eos audiant, & inter eos quidquid eſt finiant, adhibiti ab eis ex conſenſu Epiſcoporum ſuorum: quòd ſi & ab eis provocandum putaverint, non provocent niſi ad Africanum Concilium, vel ad Primates provinciarum ſuarum. Ad tranſmarina autem qui putaverit appellandum, à nullo intra Africam in communionem ſuſcipiatur.

CAPUT XLII.

Aurel. 3. Ex Concilio Aurelianenſi, cap. XXXII.

CLERICUS in cujuslibet gradu poſitus ſine Pontificis ſui permiſſu nullum ad ſæculare judicium præſumat attrahere, neque laico, inconſulto Sacerdote Clericum in ſæculare judicium liceat exhibere.

CAPUT XLIII.

De damnatis & miniſtrare tentantibus.

Ex Concilio Antiocheno, cap. IV.

Sub Iulio I. an. 341.

SI quis Epiſcopus damnatus à Synodo, Presbyter aut Diaconus à ſuo Epiſcopo, auſi fuerint aliquid de miniſterio ſacro contingere, ſive Epiſcopus juxta præcedentem conſuetudinem, ſive Presbyter aut Diaconus, nullo modo liceat ei nec in alia Synodo reſtitutionis ſpem aut locum habere ſatisfactionis : ſed & communicantes ei omnes abjici de Eccleſia, & maximè ſi poſtea quàm didicerint adverſum memoratos prolatam fuiſſe ſententiam eiſdem communicare tentaverint.

CAPUT XLIV.

De Clericis excommunicatis & laicis.

Ex Concilio Antiocheno, cap. VI.

SI quis à proprio Epiſcopo communione privatus eſt, non ante ſuſcipiatur ab aliis, quàm ſuo reconcilietur Epiſcopo ; aut certè ad Synodum quæ congregatur occurrens pro ſe ſatisfaciat, & perſuadens Concilio ſententiam ſuſcipiat alteram. Hæc autem definitio maneat circa laicos, & Presbyteros, & Diaconos omnéſque qui ſub regula eſſe monſtrantur.

CAPUT XLV.

De Epiſcopis & Clericis adeuntibus Imperatorem.

Ex Concilio Antiocheno, cap. XI.

SI quis Epiſcopus aut Presbyter, aut quilibet regulæ ſubjectus Eccleſiæ præter conſilium & litteras

Episcoporum provinciæ, & præcipuè Metropolitani adierit Imperatorem, hunc reprobari & abjici oportet, non solùm à communione, verùm & ab honore cujus particeps videtur existere; quia venerandi Principis auribus molestiam tentavit inferre contra leges Ecclesiæ. Si igitur adire Principem necessaria causa deposcit, hoc agatur cum tractatu & consilio Metropolitani & ceterorum Episcoporum, qui in eadem provincia commorantur: qui etiam proficiscentem suis prosequantur epistolis.

CAPUT XLVI.

De damnatis Episcopis aut Clericis, & adeuntibus Imperatorem.

Ex eodem Concilio, cap. XII.

SI quis à proprio Episcopo, Presbyter, aut Diaconus, aut à Synodo fuerit Episcopus forte damnatus, & Imperatoris auribus molestus extiterit, oportet ad majus Episcoporum converti Concilium, & quæ putaverint habere justa plurimis Episcopis suggerant, eorúmque discussiones ac judicia præstolentur. Si verò hæc parvi pendentes molesti fuerint Imperatori, hos nulla venia dignos esse, nec locum satisfactionis habere, nec spem futuræ restitutionis penitus opperiri dijudicamus.

CAPUT XLVII.

De Episcopis ab ejusdem provinciæ Sacerdotibus consonanter exclusis.

Ex Concilio Antiocheno, cap. XV.

SI quis Episcopus de certis criminibus accusatus condemnetur ab omnibus Episcopis ejusdem provinciæ, cunctique consonanter eamdem contra eum formam decreti protulerint, hunc apud alios nullo

modo judicari, ſed firmam concordantium Epiſcoporum provinciæ manere ſententiam.

CAPUT XLVIII.

De Synodis quæ ab Epiſcopis, ſuis debent temporibus in provincia celebrari.

Ex Concilio Antiocheno, cap. xx.

PROPTER utilitates Eccleſiaſticas, & abſolutiones earum rerum, quæ dubitationem controverſiámque recipiunt, optimè placuit ut per ſingulas quaſque provincias bis in anno Epiſcoporum Concilia celebrentur. Semel quidem poſt tertiam ſeptimanam feſti Paſchalis, ita ut quarta * ſeptimana Pentecoſtes conveniat Synodus, Metropolitano provinciales Epiſcopos ammonente. Secunda verò Synodus fiat Idibus Octobris, id eſt decimo quinto die menſis Octobris, quem hyperbereteon Græci cognominant. In ipſis autem Conciliis adſint Presbyteri, & Diaconi, & omnes qui ſe læſos exiſtimant, & Synodi experiantur examen. Nullis verò liceat apud ſe celebrare Concilia, præter eos quibus Metropolitana jura videntur eſſe commiſſa.

al. * in quarta ſeptimana quæ conſequitur, id eſt medio Pentecoſtes conveniat.

CAPUT XLIX.

De Epiſcopis qui ad Concilia non occurrunt.

Ex Concilio Africano *, cap. XLIII.

* *vulgo dicto, ſeu collectione variorum canon. è Conciliis Africanæ provinciæ.*

ITEM placuit, ut quotienſcumque Concilium congregandum eſt, Epiſcopi qui neque ætate, neque ægritudine, neque aliqua graviori neceſſitate impediuntur, competenter occurrant; & Primatibus ſuarum quarumque provinciarum intimetur, ut de univerſis Epiſcopis, vel duæ vel tres turmæ fiant, ac de ſingulis turmis viciſſim quotquot electi fuerint ad diem Concilii inſtantiſſimè occurrant: quòd ſi non

potuerint occurrere, excuſationes ſuas in tractoria ſubſcribant, vel ſi poſt adventum tractoriæ aliquæ neceſſitates repente forſitan ortæ fuerint, niſi rationem impedimenti ſui apud ſuum Primatem reddiderint, Eccleſiæ ſuæ communione debere eſſe contentos.

CAPUT L.

Vt de alieno Monaſterio ſuſceptos nec Præpoſitos Monaſterij nec Clericos liceat ordinare.

Ibidem.

Ex Concilio Africano, cap. XLVII.

ITEM placuit, ut ſi quis de alterius Monaſterio repertum, vel ad Clericatum promovere voluerit, vel in ſuo Monaſterio majorem Monaſterij conſtituerit, Epiſcopus qui hoc fecerit à ceterorum communione ſejunctus, ſuæ tantùm plebis communione contentus ſit: & ille neque Clericus neque præpoſitus perſeveret.

CAPUT LI.

De ordine quo depoſiti iterum ordinentur.

Ex Tolet. IV.

Ex Concilio Toletano, cap. XXVIII.

*al.** ſancta. *al.** ſecundum Synodum.

EPISCOPUS, Presbyter, aut Diaconus ſi à gradu ſuo injuſtè dejectus in ſecunda * Synodo * innocens reperiatur, non poteſt eſſe quod fuerat, niſi gradus amiſſos recipiat coram altario de manu Epiſcoporum, ſi Epiſcopus eſt, orarium, annulum, & baculum recipiat, ſi Presbyter, orarium & planetam; ſi Diaconus orarium & albam; ſi Subdiaconus patenam & calicem, ſic & reliqui gradus ea in reparationem ſui recipiant, quæ cùm ordinarentur perceperunt.

CAPUT LII.

Vt Epiſcopus diœceſanos Presbyteros, &

quosdam ex laicis convenire litteris ad Synodum moneat.

Ex Concilio Terraconense, cap. XIII.

EPISTOLÆ tales per fratres * ad Metropolitanos * sunt dirigendæ, ut non solùm à cathedralibus * Ecclesiæ Presbyteris, verùm etiam de diœcesanis ad Concilium trahant, & aliquos de filiis Ecclesiæ sæcularibus secum adducere debeant.

Tempore Hormisdæ circa 516.
al. * patres.
al. * à Metropolitano.
al. * è cathedralis.

CAPUT LIII.

Ut ad Metropolitani arbitrium Synodus congregetur.

Ex Concilio Arelatensi, cap. XVIII.

AD Arelatensis Episcopi arbitrium Synodus congreganda, ad quam urbem ex omnibus mundi partibus * sub sancti Martini * tempore legimus celebratum fuisse Concilium atque Conventum. Si quis commonitus infirmitatis causa defuerit personam vice sua dirigat.

Ex Arelat. II.
Edita addunt * præcipuè Gallicanis.
al. * Marini.

CAPUT LIV.

De defensoribus Ecclesiarum ab Imperatore poscendis.

Ex Concilio Carthaginensi, cap. XIV.

AB Imperatoribus, universis visum est postulandum propter adflictionem pauperum, quorum molestiis sine intermissione fatigatur Ecclesia, ut defensores eis adversus potentias divitum cum Episcoporum provisione delegentur.

Ex Carth. v d cto cap. 9.

CAPUT LV.

De his qui Ecclesiastica ministeria præter Ecclesiam faciunt.

Tempore Silvestri circa 324.

Ex Concilio Gangrensi, cap. VI.

SI quis extra Ecclesiam seorsum conventus celebrat, & despiciens Ecclesiam ea quæ sunt Ecclesiæ voluerit usurpare, non conveniente Presbytero juxta decretum Episcopi, anathema sit.

CAPUT LVI.

De fructuum oblationibus, quæ ministris Ecclesiæ conferuntur.

Ex eodem Concilio, cap. VII.

SI quis oblationes Ecclesiæ extra Ecclesiam accipere vel dare voluerit præter conscientiam Episcopi, vel ejus cui huiuscemodi officia commissa sunt, nec cum eius voluerit agere consilio, anathema sit.

CAPUT LVII.

De his quæ in usus pauperum conferuntur.

Ex eodem Concilio, cap. VIII.

SI quis dederit aut acceperit oblata præter Episcopum, vel eum qui constitutus est ab eo, ad dispensandam misericordiam pauperibus, & qui dat & qui accipit, anathema sit.

CAPUT LVIII.

De his qui agapas, id est pastiones pauperum risui deputant.

Ex eodem Concilio, cap. XI.

Si quis

SI quis deſpicit eos qui fideliter agapas, id eſt convivia pauperibus exhibent, & propter honorem Domini convocant fratres, & noluerit communicare hujuſcemodi vocationibus, parvi pendens quod geritur, anathema ſit.

CAPUT LIX.

Vt qui oblationes defunctorum retinent, excommunicentur.

Ex Concilio Vaſenſi, cap. IV. *Ex Vaſenſi I.*

QVI oblationes defunctorum retinent, & Eccleſiis tradere demorantur, ut infideles ſunt ab Eccleſia abjiciendi, quia uſque ad exinanitionem fidei pervenire certum eſt hanc pietatis divinæ exacerbationem, quia & fideles de corpore recedentes votorum ſuorum plenitudine, & pauperes conlatu alimoniæ & neceſſaria ſuſtentatione fraudantur. Hi enim tales quaſi egentium necatores, nec credentes judicium Dei habendi ſunt. Unde & quidam Patrum hoc ſcriptis ſuis inſeruit congruente ſententia, quâ ait * : Amico quippiam rapere, furtum eſt; Eccleſiam fraudare, ſacrilegium. Auguſtinus * in ſermone Evangelii Johannis: Ecce inter ſanctos eſt Judas: ecce fur eſt Judas: Et ne contemnas, fur ſacrilegus *, non qualiſcumque fur loculorum, ſed dominicorum: loculorum, ſed ſacrorum; ſi crimina diſcernuntur in foro, qualiſcumque fur & peculatus; peculatus enim dicitur furtum de Republica, & non ſic judicatur furtum rei privatæ, quomodò publicæ: Quanto vehementiùs judicandus eſt fur ſacrilegus qui auſus fuerit non undecumque tollere, hoc eſt * de Eccleſia tollere? qui aliquid de Eccleſia furatur, rapit * & tollit, Judæ perdito comparatur.

* *Hieron, epiſt. 2. ad Nepotianum.*
* *Expoſit. in Evang. Iohan. tract. 50.*
al. * & ſacrilegus.
al. * ſed.
* *Hæ voces* rapit & tollit *deſunt in edit.*

CAPUT LX.

De his qui suas vel propinquorum oblationes Ecclesiæ fraudant.

Anno Christi 506.

Ex Concilio Agathensi, cap. IV.

al. * testamentis.
al. * perstiterint.

CLERICI etiam vel sæculares, qui oblationes parentum, aut donatas, aut testamento * relictas retinere præsumpserint *, aut id quod ipsi donaverunt Ecclesiis, vel Monasteriis crediderint auferendum, sicut Synodus sancta constituit, velut necatores pauperum quousque reddant, ab Ecclesiis excludantur.

CAPUT LXI.

Si quis potentium quemlibet expoliaverit, & admonente Episcopo non reddiderit, excommunicetur.

Ex Tolet. I.

Ex Concilio Toletano, cap. XI.

al. * pauperem.
al. * habeatur ipse donec obediat & reddat.

SI quis de potentibus Clericum aut quemlibet pauperiorem * aut religiosum expoliaverit, & mandaverit eum ad se venire Episcopus ut audiatur; & contempserit, invicem mox scripta percurrant per omnes provinciæ Episcopos, & quoscumque adire potuerint, ut excommunicatus habeatur *, donec audiatur & reddat aliena.

CAPUT LXII.

Si Episcopus à Metropolitano admonitus pro Synodo, vel ordinatione Episcopali, venire distulerit.

Anno 506. cap. XXXV.

Ex Concilio Agathense, cap. XXXVI.

SI Metropolitanus Episcopus ad Comprovinciales Episcopos * epistolas direxerit, in quibus eos aut ad ordinationem summi Pontificis, aut ad Synodum invitet, postpositis omnibus, exceptâ gravi infirmitate corporis, aut præceptione regia, ad constitutam diem adesse non differant: quod si defuerint, sicut prisca Canonum præcepit auctoritas, usque ad proximam Synodum charitate fratrum & Ecclesiæ communione priventur.

*hæc * vox deest in edit. recentioribus.*

Symmachus * Cæsario Episcopo: Igitur quemadmodum supra diximus per singulas Ecclesias beneficia quę sunt diu custodita serventur, & si tamen Ecclesiæ Aquensis Antistes, vel alius quilibet Metropolitano Pontifici juxta Canonum diffinitionem vocatus obtemperare noluerit, noverit se * succidendum, quod non optamus, Ecclesiasticâ disciplinâ.

** Ex epistola x.*

al. * subdendum se Ecclesiasticæ disciplinæ.

CAPUT LXIII.

Ut Episcopus, qui contra suam professionem in Concilio habitam venerit, deponatur.

Ex Concilio Carthaginensi, cap. XIII *.

** Ex Carth. nomine secundo.*

SI quis contra suam professionem & subscriptionem venerit in aliquo, ipse se honore * privabit. Genedius Episcopus dixit: Omnia ergo quæ à cœtu * gloriosissimo statuta sunt placet ab omnibus custodiri. Ab universis Episcopis dictum est, placet, placet ut custodiantur ab omnibus.

** ubi sunt quædam transposita.*

al. * ab hoc cœtu se separabit. *seu* à vestro cœtu.

CAPUT LXIV.

De communione privatis & ita defunctis.

Ex epistola Leonis Papæ ad Rusticum.

Leonis I. epist. 92. inquisit. 8.

HORUM causa Dei judicio reservanda est, in cujus manu fuit, ut talium obitus usque ad communionis remedium non * differretur: nos autem

alibi deest * non.

quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus.

CAPUT LXV.

De terminis minimè transferendis.

Ex Epistola VIII. Innoc. I. ad Florentium Episc. Tiburtinens.

Ex epistola Papæ Innocentij ad Florentinum, cap. XXXI.

INNOCENTIUS Florentino Episcopo Tiburtinensi. Non semel sed aliquotiens clamat scriptura divina transferri non oportere terminos à Patribus constitutos, quia nefas est, si quod alter semper possederit, alter invadat. Quod tuam bonitatem frater & Coepiscopus noster Ursus adserit perpetrasse: nam Nomentanam sive Feliciensem * parrochiam ad suam diœcesim à majoribus pertinentem invasisse te, atque illic divina celebrasse mysteria inconsulto eodem ac nesciente, non sine dolore conquestus est. Quod si verum est, non leviter te culpam incurrisse cognoscas: unde si declinare cupis tantæ usurpationis invidiam, nostris litteris admonitum te convenit abstinere. Certè si aliquid tibi credis justitiæ suffragari, integris omnibus & in pristino statu manentibus post dies venerabiles Paschæ adesse debebis, ut memoratis possis intentionibus respondere, partibúsque in medio collocatis quid antiquitas aut veritas habeat requiramus.

al. * Felicientem.

CAPUT LXVI.

De Episcopis qui quod repetere potuerint, prætermissa Synodo invaserint.

Ex cod. can. cap. 120. Ex conc. Afric. cap. 87.

Ex Concilio Carthaginis.

PLACUIT, ut Episcopi quascumque Ecclesias vel plebes, quas ad suam cathedram existimant pertinere, non ita repetierint, ut causas suas, Episcopis judicantibus, agant: Sed alio renitente inruerint, sive volentibus, sive nolentibus plebibus causæ suæ

detrimentum patiantur. Et quicumque jam hoc fecerunt *, si nondum est inter Episcopos finita contentio, sed adhuc inde contendunt; ille inde discedat quem constiterit, prætermissis judicibus * Ecclesiasticis, inruisse. Nec sibi quisque blandiatur, si à Primate, ut retineat, litteras impetrarit: sed sive habeat litteras, sive non habeat, conveniat eum qui tenet, & ejus litteras accipiat, ut eum appareat pacificè tenuisse Ecclesiam ad se pertinentem. Si autem ille aliquam quæstionem retulerit, per Episcopos judices causa finiatur, sive quos eis Primates dederint, sive quos ipsi vicinos cum consulto * Primatis delegerint.

al. * fecerint.

al. * judiciis.

al. * ex consensu, *seu*, consultu.

CAPUT LXVII.

Vt basilicæ, in cujus territorio sunt, in ejus Episcopi maneant potestate.

Ex Concilio Aurelianense, cap. XXXIII. *

Aurel. I. *In editis.* * XVII.

OMNES autem basilicæ, quæ per diversa * constructæ sunt, vel quotidie construuntur, placuit secundùm priorum Canonum regulam, ut in ejus Episcopi, in cujus territorio positæ sunt, potestate consistant.

al. * diversa loca.

CAPUT LXVIII.

De parrochiis.

Ex Concilio Calcedonensi, cap. XVII.

Sub Leone. I.

SINGULARUM Ecclesiarum rusticas * parrochias vel in possessionibus * manere debere inconcussas illis Episcopis, qui eas retinere noscuntur, & maximè si per tricennium eas absque vi obtinentes sub * dispensatione rexerunt. Quòd si intra tricennium facta fuerit vel fiat altercatio, licere eis qui se læsos adserunt apud sanctam Synodum provinciæ certare *. Quòd si quisquam à Metropolitano læditur, apud Pri-

al. * regionarias.

al. * positionibus.

f * sua.

al * de his movere certamen.

matem * Diœceſeos, aut apud ſanctam Conſtantinopolitanam ſedem judicetur, ſicut ſuperiùs dictum eſt. Si quæ verò civitas poteſtate imperiali novata * eſt, aut ſi protinus * innovetur, civiles * diſpoſitiones & publicas Eccleſiaſticarum parrochiarum quoque ordines ſubſequantur.

al. * primam ſedem provinciæ ſuæ.
al. * nova conſtituta eſt aut certè conſtituatur.
al. * in poſterum.
al. * civilibus & publicis formulis etiam eccleſiaſticarum parrochiarum ordo celebretur.

CAPUT LXIX.

Quòd eccleſiarum omnium dotes ad Epiſcopi ordinationem debeant pertinere.

Ex Concilio Toletano, cap. XIX.

MULTI contra Canonum conſtituta ſic Eccleſias, quas ædificaverint, poſtulant conſecrari, ut dotem quam ei Eccleſiæ contulerint cenſeant ad Epiſcopi ordinationem non pertinere, quod factum & * in præteritum diſplicet, & in futuro prohibetur: Sed omnia ſecundùm conſtitutionem antiquam ad Epiſcopi ordinationem & poteſtatem pertineant.

Ex Toletano 3.
al. * & taliter in præterito.

CAPUT LXX.

De tricennali perſcriptione *, *ut poſt triginta annos nulli liceat pro eo appellare quod legum tempus excluſit.*

l. * præſcriptione.

Ex epiſtola Papæ Gelaſij.

ILLUD etiam adnecti placuit, ut ſi, quod abſit, facultates Eccleſiæ, nec non & diœceſes quæ ab aliquibus poſſidentur Epiſcopis iure ſibi vindicent quod tricennalis * lex concluſit, quia & filiorum noſtrorum Principum ita emanavit auctoritas, ut ultra triginta annos nulli liceat pro eo appellare, quos legum tempus excludit. Datum Iduum * Maiarum Aſterio & Præſidio.

Ex epiſtola x. Gelaſij I. ad Epiſcopos Siciliæ, ſub finem.
al. * tricenaria.
al. * Idibus Maij Aſt. & Pres. viris clariſſimis Conſulibus.

CAPUT LXXI.

Vt Episcopus ambulet per diœcesim suam.

Ex Concilio Bracarensi, cap. I.

Ex Concil. Bracar. dicto tertio.

PLACUIT omnibus Episcopis atque convenit, ut per singulas Ecclesias Episcopi per diœceses ambulantes, primùm discutiant Clericos quomodò ordinem baptismi teneant, vel Missarum, & qualiter quæcumque officia in Ecclesia peragant: & si rectè quidem invenerint, Deo gratias, sin autem minimè, docere debent ignaros, & hoc modis omnibus præcipere, ut sicut antiqui Canones iubent ante dies viginti baptismi ad purgationem exorcismi cathecumeni currant, in quos * viginti dies omnino cathecumeni Symbolum quod est, *Credo in Deum Patrem omnipotentem* specialiter doceantur. Postquam ergo hæc * suos Clericos discusserint vel docuerint Episcopi, alia die convocatâ plebe ipsius Ecclesiæ doceant illos ut errorem * fugiant idolorum, vel diversa crimina, id est homicidium, adulterium, perjurium, falsum testimonium, & reliqua peccata mortifera; & quod nolunt sibi fieri non faciant alteri: & ut credant resurrectionem omnium hominum, & diem judicii in quo unusquisque secundùm sua opera recepturus sit. Et sic postea Episcopus de Ecclesia illa proficiscatur ad aliam.

al. * in quibus viginti diebus.

al. * in his.

al. * errores.

CAPUT LXXII.

Vt Episcopus duos solidos tantùm accipiat, neque tertiam partem de oblationibus quærat, & ut Clerici non cogantur more servili.

Ex Concilio quo supra, cap. II.

PLACUIT ut nullus Episcoporum cùm suas diœceses perambulant, præter honorem cathedræ

suæ, id est duos solidos, aliquid aliud per Ecclesias tollat; neque tertiam partem ex quacumque oblatione populi in Ecclesiis parrochialibus requirat *; sed illa tertia pars pro luminaribus Ecclesiæ, vel recuperatione servetur: & singulis annis Episcopo exinde ratio fiat: nam si tertiam partem illam Episcopus tollat, lumen & sacra * tecta abstulit Ecclesiæ. Similiter & ut parrochiales Clerici servili more in aliquibus operibus Episcopo servire non cogantur, quia scriptum est. *Neque vi dominantes in clero.* *

al. * facta sibi usurpet, sed Ecclesiæ reparationi servetur, & in singulis annis Episcopo ratio fiat.
al. * sarta tecta, *vel* sacra sustulit Eccl.
1. *Pet.* 5.

CAPUT LXXIII.

De exactione Ecclesiarum Gallitiæ provinciæ.

Ex Concilio Toletano VII. cap. IV.

Ex *Tolet.* VII.

INTER cetera denique quæ communi consensu nos conferre competenter * oportuit, querimonias etiam parrochialium Presbyterorum Gallitiæ provinciæ solertissimè discernere decuit, quas contra Pontificum suorum rapacitates necessitas, ut comperimus, tandem compulit in publicum examen deferre. Hi enim Pontifices ut evidens inquisitio patefecit, indiscreto moderamine parrochianas Ecclesias prægravantes, dum in exactionibus superfluis frequenter existunt, penè usque ad exinanitionem extremæ virtutis quasdam basilicas perduxisse probantur. Ne ergo fiat de cetero quod constat hactenus inordinatè præsumptum, non ampliùs quàm duos solidos unusquisque Episcoporum præfatæ provinciæ per singulas diœceses, vel basilicas * juxta Synodum Bracarensem annua inlatione sibi expetent conferri, Monasteriorum autem basilicis ab hac solutionis * impensione sejunctis. Cùm verò Episcopus diœcesim visitat, nulli præ multitudine onerosus existat; nec umquam quinquagenarium * numerum evectionis excedat, aut ampliùs quàm una die per unamquamque basilicam remorandi licentiam habeat. Quicumque verò Pontificum

al. * communiter.
al. * Ecclesias.
al. * solutione pensionis.
al. * quinarium.

tificum eorumdem aliter quàm decernimus agendum præſumpſerit, correptioni procul dubio Canonum ſubjacebit tamquam conſtitutionum Synodalium tranſgreſſor, & priſcorum Patrum edicti corruptor, ſicut oportet. Quòd ſi Epiſcopus aut languore detentus, aut aliis occupationibus implicatus id explere nequiverit, Presbyteros probabiles aut Diaconos mittat, qui & redita baſilicarum, & reparationes, & miniſtrantium vitam inquirant.

CAPUT LXXIV.

De diſpenſatoribus ſingularum Eccleſiarum.

Ex Concilio Calcedonenſi, cap. XXVI. *Sub Leone I.*

QVONIAM in quibuſdam Eccleſiis, ut rumore comperimus, præter * œconomos Epiſcopi facultates Eccleſiaſticas tractant, placuit omnem Eccleſiam habentem Epiſcopum habere œconomum de clero proprio, qui diſpenſet res Eccleſiaſticas ſecundùm * ſententiam Epiſcopi proprii, ita ut Eccleſiæ diſpenſatio præter * teſtimonium non ſit, & ex hoc diſpergantur Eccleſiaſticæ facultates, & Sacerdotio maledictionis derogatio * procuretur *. Quòd ſi hoc minimè fecerit, divinis conſtitutionibus ſubjacebit.

al. * ſine œconomis.
al. * cum conſenſu.
al. * ſine teſtimonio.
al. * contumelia.
al. * ingeratur.

CAPUT LXXV.

Vt ab Imperatoribus poſtuletur Advocatorum defenſio pro cauſis Eccleſiæ.

Ex Concilio Africano *, cap. LXIV.

PLACUIT etiam, ut petant ex nomine provinciarum omnium legati perrecturi Vincentius & Fortunatianus à glorioſiſſimis Imperatoribus, ut dent facultatem Defenſores conſtituendi ſcholaſticos, qui in actu ſunt vel in munere defenſionis cauſarum, ut more Sacerdotum provinciæ, iidem ipſi, qui de-

* *Vulgò dicto, ſeu collectione canonum Africanæ provinciæ.*

fensionem Ecclesiarum susceperint, habeant facultatem pro negotiis Ecclesiarum quotiens necessitas flagitaverit, vel ad obsistendum obrepentibus, vel ad necessaria suggerenda, ingredi judicum secretaria.

CAPUT LXXVI.

De his quæ à fidelibus in parrochitanis Basilicis offeruntur.

Aurel. 1. Ex Concilio Aurelianense, cap. XI.

DE his quæ parrochiis, in terris, vineis, mancipiis, atque peculiis quicumque fideles obtulerint antiquorum Canonum instituta * serventur, ut omnia in Episcopi potestate consistant. De his tamen quæ in altario accesserint, tertia fideliter Episcopis deferatur.

al. * statuta.

CAPUT LXXVII.

De sacris locis noviter institutis quamvis superiùs dictum sit, hoc nunc tamen adjicitur, ut nulla basilica sub defunctorum constructa nomine dedicetur.

Ex epistola Papæ Gelasij, cap. XXV.

Ex epistola 9. Gelasij Papæ primi ad Episcopos Lucaniæ.

DE locorum consecratione Sanctorum quamvis superiùs scriptum * fuerit comprehensum, nobis quoque patefactum est, quòd absque præcepto Sedis Apostolicæ nonnulli factas Ecclesias vel oratoria sacrare præsumant; hoc sumus tamen judicio * detestabiliore permoti, quòd in quocumque * nomine defunctorum & quantum dicitur nec omnino fidelium constructiones ædificatas sacris præcessionibus * audacter instituere memorantur: quæ quoniam tam acerba, tam dura sunt, ut eadem vix noster ferre possit auditus: Si re vera Christianitatis affectus in illis regionibus certus & fixus est, & districtiùs ista quæran-

al. * strictim non.
al. * indicio.
al. * quorumcumque.
al. * processionibus ac professionibus.

tur, & à quibus fuerint gesta prodantur: quoniam sicut latentibus in hac atrocitate nominibus non extat in quem sententia debita proferatur, ita cùm manifestis fuerit documentis expositus, quem sceleris tanti poscit immanitas non vitabit ullatenus ultionem.

CAPUT LXXVIII.

Quòd in unaquaque Ecclesia, cui Episcopus præest, quatuor tam de reditibus quàm de oblatione fidelium fieri debeant portiones, ut una sit Episcopi, alia Clericorum, tertia pauperum, & quarta fabricis Ecclesiasticis adplicetur.

Ex epistola Papæ Gelasij, cap. XXVIII. *Ex eadem epist. cap. 27.*

QUATUOR autem tam de reditu quàm de oblatione fidelium, prout cujuslibet Ecclesiæ facultas admittit, sicut dudum rationabiliter est decretum, convenit fieri portiones, quarum una sit Pontificis, altera Clericorum, pauperum tertia, quarta fabricis adplicanda, de quibus sicut Sacerdotis intererit integram ministris Ecclesiæ memoratam dependere quantitatem, sic Clericus * ultra delegatam sibi summam nihil insolenter noverit expetendum. Ea verò quæ Ecclesiasticis ædificiis adtributa sunt, huic operi veraciter prærogata locorum doceat instauratio manifesta sanctorum; quia nefas est si sacris ædibus destitutis in lucrum suum Præsul impendia his designata convertat. Ipsam nihilominus adscriptam pauperibus portionem, quamvis divinis rationibus se dispensasse monstraturus esse videatur, tamen juxta quod scriptum est; *Ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est*; oportet etiam præsenti testificatione prædicari, & bonæ famæ præconiis non taceri.

*al. * Clerus.*

Matth. 5.

CAPUT LXXIX.

Contra eum qui illicitè ordinat Clericos, & de redditibus Ecclesiæ.

Ex epistola Simplicij Papæ ad Episcopos.

Ex epistola 3. ad Florentium, Equitium & Severum Episcopos.

al. * serie

RELATIO nos vestræ dilectionis instruxit, & gestorum series * plenius intimavit, Gaudentium Aufiniensis Ecclesiæ Sacerdotem contra statuta Canonum ac nostra præcepta ordinationes inlicitas perpetrasse, quarum illi totam penitus auferri præcipimus potestatem. Scripsimus enim ad Severum fratrem & Coepiscopum nostrum, ut si necesse fuerit ipse in supradicta Ecclesia, consideratis Patrum regulis hoc fungatur officio quo ille abusus esse convictus est, ita ut hi qui inlicitè ab eodem sunt provecti, ab Ecclesiasticis ministeriis sint remoti. Simul etiam de reditibus Ecclesiæ vel oblatione fidelium quid deceat nescienti nihil licere permittat, sed sola ei ex his una * portio remittatur; duæ Ecclesiasticis fabricis & erogationi peregrinorum & pauperum profuturæ, ab Onagro * Presbytero sub periculo sui ordinis ministrentur: ultima Clericis * pro singulorum meritis dividatur. At verò ministeria Ecclesiæ quæ alienata comperimus, reparare præsumptor prædicti fratris compellatur instantiâ: cui etiam in hoc specialiter præcipimus imminere, ut tres illas portiones, quas triennio dicitur sibi tantummodò vindicasse, restituat. Datum decima quarta * Calendarum Decembrium post consulatum Leonis Augusti.

al. * quarta.

al. * à Bonagro *item* ab Ovagio.

al. * inter se Clericis.

al. * decimo tertio.

CAPUT LXXX.

Ut nulli Apostolicæ sedis Præsuli possessionem Ecclesiæ magnam vel parvam in perpetuum liceat alienare, vel commutationis obtentu ad cujuslibet jura transvertere: & de do-

mibus Ecclesiasticis quæ sunt in urbibus commutandis.

Ex institutis Papæ Symmachi, cap. IV.

Ex Synodo Romana 4. aliàs Palmari appellata.

HIs ergo perpensis mansuro cum Dei nostri consideratione decreto sancimus, ut nulli Apostolicæ sedis Præsuli à præsente die, donec disponente Domino catholicæ fidei manserit doctrina salvatoris *, liceat prædium rusticum quantæcumque fuerit vel magnitudinis vel exiguitatis, sub perpetua alienatione, vel commutatione ad cujuslibet jura transferre, nec cujusquam excusentur necessitatis obtentu: quippe cùm non sit personale quod loquimur, nec aliquis Clericorum vel laicorum sub hac occasione accepta tueatur: sed nec in usum fructuum * rura aliquibus dari liceat, nec data retineri præter Clericos & captivos atque peregrinos, ne malæ tractationis ministretur occasio, cùm liberalitatis illi alia itinera reserventur. * Sanè tantùm domus in quibuslibet * urbibus constitutæ, quarum statim necesse est expensâ non modicâ sustentari, acceptis si offerri contigerit sub justa existimatione reditibus, & divini timore judicij commutentur *.

al. * salutaris.

al. * usufructuario jure.

* *Hic incipit cap.* V. *in editis.*

al. * cujuslibet & urbibus.

al. * commodentur.

CAPUT LXXXI.

Ut non liceat Presbyteris titulorum suorum præsidia, seu quidquid juris eorum fuerit quidlibet alienare conmento: qui verò hoc agere tentaverit, ordinis sui amissione plectatur.

capitulo V.

Ib. Cap. VI. *in edit.*

PARI etiam Ecclesiarum per omnes Romanæ civitatis titulos, qui sunt Presbyteri, vel quicumque fuerint, adstringi volumus lege custodes, quia

nefas dictu est obligatione, qua se per charitatem Christi connectit summus Pontifex, ea hominem secundi in Ecclesia ordinis non teneri. Quicumque tamen oblitus *, Dei, & decreti hujus immemor, cujus Romanæ civitatis Sacerdotes volumus religiosis nexibus devinciri, in constitutum præsens committens quidquam de jure titulorum, vel Ecclesias * superiùs præfatas, quolibet modo præter aurum, argentum vel gemmas, vestes quoque si sint, vel si accesserint aliqua mobilia ad ornamenta divina minimè pertinentia, perpetuo jure, exceptis duntaxat sub præfata conditione domibus, alienare tentaverit, donator, alienator, ac venditor honoris sui amissione mulctetur.

al. * obligatus.

al. * Ecclesiæ sup. præfatæ.

CAPUT LXXXII.

Ut qui petierit prædium & acceperit, aut si quis Presbyterorum aut Diaconorum, nec non defensorum danti subscripserit, anathemate feriatur.

Ibidem. Cap. VII.

Cap. VI.

PRÆTEREA qui petierit aut acceperit, vel qui Presbyterorum aut Diaconorum seu defensorum danti subscripserit, quo iratus Deus animas percutit, anathemate feriatur: Sitque accipienti vel subscribenti de personis superiùs comprehensis, id est, quas anathemate feriri censuimus, in statuta pœna contubernalium servata, quam præmisimus, in alienatore vindicta; nisi fortè & alienator sibi dum repetit, & qui acceperit celeri restitutione perspexerit *.

al. * prospexerit.

CAPUT LXXXIII.

Ut si quis anathematis pœnam parvi duxerit, etiam documento quo se putat Ecclesiæ prædium possidere, frustretur, liceátque cui-

libet Ecclesiasticæ personæ vocem contradictionis adferre, & cum fructibus præteriti temporis eadem prædia alienata reposcere.

capitulo IX.

QUÒD si minore animæ suæ cura sibi * quisquam remedium oblatum fortè neglexerit super ea pœnarum genera, quæ superiùs tenentur adscripta, contra nefas *. Si quod conceptum fuerit documentum universis viribus, quamvis ab initio nullas habuerint *, effectetur *. Sed etiam liceat quibuscumque Ecclesiasticis personis vocem contradictionis afferre & Ecclesiastica auctoritate fulciri, ita ut cum fructibus possit alienata reposcere, nec aliquis se ante tribunal Christi obstaculo muniat, qui à religiosis animabus ad substantiam pauperum derelicta contra fas sine aliqua pietatis consideratione dispergit. Hujus autem constitutionis legem in Apostolica tantùm volumus sede servari, universis * Ecclesiis per provincias secundùm animarum considerationem, quem proposito religionis convenire Rectores earum viderint more servato.

Ib. cap. 8. in edit.
** vox ista* sibi *deest.*
al. * fas.
al. * habuerit.
al. * efferetur.
al. * in universis.

CAPUT LXXXIV.

Si quis Clericorum pauper in ordine promotus postea habuerit aliquid, Ecclesiæ potestati subjiciat.

Ex Concilio Carthaginensi, cap. XXXII.

ITEM placuit ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel quicumque Clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore Episcopatus vel Clericatus sui agros vel quæcumque prædia nomine suo comparant, tamquam rerum domini earum invasionis crimine teneantur *, nisi admoniti in Ecclesia eadem ipsa con-

Ex codice can. Afric. Ecclesiæ cap. 32. ex Cartha. Conc. 3. cap. 49.
al. * obnoxij.

tulerint. Si autem ipsis propriè aliquid liberalitate alicujus vel successione cognationis obvenerit, faciant inde quod eorum proposito congruit: quòd si à suo proposito retrorsum exorbitaverint, honore Ecclesiastico indigni & tamquam reprobi judicentur

CAPUT LXXXV.

Vt Presbyteri rem Ecclesiæ in qua sunt constituti non vendant: nulli Episcopo liceat rem tituli matricis Ecclesiæ usurpare.

Ex cod. can. Africanæ. cap 33.

Ex eodem Concilio, cap. XXXVIII.

ITEM placuit ut Presbyteri non vendant rem Ecclesiæ ubi sunt constituti nescientibus Episcopis suis; quomodò & Episcopis non liceat vendere prædia Ecclesiæ ignorante Concilio vel Presbyteris suis. Non habente ergo necessitatem, nec Episcopo liceat matricis Ecclesiæ rem tituli sui usurpare.

CAPUT LXXXVI.

Vt res Ecclesiæ nemo distrahat.

Ex eodem codice, & ex Carth. 5. cap. 4.

Ex eodem Concilio, cap. XXVI.

ITEM placuit ut rem Ecclesiæ nemo vendat: quòd si reditus non habet, & reliqua nimia necessitas cogit, hoc insinuandum esse Primati provinciæ ipsius, ut cum statuto numero Episcoporum utrùm faciendum sit arbitretur. Quòd si tanta urget necessitas Ecclesiæ, ut non possit antè consulere, saltem vicinos testes convocet Episcopus, curans ad Concilium omnes referre suæ Ecclesiæ necessitates. Quòd si non fecerit, reus Deo & Concilij * venditor honore amisso teneatur.

al. * Concilio *vel* Concilij *tantùm*, *&* *non* Deo.

CAP. LXXXVII.

CAPUT LXXXVII.

De rebus ad Ecclesiam pertinentibus; & de his quæ propria Episcopi esse noscuntur.

Ex Concilio Antiocheno, cap. XXIV. *Sub Iulio I. an. 341.*

QUÆ sunt Ecclesiæ sub omni sollicitudine & conscientia bona & fide, quæ in Deum est, qui cuncta considerat judicátque, serventur. Quæ etiam dispensanda sunt judicio & potestate Pontificis, cui commissus est populus, & animæ quæ intra * Ecclesiam congregantur. Manifesta verò sint quæ pertinere videntur Ecclesiæ * cum notitia Presbyterorum & Diaconorum, qui circa ipsum sunt, ita ut agnoscant nec ignorent quæ sint Ecclesiæ propria, nec eos aliquid lateat: ut si contigerit Episcopum migrare de sæculo, certis existentibus rebus, quæ sunt Ecclesiæ, nec ipsæ conlapsæ depereant, nec quæ propria probantur Episcopi, sub occasione rerum pervadantur Ecclesiæ. Justum namque & acceptum est coram Deo & hominibus, ut sua Episcopus quibus voluerit derelinquat, & quæ Ecclesiæ sunt eidem conserventur Ecclesiæ, ut nec Ecclesia aliquod patiatur incommodum, nec Episcopus sub occasione proscribatur Ecclesiæ, & in causas incidant qui ad eum pertinent, & ipse post obitum maledictionibus ingravetur.

al. * in Ecclesia.

al. * ad Ecclesiam.

CAPUT LXXXVIII.

Ut Episcopus dispensandi res Ecclesiasticas habeat potestatem.

Ex eodem Concilio, cap. XXV.

EPISCOPUS Ecclesiasticarum rerum habeat potestatem ad dispensandum erga omnes qui indigent cum summa reverentia & timore Dei: participet autem & ipse quibus indiget, si tamen indiget, tam

suis quàm fratrum qui ab eo suscipiuntur necessariis usibus profuturis, ita ut in nullo qualibet occasione fraudentur juxta sanctum Apostolum sic dicentem :
1. Tim. 6 *Habentes victum & tegumentum, his contenti simus.* Quòd si contentus istis minimè fuerit, convertat autem res Ecclesiæ in suos usus domesticos & ejus commoda, vel agrorum fructus non cum Presbyterorum conscientia Diaconorúmque pertractet, sed horum potestatem domesticis suis, aut propinquis, aut fratribus filiisque committat, ut per hujusmodi personas occultè ceteræ lædantur Ecclesiæ, Synodo provinciæ pœnas iste persolvat. Si autem & aliter accusetur Episcopus aut Presbyteri, qui cum ipso sunt, quòd ea quæ pertinent ad Ecclesiam vel ex agris, vel ex alia qualibet Ecclesiastica facultate sibimet usurpent, ita ut ex hoc
al. * crimi natori. affligantur quidem pauperes, criminationi * verò & blasphemiis tam sermo prædicationis, quàm hi qui dispensant, taliter exponantur, & hos oportet corrigi, sancta Synodo id quod condecet approbante.

CAPUT LXXXIX.

Ut de rebus Ecclesiæ nihil Episcopi auferant, & qualiter proximi fundatoris Ecclesiarum sollicitudinem gerant.

Ex Tolet. IX. an. 655. Ex Concilio Toletano, cap. I.

OMNIS itaque rei Ecclesiasticæ quantitas sicut remedium veniæ tribuit conferenti, ita damnum ritè præparat fraudatori; & ideo nullus Sacerdotum vel ministrorum ex rebus Ecclesiæ, quæ in quibuscumque locis à fidelibus largiuntur, aliquid aufe-
al. * civitatis. rat, vel juri suo aut cathedræ propriæ * unitati connectat. Devotio enim uniuscujusque sicut gratanter
al. * quo. votum contulit Deo; ita definivit quòd * plenitudo votorum conservaretur in loco, in quo vel ut si con-
al. * manet. lata tenentur, manent * gratia offerentis, ita si fruf-

trantur imminet pernicies defraudantis. Verum ut rei hujus potior ſoliditas habeatur *, condignis filiis vel nepotibus honeſtioribúſque propinquis ejus, qui conſtruxit vel ditavit Eccleſiam, licitum ſit hanc bonæ intentionis habere ſolertiam : ut ſi Sacerdotem ſeu miniſtrum aliquid ex conlatis rebus providerint defraudare, aut commonitionis honeſta * conventione compeſcant, aut Epiſcopo vel judici corrigenda denuntient. Quòd ſi talia Epiſcopus agere tentet, Metropolitano ejus hæc inſinuare procurent. Si autem Metropolitanus talia gerat, Regis hæc auditibus * intimare non differant. Ipſis tamen heredibus in eiſdem rebus non liceat quaſi juris * proprii poteſtatem præferre, non rapinam, non fraudem gerere, non violentiam quamcumque præſumere, ſed hoc ſolùm in ſalutarem ſollicitudinem adhibere, quod aut in nullam noxam operatio nocens adtingat, vel in multam vel in aliquam partem ſalutaris merces adſumat. Si quis verò deinceps hæc monita temerare voluerit, & malè rapta cum confuſione reſtituet, & excommunicationis annuæ ſententiam ſuſtinebit : nam * ſententiam metuant, & liberos ex familiis Eccleſiæ ad condemnationem ſuam facere non præſumant. Impium eſt enim ut qui res ſuas Eccleſiæ Chriſti non contulit, damnum inferat, & ejus * Eccleſiæ rem alienare intendat. Tales igitur libertos * ſucceſſor Epiſcopus abſque aliqua oppoſitione ad jus Eccleſiæ revocabit, quia eos non æquitas ſed improbitas abſolvit.

al. * habeatur propinquis ejus qui conſtruxerunt vel ditaverunt.

al. * honeſtæ.

al. * auribus.

al. * in juris.

al. * hanc divinam, *quæ verba & ſequentia pertinent ad cap. 67. Tolet. 4. ſub finem.*

al. * jus Eccl. alien.

al. * liberos.

CAPUT XC.

De diſcretione manumiſſorum ex familia Eccleſiæ, qualiter manumittantur ; & ne adverſa teſtificent vel accuſent.

Ex Concilio quo ſupra, cap. LXVIII.

Ex Tolet. VI.

EPISCOPUS qui mancipium juris Eccleſiæ non retento Eccleſiaſtico patrocinio * manumitti deſi-

al. * patrimonio.

derat, duo meriti ejusdem & peculii corâm Concilio Ecclesiæ, cui præeminet, & per commutationem subscribentibus Sacerdotibus offerat, ut vera * & justa inveniatur definitio commutantis *. Tunc enim libera * manumissione sine patrocinio Ecclesiæ concedere poterit, quia * eum, quem libertati tradere disponit, jam juri * proprio adquisivit. Hujusmodi autem liberto adversus Ecclesiam, cujus juris extitit, accusandi vel testificandi denegetur licentia: quòd si præsumpserit, placet ut stante commutatione in servitutem propriæ * Ecclesiæ revocetur, cui nocere conatur.

al. * rata. *al.* * commutationis. *al.* * liberam missionem. *al.* * qui *al.* * jure. *al.* * propriam.

CAPUT XCI.

De libertis patrocinio Ecclesiæ commendatis.

Ex Concilio Toletano, cap. LXXII.

Ibidem.

LIBERTI qui à quibuscumque manumissi sunt, atque Ecclesiæ patrocinio commendati existunt, sicut & regulæ antiquorum Patrum constituerunt, Sacerdotali defensione à cujuslibet insolentia protegantur, sive in statu libertatis eorum, seu in peculio quod habere noscuntur.

CAPUT XCII.

Ut laici contemtores Canonum excommunicentur, Clerici honore priventur.

Ex Concilio Carthaginensi, cap. XIV.

Ex Carth. primo.

GRATUS Episcopus dixit: Juxta statuta Concilii & mediocritatis meæ sententiam placet facere rerum omnium conclusionem. Universi tituli designati & digesti teneant sententias suas. Sanè credo vos tenere multis Conciliis à Patribus nostris & traditionem temerariam esse damnatam, & rebaptizationis impietatem esse puniendam. Quas res etiam

nostro Concilio credo jam terminum accepisse. Reliqua verò quæ facta vel dicta superiùs comprehensa sunt, vel ab aliis Conciliis conscripta, quæ secundùm legem inveniuntur custodire nos oportet. Si quis verò statuta supergressus corruperit, vel pro nihilo habenda putaverit, si laicus est communione; si Clericus honore privetur. Universi dixerunt, placet, placet.

CAPUT XCIII.

Ut si quis Sacerdotum contra hæc interdicta fecerit, à suo sit officio submovendus.

Ex epistola Papæ Leonis ad Episcopos per Campaniam, Picenum, & Tusciam, cap. v. *Leonis* I. *epist.* II.

HOC itaque admonitio nostra denuntiat, quòd si quis fratrum contra hæc statuta * venire tentaverit, & prohibita fuerit ausus admittere, à suo se noverit officio submovendum: nec communionis nostræ futurum esse consortem qui socius esse noluit disciplinæ. *deest* * venerit, vel

CAPUT XCIV.

De flectendo genua.

Ex Concilio Nicæno, cap. xx. *Sub Silvestro* I. *an.* 325.

QUONIAM sunt quidam in die Dominico genua flectentes, & in diebus Pentecosten; ut omnia in universis locis consonanter observentur, placuit sancto Concilio stantes Domino vota persolvere.

CAPUT XCV.

Ut populus ante completam Missam, & benedictionem acceptam, egredi non præsumat.

Aurel. I. *al.* * XXVI.

Ex Concilio Aurelianensi, cap. XXII *.

CUM ad celebrandas Miſſas in Dei nomine convenitur, populus non ante diſcedat quàm Miſſæ ſolemnitas compleatur, & ubi Epiſcopus fuerit, benedictionem accipiat Sacerdotis. Ex Concilio Carthaginis, Sacerdote verbum in Eccleſia faciente qui egreſſus de auditorio fuerit, excommunicetur.

CAPUT XCVI.

Quòd manere debeat firmum ſi ſervi fiſci Eccleſias fecerint, eáſque de peculio ſuo ditaverint.

Ex Tolet. 3.

Ex Concilio Toletano, cap. XV.

SI quis ex ſervis fiſcalibus fortaſſe Eccleſias conſtruxerint, eáſque de ſua paupertate ditaverint, hoc * procuret Epiſcopus prece ſua auctoritate Regia * confirmari.

al. * has. *al.* * glorioſi Principis.

CAPUT XCVII.

*Ut vallematia * & turpia cantica prohibeantur.*

al. * allemandiæ *vel* gallemanchiæ.

Ex eodem Concilio, cap. XXIII.

EXTERMINANDA omnino eſt inreligioſa conſuetudo, quam vulgus priſcorum * ſolemnitates agere conſuevit; ut populi qui debent officia divina adtendere, ſaltationibus & turpibus invigilent canticis; non ſolùm ſibi nocentes, ſed & religioſorum officiis perſtrepentes: hoc etenim ut ab omni Hiſpania depellatur, Sacerdotum & judicum à Concilio ſancto curæ committatur.

al. * per ſanctorum.

CAPUT XCVIII.

De his qui Ecclesiastica jejunia absque necessitate dissoluunt.

Ex Concilio Gangrensi, cap. XIX. *Sub Silvestro I.*

SI quis eorum qui continentiæ student absque necessitate corporea tradita in commune jejunia, & ab Ecclesia custodita, superbiendo dissoluit stimulo suæ cogitationis impulsus, anathema sit.

CAPUT XCIX.

Non debere in diebus jejuniorum commemorationes Martyrum fieri.

Ex Concilio Laodicensi, cap. LI. *Sub Silvestro, vel rectius Liberio circa 364.*

QUÒD non oporteat in Quadragesima Martyrum natalitia celebrari, sed eorum sancta commemoratio in diebus Sabbatorum & Dominicarum fieri conveniat.

CAPUT C.

Oblationes offerri in domibus non oportere.

Ex Concilio quo supra, cap. LVIII.

QUÒD non oporteat in domibus oblationes celebrari ab Episcopis vel Presbyteris.

CAPUT CI.

Vt Sacramentum cathecumenis non præbeatur.

Ex epistola Papæ Leonis. *Ex Carth. tertio cap. 5.*

ITEM placuit ut etiam per sollemnissimos Paschales dies sacramentum cathecumenis non detur nisi

solitum ſalis: quia ſi fideles per illos dies ſacramenta non mutant, nec cathecumenos oportet * mutare *.

al. * mutari. *deeſt* * quæ forma etiam publicè pœnitentibus omninò ſequenda eſt.

CAPUT CII.

Quòd Paſcha & Pentecoſte ſit baptizandum.

Ex eadem epiſtola ad Epiſcopos per Siciliam.

Epiſtola IV. *cap.* 5.

UNDE quia manifeſtiſſimè patet baptizandis in Eccleſia electis hæc duo tempora, de quibus loquuti ſumus, eſſe legitima, dilectionem veſtram monemus ut nullos alios dies hujus obſervantiæ miſceatis.

CAPUT CIII.

Quòd omni tempore hi qui in neceſſitate mortis, aut ægritudinis, vel obſidionis, ſive perſecutionis, aut naufragii urgentur, debeant baptizari. De reddita etiam Chriſti baptiſmi ratione.

Cap. VI.

Ex eadem epiſtola.

QUIA etſi ſunt alia quoque feſta, quibus multa in honorem Dei reverentia debeatur, principalis tamen & maximi ſacramenti cuſtodienda nobis eſt myſticæ * rationis exceptio non interdictâ licentiâ, qua in baptiſmo tribuendo quolibet tempore periclitantibus ſubvenitur. Ita enim ad has duas feſtivitates connexas ſibimet atque cognatas incolumium & in pacis ſecuritate degentium libera vota differimus; ut in mortis periculo, in obſidionis diſcrimine, in perſequutionis anguſtiis, in timore naufragii nullo tempore hoc veræ ſalutis ſingulare præſidium cuiquam denegemus.

al. * traditionis rationabilis.

CAP. CIV.

CAPUT CIV.

De cathecumena prægnante.

Ex Concilio Neocæſarienſi, cap. VI.

Sub Sylveſtro. 1.

GRAVIDAM oportet baptizari quando voluerit, nihil enim in hoc quæ parit naſcenti communicat, propterea quòd uniuſcujuſque ſuum propoſitum in confeſſione declaretur.

CAPUT CV.

De infantibus baptizandis quoties dubitatur utrùm fuerint baptizati.

Ex Concilio Carthaginenſi, cap. XXXIX.

Ex Concil. Carthag. nomine quinto, cap. IV. & ex eod. can. Affricanæ Eccl. cap. hîc notato.

ITEM placuit de infantibus quoties non inveniuntur certiſſimi teſtes, qui eos baptizatos eſſe ſine dubitatione teſtentur, neque ipſi ſunt per ætatem de traditis ſibi ſacramentis idonei reſpondere, abſque ullo ſcrupulo eos eſſe baptizandos, ne iſta trepidatio eos faciat ſacramentorum purgatione privari. Hinc enim legitima * veſtrorum fratres noſtri conſuluerunt, quia multos tales à barbaris redimunt.

al. * legati Maurorum.

CAPUT CVI.

De baptizatis qui nondum confirmati moriuntur.

Ex Concilio Heliberitano, cap. LXXVII.

ſub Marcello. 1.

SI quis Diaconus regens plebem ſine Epiſcopo vel Presbytero aliquos baptizaverit, Epiſcopus eos per benedictionem perficere debebit : quòd ſi antè de ſæculo receſſerint *, ſub fide qua quiſque credidit poterit eſſe juſtus.

al. * receſſerit.

CAPUT CVII.

De his qui rebaptizati ſunt quantum pœniteant.

Ex Concilio Hilerdenſe, cap. IX.

Tempore Iohan. Papa circiter an. 524.

DE his qui [a] in prævaricationem rebaptizati [b] ſine aliqua neceſſitate vel tormento dilapſi ſunt, placuit ut circa eos illa Nicænæ Synodi ſtatuta ſerventur, quæ de prævaricatoribus conſtituta eſſe noſcuntur; id eſt ut ſeptem annis inter cathecumenos orent, & duobus inter Catholicos, & poſtea moderatione & clementia Epiſcopi fidelibus in oblatione [c] & Euchariſtia communicent [d].

al. [a] rebaptizati ſunt aliqua neceſſitate vel per tormenta dilapſi ſunt.
al. [b] prævaricatione rebaptiſmi.
al. [c] oblatione Euchariſtiæ.
[d] *deeſt hîc.* quam formam ſequantur & reconfirmati. *Quod deeſt etiam in edit. quibuſdam.*

CAPUT CVIII.

Quòd non debeant baptizati niſi ab Epiſcopis conſignari.

Ex epiſtola Papæ [e] Innocentij ad Decentium, cap. III.

[e] *Innoc.* I. *epiſt.* I.

DE conſignandis verò infantibus manifeſtum eſt non ab alio quàm ab Epiſcopo fieri licere: nam Presbyteri licet ſint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Hæc autem Pontificibus ſolis deberi ut vel conſignent vel Paraclitum Spiritum * tradant; non ſolùm conſuetudo Eccleſiaſtica demonſtrat, verùm & illa lectio actuum Apoſtolorum, quæ aſſerit Petrum & Johannem eſſe directos; qui jam baptizatis traderent Spiritum ſanctum. Nam Presbyteris ſeu extra Epiſcopum ſeu præſente Epiſcopo cùm baptizant chriſmate baptizatos ungere licet, ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum, non tamen frontem ex eodem oleo ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis cùm tradunt Spiritum Paraclitum. Verba verò dicere non poſſum, ne magis prodere videar, quàm ad conſultationem reſpondere.

al. * Paracletum ſanctum.

CAPUT CIX.

De energuminis baptizatis.

Ex eadem epiſtola cap. VI.

DE his verò baptizatis qui poſtea dæmonio, aut vitio aliquo, aut peccato interveniente arripiuntur *, quæſivit dilectio tua, ſi à Presbytero vel Diacono poſſint aut debeant conſignari; quod hoc niſi Epiſcopus * præcepit non licet; nam ei manus imponenda omninò non eſt, niſi Epiſcopus auctoritatem dederit id efficiendi. Ut autem fiat, Epiſcopi eſt imperare, ut manus ei vel à Presbytero vel à ceteris Clericis imponatur: nam quomodò id fieri ſine magno labore poterit, ut longè conſtitutus energuminus ad Epiſcopum deducatur, cùm ſi talis caſus ei in itinere acciderit, nec perferri ad Epiſcopum nec referri ad ſua facilè poſſit.

al. * corripiuntur.

al. * Epiſcopis præcipere non licet.

CAPUT CX.

De epiſtola ſancti Iacobi Apoſtoli, in qua pro infirmis orari præcipitur.

Ex eadem epiſtola, cap. VIII.

SANE quoniam de hoc ſicuti de ceteris conſulere voluit dilectio tua, adjecit etiam filius meus Cœleſtinus Diaconus in epiſtola ſua eſſe à tua dilectione poſitum illud, quod in beati Apoſtoli Jacobi epiſtola conſcriptum eſt: *Infirmatur * quis in vobis, inducat Presbyteros & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum *, & ſuſcitabit eum Dominus: & ſi in* peccatis fuerit, remittentur ei.* Quod non eſt dubium de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui ſancto oleo chriſmatis perungi poſſunt, quo ab Epiſcopo confecto non ſolùm Sacerdotibus, ſed omnibus uti Chriſtianis licet in ſua

al. * ſi infirmus aliquis in vobis eſt vocet Presbyteros.

al. * laborantem.

al. * peccata fecit remittet ei.

aut suorum necessitate inungendo *. Ceterum illud superfluum videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur quod Presbyteris licere non dubium est: nam idcirco de Presbyteris dictum est, quia Episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt. Ceterum si Episcopus aut potest aut dignum ducit aliquem à se visitandum & benedicere & tangere chrismate sine cunctatione potest, cujus est ipsum chrisma conficere; nam pœnitentibus istud fundi non potest, quia genus est sacramenti; nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodò unum genus putatur posse concedi?

al. * ad ungendum.

CAPUT CXI.

Vt nulla pretia de baptizandis consignandisque fidelibus exigantur; quod si qui perpetrare fuerint deprehensi, honoris sui sint periculum subituri.

Ex epistola Papæ Gelasij, cap. v.

Ex epistola Gelasij primi ad Episcopos Lucaniæ.

BAPTISANDIS consignandísque fidelibus * pretia nulla præfigant, nec inlationibus quibuslibet impositis exagitare cupiant renascentes; quoniam quod gratis accepimus, gratis dare mandamur, & ideò nihil à prædictis prorsus exigere moliantur, quo vel paupertate cogente deterriti, vel indignatione revocati redemptionis suæ causas adire despiciant; certum habentes quòd qui prohibita deprehensi fuerint admisisse vel commissa non potiùs sua spontè correxerint, periculum subituri proprij sint honoris.

* Sacerdotes *hic appon. ex quibusdam Mss.*

CAPUT CXII.

Ex Concilio Aurausico, cap. xiv.

Ex Arausicano I.

ENERGUMINI jam baptizati si de purgatione sua curant, & se sollicitudini Clericorum tra-

dunt, monitíſque obtemperant, omnimodis communicent, ſacramenti ipſius virtute vel muniendi ab incurſu dæmonum quo infeſtantur, vel purgandi quorum jam oſtenditur vita purgatior.

CAPUT CXIII.

*De energuminis omni die ab Exorciſtis manus * imponendæ.*

al. * imponendis.

Ex Concilio Carthaginis, cap. xc.

Ex Carth. IV.

OMNI die Exorciſtæ energuminis manus imponant.

CAPUT CXIV.

Ex Concilio quo ſupra, cap. xci.

PAVIMENTA domorum Dei energumini verrant.

CAPUT CXV.

Ex Concilio quo ſupra, cap. xcii.

ENERGUMINIS in domo Dei adſidentibus victus cotidianus per Exorciſtas opportuno tempore miniſtretur.

Explicit Liber II.

INCIPIT LIBER III.

CAPUT I.

Presbyterorum & Diaconorum ordinationes certis celebrari poſſe temporibus.

Ex decreto Papæ Gelaſij, cap. xi.

Ex epiſtola Gelaſij I. *ad Epiſcopos Lucaniæ.*

ORDINATIONES etiam Presbyterorum Diaconorúmque niſi certis temporibus & diebus

exerceri non debeant, id est quarti mensis jejunio septimi & decimi, sed etiam Quadragesimalis initij ac mediana Quadragesimæ die sabbati jejunio circa vesperam noverint celebrandas. Nec cujuslibet utilitatis * seu Presbyterum seu Diaconum his præferre *, qui ante ipsos fuerint ordinati.

* *vox causa hic abest, quæ in quibusdam aliis reperitur.*

al. * præferri.

CAPUT II.

Ut nemo litteras nesciens, vel aliqua parte corporis inminutus promoveatur ad Clerum.

Ex quo supra, cap. XVI.

INLITTERATOS quoque *, & nonnulla parte corporis imminutos sine ullo respectu ad Ecclesiasticum didicimus venire servitium; quod simul antiqua traditio & Apostolicæ sedis vetus forma non recipit; quia nec litteris carens sacris esse potest aptus officiis, & vitiosum nihil Deo prorsus offerri legalia præcepta sanxerunt. Itaque de cetero modis omnibus hæc vitentur, nec quisquam talis suscipiatur in Clerum. Si qui verò vel temeritate propria vel incuriâ præsidentum tales antè suscepti sunt, in his quibus constituti sunt locis nullatenus * perseverent, ut nihil umquam promotionis arripiant *; satísque habeant hoc ipsum sibi pro nimia miseratione permissum.

al. * quosque.

al. * catenus.

al. * accipiant.

CAPUT III.

De his qui se ipsos abscindunt.

Ex quo supra, cap. XVII.

DE his autem qui semetipsos absciderint * paterni Canones evidenter sequenda posuerunt, quorum tenorem sufficiat indidisse. Dicunt enim talia perpetrantes mox ut agniti fuerint, à munere Clericali debere secludi. Quod modis omnibus custodire nos convenit, quia fas esse nullus suppeditat, præter illa

al. * abscindunt.

quidquam quæ memorabilis decrevit forma censuræ.

CAPUT IV.

Quòd ad clerum criminosi nequeant promoveri, & in clero positi si in aliquibus fuerint inventi criminibus, à suis officiis arceantur.

Ex quo supra, cap. XVIII.

COMPERIMUS etiam horrendis quibusdam criminibus implicatos tota discretione summota non solùm de factis atrocibus necessariam pœnitudinem non habere, sed nec aliqua correptione penitus succedente ad divinum ministerium honorémque conscendere *. Nonnullos autem etiam in ipsis ordinibus constitutos graviùs delinquentes facinoribus non repelli, cùm & Apostolus clamet : *Nemini citò manus imponendas*, neque communicandum peccatis alienis, & majorum veneranda constituta pronuntient. Hujusmodi etiam si fortè subrepserint, tam qui ante peccaverunt detectos oportere depelli, quàm sacræ professionis oblitos prævaricatorésque sancti propositi procul dubio submovendos.

al. * contendere.

1. *Tim.* 5.

CAPUT V.

Quòd dæmoniis aliisque passionibus inretitis ministeria sacra tractare non liceat.

Ex quo supra, cap. XIX.

USQUE adeò sanè comperimus inlicita quæque prorumpere, ut dæmoniis * similibúsque passionibus inretitis ministeria * sacrosancta tractare tribuatur : quibus si in hoc opere positis aliquid propriæ necessitatis occurrat, quis de sua * fidelium salute confidet, ubi ministros ipsos curationis humanæ tanta

al. * dæmoniacis.

al * mysteria.

al. * sua ac.

perſpexerit calamitate vexari? atque ideò neceſſariò removendi ſunt, ne quibuslibet, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, ſcandalum generetur infirmis. Poſtremò ſi corpore ſauciatum fortaſſis aut debilem nequaquam ſancta contingere lex divina permittit; quantò magis doni cœleſtis diſpenſatores eſſe non convenit, quod eſt deterius, mente perculſos*?

al. * percuſſos.

CAPUT VI.

De his qui viduas aut dimiſſas ducunt, vel in malis conſiliis mixti ſunt.

In excerptis Martini.

Ex capitulis Martini Bracarenſis Ep. cap. XXVI.

SI quis viduam aut ab alio dimiſſam duxerit, non admittatur ad clerum; aut ſi obpreſſit* dejiciatur. Similiter ſi homicidii aut facto, aut præcepto, aut conſilio, aut aſſenſione* poſt baptiſmum conſcius fuerit, & per aliquam ſubreptionem ad Clericatum venerit, dejiciatur, & in finem vitæ ſuæ communionem recipiat.

al. * obrepſit *vel* obrepſerit.
al. * defenſione.

CAPUT VII.

Ex decreto Papæ Hilarii, qui non debeant ad clericatum admitti.*

al. * Hilari.

cap. I.

CAVENDUM [a] ergo inprimis ne ad ſacratos gradus, ſicut geſtis prioribus ante præſcriptum eſt, quiſquam qui uxorem non virginem duxit, adſpiret: repellendus eſt etiam quiſque qui in ſecundæ uxoris nuptias contra Apoſtolica præcepta convenerit. Quod [b] inſcii litterarum, nec non & aliqua membrorum damna perpeſſi, & hi qui ex pœnitentibus ſunt, ad ſacros ordines adſpirare non audeant. Quiſquis talium

[a] *Hic incipit cap. 2. tertium autem ſic.* Inſcij quoque literarum, *ut infra: quartum verò:* ſed & quod quis commiſit. *Quæ omnia in iſto cap. contenta deſumpta ſunt ex Concilio Romano circa 465. habito.*
[b] Inſcij quoque lit.

confecrator

consecrator extiterit, factum suum ipse dissolvet; & [e] quod commisit inlicitè, aut à decessoribus invenit admissum [d], si proprium periculum vult vitare, damnabit. Nos enim in nullo volumus severitatem ultionis exercere, sed qui in causis Dei vel contumaciâ vel in aliquo excessu deliquerit, aut ipse quod perperam fecit abolere noluerit, in se quidquid in alium [e] non resecarit, inveniet. Quod ut deinceps possit tenaciùs custodiri, si placet omnes causas [f] & subscriptiones proprias commodate [g], ut Synodali judicio aditus claudatur inlicitus. Ab universis Episcopis & Presbyteris adclamatum est, hæc confirmamus & hæc docemus.

al. [e] sed & quod quis commisit.
al. [d] quod proprius ejus prædecessor fecit abolere.
al. [e] alio non resecuerit *item* resecaverit.
al. [f] sententias omnes *vel* sententias, causas &.
al. [g] commendate.

CAPUT VIII.

Item ejusdem de eadem re, cap. 11.

NONNULLI * Episcopatum quibus nonnisi meritis præcedentibus datur, non divinum munus sed hereditarium putant esse compendium; & credunt sicut res caducas atque mortales, ita Sacerdotum velut legali * aut testamentario jure posse dimitti. Nam plerique Sacerdotes in mortis confinio constituti in locum suum feruntur alios designatis nominibus subrogare, ut scilicet non legitima expectetur electio, sed defuncti * gratificatio pro populi habeatur * adsensu: quod quàm grave sit æstimate: atque ideò si placet etiam hanc licentiam generaliter de Ecclesiis auferamus, ne quod turpe dictu est homini se putet debere quod Dei est.

* *Hæc in cap. 5. editorum continentur: & post pauca sic habet:* Nonnulli &c.
al. * legatorio.
al. * gratificato populis habeatur assensio.
al. * præbeatur.

CAPUT IX.

De his qui virginitatem professi sunt: & de his quæ sub sororis habitu cum aliquibus commorantur.

capitulo XIX.

Ex Concil. Ancyrano sub Silvest. an. 314. cap. 18.

QUOTQUOT virginitatem promittentes irritam faciunt ſponſionem, inter bigamos cenſeantur. Virgines autem quæ conveniunt cum aliquibus tamquam ſorores habitare prohibemus.

CAPUT X.

Ut ex curialibus Clericus non fiat propter voluptates, quas à diabolo inventas exhibere compellitur.

Ex epiſt. 2. Innoc. I. ad Victric. Rothomag. Epiſc.

Ex epiſtola Papæ Innocentij ad Victricium Epiſcopum, cap. XI.

PRÆTEREA frequenter quidam è fratribus noſtris curiales vel quibuslibet publicis functionibus occupatos Clericos facere contendunt, quibus poſtea major triſtitia cùm de revocandis eis aliquid ab Imperatore præcipitur, quàm gratia de adſcito naſcitur: conſtat enim eos in ipſis muniis voluptates etiam exhibere quæ * à diabolo inventæ eſſe noſcuntur, & ludorum vel munerum apparatibus aut præeſſe aut forſitan intereſſe: ſit certè in exemplum ſollicitudo & triſtitia fratrum quam ſæpe pertulimus Imperatore præſente, cùm pro his ſæpiùs rogaremus, quàm ipſe nobiſcum poſitus cognoviſti: quibus non ſolùm inferiores Clerici ex curialibus, verùm etiam jam in Sacerdotio conſtituti, ingens moleſtia ut redderentur inſtabat *.

al. * quas à diabolo inventas eſſe non dubium eſt.

al. * imminebat.

CAPUT XI.

De miniſtratoribus.

Epiſtola 3.

Ex ejuſdem epiſtola ad Exuperium, cap. III.

QUÆSITUM etiam eſt ſuper his qui poſt baptiſmum adminiſtraverunt, & aut tormenta ſola exercuerunt, aut etiam capitalem protulere ſententiam: de his nihil legimus à majoribus diffinitum:

meminerant enim à Deo potestates has fuisse concessas, & propter vindictam noxiorum gladium fuisse permissum & Dei ministrum esse, datum in hujusmodi vindicem. Quomodò igitur reprehenderent factum, quod auctore Domino viderent esse concessum. De his ergo ita ut hactenus servatum est sic habemus *, ne aut disciplinam evertere, aut contra auctoritatem Domini venire * mereamur. Ipsis autem in ratione reddenda gesta sua omnia servabuntur.

al. * habeamus.

al. * videamur.

CAPUT XII.

Quòd qui preces vel criminales dictant habentur immunes.

Ex eadem epistola, cap. v.

ILLUD etiam scíscitari voluisti, an preces dictantibus liberum concedatur, utique post baptismi regenerationem, à Principibus poscere mortem alicujus vel sanguinem de reatu : quam rem Principes numquam sine conditione * concedunt, sed ad judices commissa ipsa vel crimina semper remittunt, ut causâ cognitâ vindicentur; quæ cùm quæsitori fuerint delegata aut absolutio, aut damnatio pro negotij qualitate profertur; & dum legum in improbos exercetur auctoritas, erit dictator immunis.

al. * cognitione.

CAPUT XIII.

Si quis volens partem sui corporis amputaverit, Clericus esse non potest, nolens autem potest.

Ex epistola Papæ Innocentij ad Felicem Episcopum, cap. XXVIII.

Epist. 4. ad Felicem Nucerianum Episc. cap. 1.

QUI igitur partem cujuslibet digiti sibi ipsi volens abscidit, hunc ad Clerum Canones non admittunt : cui verò casu aliquo contigit, dum aut operi rustico curam impendit, aut aliquid faciens se non

ſponte percuſſit, hos Canones præcipiunt & Clericos fieri; & ſi in clero fuerint reperti * non abjici : in illis enim voluntas eſt judicata *, quæ ſibi auſa fuit ferrum injicere, quòd ſcilicet & alii id facere dubitari * non poſſit : in iſtis verò caſus veniam meruit.

al. * rece-pti.
al. * vindi-cata.
al. * dubi-tare non poſſunt.

CAPUT XIV.

Quòd digami ad Clerum admitti non poſſunt.

Ex eadem epiſtola, cap. XXIX.

cap. 2.

DE digamis autem nec conſuli debuit, quòd manifeſta ſit lectio Apoſtoli : *Vnius uxoris virum*, ad Sacerdotium ſive ad Clericatum admitti debere, & hanc ipſam tamen ſi virginem accepit : nam ea quæ habuerit antea virum, licet defunctus ſit, tamen ſi poſtea Clerico fuerit copulata, Clericus qui eam acceperit eſſe non poterit : quia in lege cautum eſt : Non viduam, non abjectam habere poſſe in conjugem Sacerdotem.

1. *Tim.* 3.
Tit. 1.

CAPUT XV.

Qui de laicis ad clerum non debeant promoveri.

Ex eadem epiſtola, cap. III.

DE laicis verò conſuluit tua religio, quod Canones ordinare prohibeant. Certum eſt quidem hoc regulas Eccleſiaſticas continere, ſed non ita diffinitum eſt, ut de omnibus ſit laicis conſtitutum : neque enim Clerici noſci & non * fieri poſſunt : ſed deſignata ſunt genera de quibus ad Clericatum pervenire non poſſunt, id eſt ſi quis fidelis militaverit, ſi quis fidelis cauſas egerit, hoc eſt poſtulaverit, ſi quis fidelis adminiſtraverit. De curialibus autem manifeſta ratio eſt, quoniam & ſi inveniantur hujuſmodi viri qui debeant Clerici fieri, tamen quoniam ſæpiùs ad

*f** ſed fieri.

curiam repetuntur, cavendum ab his eſt propter tribulationem quæ ſæpe de his Eccleſiæ provenit.

CAPUT XVI.

Qui de laicis poſſunt Clerici fieri : hîc apertè concuba prohibetur.

Ex eadem epiſtola, cap. IV.

LAICI verò qui habentes uxores baptizati ſunt, ac ſic ſe inſtituerunt, ut opinio eorum in nullo vacillet, ut aut Clericis juncti ſunt aut monaſteriis, ex quo baptizati ſunt hæſerint. Si non concubinam, non pellicem noverint, ſi in omnibus bonis operibus vigilarint, non prohibentur hujuſmodi ad Clericatus ſortem adſumi.

CAPUT XVII.

De temporibus morandi in clero.

Ex eadem epiſtola, cap. V.

ITA ſanè ut in eos tempora à majoribus conſtituta ſerventur, nec citò quilibet Lector, citò Acolytus, citò Diaconus, citò Sacerdos fiat : quia in minoribus officiis ſi diu perdurent, & vita eorum pariter & obſequia comprobantur, ut ad Sacerdotium poſteà emenſis ſtipendiorum meritis veniant, nec prærипiant quod vita probata meretur accipere. Quoniam ergo certa diffinitione monſtratum eſt qui debeant admitti, quiùe reprobari ex his omnibus, quos videt dignatio tua non poſſe reprobari, eligere debebis quos Clericos facias : Si enim nullam gratiam hominibus aut beneficium præſtare velimus, tales invenire poſſumus, de quorum adſumptione nec incurrere ſcandalum nec erubeſcere valeamus *.

al. * videamur.

CAPUT XVIII.

al. * Clericorum.

*Quæ in singulis Clerici * gradibus tempora sint præfixa.*

Ex epistola Zozimi Papæ, cap. III.

Data an. 418.

HÆC sunt autem in singulis gradibus observanda tempora. Si ab infantia Ecclesiasticis ministeriis nomen dederit, inter Lectores usque ad vicesimum ætatis annum continuata observatione perduret: si major jam & grandævus accesserit, ita tamen ut post baptismum statim se divinæ militiæ desideret mancipari, sive inter Lectores, sive inter Exorcistas quinquennio teneatur; exinde Acolytus vel Subdiaconus quatuor annis: & sic ad benedictionem Diaconatus si meretur accedat, in quo ordine quinque annis si inculpatè se gesserit hærere debebit: exinde suffragantibus stipendiis per tot gradus datis propriæ fidei documentis Presbyterii Sacerdotium poterit promereri; de quo loco, si eum exactior ad bonos mores vita perduxerit, summum Pontificatum * sperare debebit. Hac tamen lege servata, ut neque digamus, neque pœnitens, neque viduæ maritus ad hos gradus possit admitti. Sanè ut etiam defensores Ecclesiæ, qui ex laicis fiunt, supradicta observatione teneantur, si meruerint esse in ordine Clericatus.

al. * Pontificium.

CAPUT XIX.

Ex Cœlestini I. Epistola 2. ad Episcopos provinciæ Viennensis & Narbonensis, cap. I.

Quòd non debeant Sacerdotes aut Clerici amicti palliis, & præcincti lumbis in Ecclesia ministrare.

Ex epistola Papæ Cœlestini, cap. XIV.

DIDICIMUS enim Domini * Sacerdotes superstitioso potiùs cultui inservire, quàm mentis

al. * quosdam Domini.

vel fidei puritati. Sed non mirum si contra Ecclesiasticum morem faciunt qui in Ecclesia non creverunt. Sed * alios venientes in itinere secum hæc in Ecclesiam quæ in alia conversatione habuerant intulerunt : amicti pallio & lumbis præcincti credunt se sanctæ scripturæ fidem non per spiritum sed per litteram impleturos: nam si ad hoc ista præcepta sunt, ut taliter servarentur, cur non fiunt pariter quæ sequuntur ut lucernæ ardentes * unà cum baculo teneantur? habent suum ista mysterium, & intelligentibus ita clara sunt, ut ea magis qua decet signifficatione serventur. Nam in lumborum præcinctione castitas, in baculo regimen pastorale, in lucernis ardentibus boni fulgor operis, de quo dicitur; *Sic opera vestra luceant*, indicatur. Habent * tamen istum forsitan cultum, morem potiùs quàm rationem sequentes, qui remotioribus habitant locis & procul à ceteris degunt, unde hic habitus in Ecclesiis Gallicanis ut tot annorum tantorúmque Pontificum in alterum habitum consuetudo vertatur. Discernendi à plebe vel ceteris sumus doctrinà non veste, conversatione non habitu, mentis puritate non cultu. Nam si studere incipiamus novitati traditum nobis à Patribus ordinem calcabimus, ut locum supervacuis superstitionibus faciamus. Rudes ergo fidelium mentes ad talia non debemus inducere : docendi enim sunt potiùs quàm illudendi ; nec imponendum est eorum oculis, sed mentibus infundenda præcepta sunt. Erant quidem multa quæ pro disciplina Ecclesiastica vel ipsius rei dicere ratione possemus : sed ab his ad alia devocamur.

al. * alio venientes itinere.

al. * ardentes in manibus.

Matth. 5.

al. * habeant.

CAPUT XX.

De Clericis quales debeant promoveri.

Ex Decretis Papæ Syricij, cap. VIII.

Ex epistolà ad Himerium Terracon. Episc.

DIDICIMUS etiam licenter ac liberè inexploratæ vitæ homines, quibus etiam fuerint numerosa

conjugia ad præfatas dignitates prout cuicumque libuerit adspirare, quod non tantùm illis qui ad hæc immoderata ambitione perveniunt, quantum Metropolitanis specialiter Pontificibus inputamus, qui dum

al. * non obsistunt. inhibitis ausibus connivent *, Dei nostri quantum in se est præcepta contemnunt. Et ut taceamus quod altiùs suspicamur ubi illud est quod Dominus noster data per Moysen lege constituit dicens: *Sacerdotes mei* (Levit. 21.)

Ezech. 44. *semel nubant.* Et alio loco: *Sacerdos uxorem virginem accipiat, non viduam, non repudiatam, non meretricem.* Quod secutus Apostolus ex persecutore prædicator:

1. Tim. 3. *Vnius uxoris virum* tam Sacerdotem quàm Diaconum fieri debere mandavit. Quæ omnia ita vestrarum regionum despiciuntur Episcopis quasi in contrarium magis fuerint constituta: & quia non est nobis de hujusmodi usurpationibus negligendum, ne nos indi-

al. * ista. gnantis Domini vox * justa corripiat quæ dicit: *Vide-*

Psal. 49. *bas furem & currebas cum eo; & ponebas tuam portionem cum adulteris.* Quid ab universis post hæc Ecclesiis sequendum sit, quid vitandum generali pronuntiatione decernimus.

CAPUT XXI.

Quòd extra conscientiam Metropolitani non ordinandus sit Episcopus.

Ex Decretis Papæ Innocentij, cap. IX.

Ex epistola 2. ad victricium Rothomag. Episc. cap. 1.

PRIMÙM ut extra conscientiam Metropolitani Episcopum nullus audeat ordinare: integrum enim judicium est quod plurimorum sententiis confirmatur. Nec unus Episcopus ordinare præsumat Episcopum, ne furtivum beneficium præstitum videatur. Hoc enim & à Synodo Nicæna constitutum atque diffinitum.

CAP. XXII.

CAPUT XXII.

Quòd nolentibus Clericis, vel populis, nemo debeat Episcopus ordinari.

Ex epistola Papæ Cælestini ad universos Episcopos per Viennensem & Narbonensem provinciam constitutos, cap. XVIII. *Epistola* 2. *Cælestini* 1. *cap.* V.

NULLUS invitis detur Episcopus: Cleri, plebis & ordinis consensus & desiderium requiratur. Tunc alter de altera eligatur Ecclesia si de civitatis ipsius Clericis, cui est Episcopus ordinandus, nullus dignus, quod evenire non credimus, poterit inveniri. Primùm enim illi reprobandi sunt ut aliqui de alienis Ecclesiis merito præferantur. Habeat unusquisque * suæ fructum militiæ in Ecclesia in qua suam per omnia officia transegit ætatem: in aliena stipendia minimè alter obrepat, nec alii debitam alter sibi audeat vindicare mercedem. Sit facultas Clericis renitendi si se viderint prægravari: & quos sibi ingeri ex transverso cognoverint, non timeant refutare: quia * si non debitum præmium vel liberum de eo qui eos recturus est debeant * habere judicium.

al. * unusquisque Clericorum.

al. * qui etsi.

al. * debent.

CAPUT XXIII.

Quòd ab inlicitis sit ordinationibus abstinendum.

Ex eadem epist, cap. XIX. *Cap.* VI.

ABSTINEATUR etiam ab inlicitis ordinationibus. Nullus ex laicis, nullus digamus, nullus qui sit viduæ maritus aut fuerit, ordinetur; sed inreprehensibilis & qualem elegit Apostolus, fiat. Per Moysen Dominus præcepit: *Virginem accipiat Sacerdos uxorem.* Subsequitur & supplet Apostolus eodem loquutus Spiritu, unius uxoris virum debere Episcopum consecrari. Ad hanc ergo eligantur formulam

Levit. 1. 1. *Tim.* 3.

Sacerdotes: & si quæ factæ sunt ordinationes inlicitæ removeantur, quoniam stare non possunt: nec discussionem nostram subterfugere poterunt, quamvis latere se æstiment qualiter * pervenerunt. Ut nulla religionis reverentia obscuritate fuscetur, non sit vana gloriatio palliatis, Episcopalem morem qui Episcopi sunt sequantur. Daniel*, ut diximus, qui accusationem Pontificali honore subterfugere se posse credidit, & ad fastigium tantum accusatores suos latendo pervenit, à sanctitatis vestræ cœtu interim se noverit segregatum, qui se nostro judicio debet objicere, si conscientiæ suæ novit confidentiam obtinere *. Massiliensis * verò Ecclesiæ Sacerdotem, qui dicitur, quod dictu nefas est, in necem fratris sui taliter gratulatus, ut huic qui ejus sanguinem cruentatus advenerat, portionem cum eodem habiturus occurreret; vestro eum audiendum collegio delegamus.

al. * qui taliter.

* *Hic incipit. cap. 7.*

al. * se habere.

* *Hic cap. 8. incipit Massiliensis &c.*

CAPUT XXIV.

Ut nullus Episcoporum servum alterius ad Clericatus officium promovere præsumat.

Ex decretis Papæ Leonis in epistola ad Episcopos per Campaniam.

Leonis I. epistolæ I. cap. I. alibi sic incipit, * Admittuntur passim.

NON admittantur * passim ad ordinem sacrum, quibus nulla natalium, nulla morum dignitas suffragatur; & qui à dominis suis libertatem consequi minimè potuerunt, ad fastigium Sacerdotij tamquam servilis vilitas hunc honorem * capiat, provehuntur: & probari Deo se posse creditur qui domino suo necdum probare se potuit. Duplex itaque in hac parte reatus est, quod & sacrum ministerium * talis consortij vilitate polluitur, & dominorum quantùm ad inlicitæ usurpationis temeritatem pertinet jura solvuntur. Ab his itaque, fratres charissimi, omnes vestræ provinciæ abstineant Sacerdotes, & non tantùm ab his, sed ab aliis etiam qui originali aut alicui

* jure.

al. * mysterium.

conditioni obligati ſunt, volumus temperari; niſi fortè eorum petitio aut voluntas acceſſerit, qui aliquid ſibi in eos vindicant poteſtatis; debet enim eſſe immunis ab aliis qui divinæ militiæ fuerit adgregandus, ut à caſtris dominicis, quibus nomen ejus adſcribitur, nullis neceſſitatis vinculis abſtrahatur.

CAPUT XXV.

Ut quicumque ad Sacerdotium vel viduarum mariti, vel habentes numeroſa conjugia promoti fuerint, ab omnibus Eccleſiaſticis officiis arceantur.

Ejuſdem, cap. 11.

QUALIS verò unicuique natalium honeſtas & morum eſſe debeat, qui ſacri altaris miniſterio eſt ſociandus, & Apoſtolo nos docente, & divina præceptione didicimus & Canonum regulis, à quibus pleroſque fratrum declinaſſe & penitus deviaſſe reperimus: nam conſtat ad Sacerdotium perveniſſe viduarum maritos quoſdam, etiam quibus fuerint numeroſa conjugia, & ad omnem licentiam vita liberior, ad ſacrum ordinem paſſim patefactis * aditibus fuiſſe promotos contra illam beati Apoſtoli vocem qua talibus exclamat dicens: *Unius uxoris virum*: & contra illud antiquæ legis præceptum quo dicitur * & cavetur: *Sacerdos virginem uxorem accipiat, non viduam, non repudiatam*, hos ergo quicumque tales admiſſi ſunt ab Eccleſiaſticis officiis & à Sacerdotali nomine Apoſtolicæ ſedis auctoritate jubemus arceri. Nec hoc enim ſibi poterunt pro arbitrio vindicare, cujus capaces per hoc quod illis obſtiterat non fuerunt: hujus diſcuſſionis curam nobis ſpecialiter vindicantes, ut ſi qua forſitan de his commiſſa ſunt, corrigantur, ne liceat ultra committi; & * ne qua excuſatio de ignoratione naſcatur, quamquam ignorare numquam licuerit

al. * permiſſos.
1. *Tim.* 3.
al. * indicitur.
Levit. 21.
al. * ne qua occaſio.

Sacerdotem quid Canonum regulis fuerit diffinitum. Hæc ergo ad provincias vestras per Innocentium, Legitimum & Segetium fratres & Coepiscopos nostros scripta reximus, ut quæ malè pullulasse noscuntur radicitùs evellantur, & messem Dominicam zizania nulla corrumpat. Ita enim fructum uberem quæ sunt sincera præstabunt, si ea quæ natam segetem enecare consuerunt, diligentiùs amputentur.

CAPUT XXVI.

Ut si quis sacerdotum contra hæc interdicta fecerit à suo sit officio submovendus.

Ejusdem, cap. v.

HOc itaque admonitio nostra denuntiat, quòd si quis fratrum contra hæc statuta venerit vel venire tentaverit, & prohibita fuerit ausus admittere, à suo se noverit officio submovendum, nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ. Ne quid verò sit quod prætermissum à nobis fortè credatur, omnia decretalia constituta tam beatæ recordationis Innocentij, quàm omnium decessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis ordinibus * & Canonum promulgata sunt disciplinis, ita à vestra dilectione custodiri debere mandamus, ut si quis in * illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari.

al. * ordinationibus. *al.* * illa contempserit.

CAPUT XXVII.

Quòd non habeantur Episcopi, quos nec Clerus elegit, nec populus exquisivit, nec provinciales Episcopi consecraverunt: si qui tamen Clerici ab his pseudo-Episcopis ordinantur, rata potest ordinatio talis existere.

Ejuſdem, cap. xv.

NULLA ratio ſinit ut inter Epiſcopos habeantur, qui nec à Clericis ſunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à provincialibus Epiſcopis cum Metropolitani judicio conſecrati : unde cùm ſæpe quæſtio de malè accepto honore naſcatur, quis ambigat nequaquam iſtis eſſe tribuendum quod non docetur eis fuiſſe conlatum ? ſi qui autem Clerici ab ipſis pſeudo-Epiſcopis in eis Eccleſiis ordinati ſunt, quæ ad proprios Epiſcopos pertinebant, & ordinatio eorum cum conſenſu & judicio præſidentium facta eſt, poteſt rata haberi, ita ut in ipſis Eccleſiis perſeverent : aliter autem vana habenda eſt conſecratio*, quæ nec in loco fundata eſt, nec auctoritate munita.

Leonis ejuſdem epiſtola, ſeu reſponſiones ad inquiſitiones Ruſtici Narbon. Epiſcopi, hæc eſt XCII. *reſponſ.* I.

al. * ordinatio.

CAPUT XXVIII.

Ut nullus invitis ordinetur Antiſtes.

Ejuſdem, cap. xxxv.

Ad Anaſtaſium Theſſalonicens. Epiſc. epiſt. 84. *cap.* 5.

CUM ergo de ſummi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Clerici plebiſque conſenſus concorditer poſtulaverint ; ita ut ſi in aliam fortè perſonam partium ſe vota diviſerint, Metropolitani judicio is alteri præponatur, qui majoribus & ſtudiis juvatur & meritis, tantùm ut nullus invitis & non petentibus ordinetur ; ne civitas Epiſcopum non optatum aut contemnat aut oderit & fiat minùs religioſa quàm convenit, cui non licuerit habere quem voluit.

CAPUT XXIX.

Ut nullus alienum Clericum ſollicitare, vel tenere præſumat ſuo Epiſcopo non præbente conſenſum.

Cap. IX.

Ejusdem, cap. XXXIX.

ALIENUM Clericum invito Episcopo ipsius nemo suscipiat, nemo sollicitet; nisi fortè ex placito charitatis id inter dantem accipientémque conveniat: nam gravis injuriæ reus est, qui de fratris Ecclesia id quod est utilius aut pretiosius audet vel allicere vel tenere. Itaque si intra provinciam res agitur, transfugam Clericum de Ecclesia sua Metropolitanus redire compellat. Si autem longiùs recessit, tui præcepti auctoritate revocabitur, ut nec cupiditati nec ambitioni occasio relinquatur.

CAPUT XXX.

Ut implicati negotiis alienis ante redditam rationem Clerici non ordinentur.

Ex Concilio Carthaginensi *, cap. IV.

* *Primo Sub Iulio* I. *cap.* VIII. *al.* * Aptungensis. *al.* * exactores.

MAGNUS Episcopus Astuagensis * dixit: Quid dilectioni vestræ videtur procuratores * & actores, tutores etiam seu curatores pupillorum si debeant ordinari. Gratus Episcopus dixit: Si post deposita universa & reddita ratiocinia, si actus vitæ ipsorum fuerint comprobati, in omnibus debent & cum laude Clerici si postulati fuerint honore munerari. Si enim quis ante libertatem negotiorum vel officiorum ab aliquo sine consideratione fuerit ordinatus, Ecclesia infamatur. Universi dixerunt: Rectè omnia statuit sanctitas tua, ideóque tua nostra est quoque sententia.

CAPUT XXXI.

Rebaptizati ad nullum Clericatus gradum promovendi.

Ex codice can. Afric. Eccles. cap. notato, & ex Carthag. nomine V. *cap.* XI.

Ex Concilio quo supra, cap. XXVII.

ITEM confirmatum eſt ut ſi quando Presbyteri vel Diaconi in aliqua graviori culpa convicti fuerint, quâ eos à miniſterio neceſſe ſit removeri, non eis manus vel tamquam pœnitentibus, vel tamquam fidelibus laicis imponatur; neque umquam permittendum ut rebaptizati ad Clericatus gradum promoveantur.

CAPUT XXXII.

De his qui peregrè baptizantur, ut ad Clerum non veniant.

Ex Concilio Heliberitano, cap. XXIV.

OMNES qui peregrè * fuerint baptizati, eo quòd eorum minimè ſit cognita vita, ad Clerum non eſſe promovendos in alienis provinciis. *Sub Marcello P. I. anno 305.* al. * in peregrinatione.

CAPUT XXXIII.

De diſcretione pœnitentium, qui poſsint ad Eccleſiaſticos ordines provehi vel qui non poſsint.

Ex Concilio Toletano V. cap. LIV.

HI qui in diſcrimine conſtituti pœnitentiam accipiunt, nulla manifeſta ſcelera confitentes, ſed tantùm peccatores ſe prædicantes, hujuſmodi ſcire valuerint, poſſunt etiam per morum probitatem ad gradus Eccleſiaſticos pervenire. Qui verò ita pœnitentiam accipiunt, ut aliquod mortale peccatum perpetraſſe publicè fateantur, ad Clerum vel honores Eccleſiaſticos pervenire nullatenùs poſſunt, quia ſe confeſſione propria notaverunt.

CAPUT XXXIV.

De diſcretione libertorum, qui ad Eccleſiaſti-

cos ordines pervenire possunt, vel qui provehi non possunt.

Ex eodem, cap. x.

QUICUMQUE libertatem ab omnibus suis ita percipiunt, ut nullum sibimet in eis obsequium patronus retentet, isti si sine crimine sunt ad Clericatus ordinem liberi suscipiuntur; quia directa manumissione absoluti noscuntur. Qui verò redempto obsequio manumissi sunt, pro eo quod adhuc à patrono servituti tenentur obnoxii, nullatenus sunt ad Ecclesiasticum ordinem promovendi, ne quando voluerint eorum domini, fiant ex Clericis servi.

CAPUT XXXV.

Ex Concilio Carthaginensi, cap. LX.

Ex Carth. IV sub Anastas. I. an. 398. al. * retrahendum.

CLERICUM scurrilem, & verbis turpibus jocularem, ab officio detrahendum *.

CAPUT XXXVI.

Non transmigrandum de civitate in civitatem.

Ex Concilio Calcedonensi, cap. v.

Sub Leone. I. an. 451.

DE his qui transmigrant de civitate in civitatem Episcopis aut Clericis, placuit ut Canones, qui de hac re à sanctis Patribus statuti sunt, habeant propriam firmitatem.

CAPUT XXXVII.

Quòd non oporteat absolutè quoslibet ordinari.

Ex eodem Concilio, cap. VI.

NULLUM

NULLUM absolutè ordinari debere Presbyterum aut Diaconum, nec quemlibet in gradu * Ecclesiastico, nisi specialiter Ecclesiæ civitatis aut possessionis * aut Martyrij aut Monasterij qui ordinandus est, pronuntietur. Qui verò absolutè ordinantur, decrevit sancta Synodus irritam haberi hujusmodi manus impositionem, & nusquam posse ministrare ad ordinantis injuriam.

al. * ordine.

al. * pagi aut in Martyrio aut Monasterio qui

CAPUT XXXVIII.

De singulis gradibus sacri ordinis qualiter ordinentur.

Ex Concilio Carthaginensi de psalmistis, cap. x.

Ex Carth. IV. *an.* 398.

PSALMISTA, id est Cantor, potest absque scientia Episcopi sola jussione Presbyteri officium suscipere cantandi, dicente sibi Presbytero : Vide ut quod ore cantas corde credas, & quod corde credis operibus comprobes.

CAPUT XXXIX.

Qualiter Ostiarii ordinentur.

Ex Concilio Carthaginensi, cap. IX.

ut supra.

OSTIARIUS cùm ordinatur postquàm ab Archidiacono instructus fuerit qualiter in domo Dei debeat conversari, ad suggestionem Archidiaconi tradat ei Episcopus Ecclesiæ claves de altario, dicens ei : Sic age quasi redditurus Deo rationem pro his rebus quæ istis clavibus * redduntur.

al. * recluduntur.

CAPUT XL.

Qualiter Lectores ordinentur.

Ex Concilio eodem, cap. VIII.

LECTOR cùm ordinatur faciat de illo verbum Episcopus ad plebem, indicans ejus fidem ac vitam atque ingenium: post hæc expectante plebe tradat ei codicem de quo lecturus est, dicens ad eum: Accipe & esto verbi Dei relator, habiturus si fideliter & utiliter impleveris officium, partem cum eis qui verbum Dei ministraverunt.

CAPUT XLI.

Qualiter Exorcistæ ordinentur.

Ex eodem Concilio, cap. VII.

EXORCISTA cùm ordinatur accipiat de manu Episcopi libellum in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi Episcopo: Accipe & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manus supra energumenos sive baptizatos * sive cathecumenos.

al. * energumenum sive baptisandum.

CAPUT XLII.

De Exorcistis qui non sunt ab Episcopis ordinati.

Sub Silvestro, vel Liberio potiùs, circa 364.

Ex Concilio Laodicensi, cap. XXVI.

QUÒD hi qui non sunt ab Episcopis ordinati tam in Ecclesiis, quàm in domibus exorcizare non possint.

CAPUT XLIII.

Qualiter Acolyti ordinentur.

Carth. IV. *ut supra.*

Ex Concilio Carthaginensi, cap. VI.

ACOLYTUS cùm ordinatur, ab Episcopo quidem doceatur qualiter in officio suo agere debeat, sed ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut sciat se ad accendenda Ecclesiæ luminaria

mancipari; accipiat & urceolum vacuum ad ſuggerendum vinum in Euchariſtiam ſanguinis Chriſti.

CAPUT XLIV.

Qualiter Subdiaconi fiant.

Ex eodem Concilio, cap. 1. *Capite quinto.*

SUBDIACONUS cùm ordinatur quia manus impoſitionem non accipit, patenam de manu Epiſcopi accipiat vacuam & calicem vacuum; de manu verò Archidiaconi accipiat urceolum cum aquamanile * ac manutergium. *al.* * Mantile.

CAPUT XLV.

Incipit de regulis omnium Clericorum. Ut Clerici nullas negotiationes inhoneſtas & turpia lucra ſectentur.

Ex decreto Papæ Gelaſij, cap. xv. *Ex epiſtola 9. Gelaſ. 1. ad Epiſcopos Lucaniæ.*

CONSEQUENS fuit ut illa quoque quæ de Piceni partibus nuper ad nos miſſa relatio nuntiavit non prætereunda putaremus, id eſt plurimos Clericorum negotiationibus inhoneſtis & lucris turpibus imminere, nullo pudore cernentes Evangelicam lectionem, quia ipſe Dominus noſter negotiatores è templo verberatos flagellis adſeritur expuliſſe; nec Apoſtoli verba recolentes quibus ait: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus* : Pſalmiſtam quoque *2. Tim. 2.* David ſurda diſſimulantes aure cantantem: *Quoniam non cognovi negotiationes, introibo in potentias Domini.* *Pſal. 70.* Proinde hujuſmodi aut ab indignis poſt hæc * quæſtibus noverint abſtinendum, & ab omnibus * quibuslibet negotiationis ingeniis cupiditatéque ceſſandum, aut in quocumque gradu ſint poſiti mox à Clericalibus officiis abſtinere cogantur: quoniam domus Dei *al.* * poſt hac *vel* poſtea. *al* * omni cujuslibet negot. ingenio.

domus orationis & esse debet & dici, ne officina negotiationis & spelunca potiùs sit latronum.

CAPUT XLVI.

Tempore Hormisdæ circa 516.

Ex Concilio Terraconensi, cap. II.

QUICUMQUE in Clero esse voluerit, emendi viliùs vel vendendi cariùs studio non utatur. Certè si hoc voluerit exercere, cohibeatur à Clero.

CAPUT XLVII.

Ut Clericus nec suo nec alieno nomine fœnus exerceat.

Ex Leonis I. epistola ad Episcopos per Campaniam &c.

Ex decretis Papæ Leonis, cap. IV.

ILLUD etiam duximus præmonendum, ut sicut non suo, ita non alieno nomine aliquis Clericorum exercere fœnus adtentet: indecens enim est crimen suum commodis alienis impendere. Fœnus autem hoc solum aspicere & exercere debemus, ut quod hîc misericorditer tribuimus ab eo Domino, qui multipliciter & in perpetuum mansura retribuet, recipere valeamus.

CAPUT XLVIII.

De contumacibus Clericis, & ad officium tardis.

An. 506.

Ex Concilio Agathense, cap. II.

CONTUMACES verò Clerici prout dignitatis ordo permiserit ab Episcopis corrigantur, & si qui prioris gradus elati superbiâ excommunicationem * fortasse contempserint, aut Ecclesiam frequentare vel officium suum implere præsumpserint *, peregrina eis communio tribuetur; ita ut cùm eos potentia * correxerit, rescripti in matricula gradum suum dignitatémque recipiant.

al. * communionem. *al.* * neglexerint. *al.* * pœnitentia.

CAPUT XLIX.

Si Clericus furtum Ecclesiæ fecerit.

Ex Concilio quo supra, cap. v.

SI quis Clericus furtum Ecclesiæ fecerit, peregrina ei communio tribuatur.

CAPUT L.

*Ut si cujuslibet ordinis Clericus tardiùs * ad Ecclesiam venerit deponatur.*

al. * non venerit.

Ex Concilio Toletano, cap. v.

Ex Tolet. I.

PRESBYTER, Diaconus, vel Subdiaconus, vel quilibet Ecclesiæ deputatus Clericus si intra civitatem fuerit, vel in loco in quo Ecclesia est, aut castello, aut vico, aut villa & ad Ecclesiam ad sacrificium cotidianum non venerit *, Clericus non habeatur, si castigatus * per satisfactionem veniam ab Episcopo noluerit * promereri.

al. * accesserit.
al. * castigatus non emendaverit.
al. * noluit.

CAPUT LI.

Quòd nullus Ecclesiasticorum in tabernis comedere debeat.

Ex Concilio Laodicensi, cap. XXIV.

Sub Silvestro aut potiùs Liberio circa 364.

QUÒD non oporteat sacro ministerio deditos à Presbyteris usque ad Diaconos, & reliquum Ecclesiasticum ordinem, id est usque ad Subdiaconos, Lectores, Cantores, Exorcistas, & Ostiarios, & ex numero continentium & Monachorum ingredi tabernas.

CAPUT LII.

De Clericis qui in mutuam cædem proruunt.

Tempore Iohan. Pap. I. circiter annum 524.

Ex Concilio Hilerdensi, cap. XI.

SI qui Clerici in mutuam cædem proruperint, prout dignitas officiorum in tali excessu contumeliam protulerit *, à Pontifice districtiùs judicentur *.

al. * pertulerit.
al. * vindicentur.

CAPUT LIII.

De Clericis qui ad sæcularium defensionem confugiunt propter districtionem Episcopi.

Anno 506.

Ex Concilio Agathensi, cap. VIII.

ID etiam placuit, ut Clericus si relicto officio suo propter districtionem ad sæcularem judicem fortè confugerit, & ei is ad quem recurrit solatium ei defensionis impenderit, cum eodem de Ecclesiæ communione pellatur.

CAPUT LIV.

De Clericis negotia & nundinas sectantibus.

sub Marcello. I. cap. XVIII.

Ex Concilio Heliberitano, cap. XVI.

EPISCOPI, Presbyteri & Diaconi de locis suis negotiandi causâ non discedant, nec circumeuntes provincias quæstuosas nundinas sectentur. Sanè ad victum sibi conquirendum, aut filium, aut liberum, aut mercenarium, aut amicum, aut quemlibet mittant; & si voluerint negotiari, intra provinciam negotientur.

CAPUT LV.

Ut si voluntariè Clericus damnum Ecclesiæ fecerit, satisfaciat, & excommunicetur.

Ut supra cap. XXVI.

Ex Concilio Agatensi, cap. XXVII.

SI quis verò de Clericis documenta quibus Ecclesiæ possessio firmatur, aut subprimere, aut negare, aut adversariis fortasse tradere damnabili & punienda obstinatione præsumpserit, quidquid per absentiam documentorum damni Ecclesiæ inlatum est, de propriis facultatibus reddat, & communione privetur. Hi autem qui in damno Ecclesiæ instrumenta Ecclesiæ impiè sollicitatis traditoribus susceperint, pari sententia feriantur.

CAPUT LVI.

De conversatione Clericorum, ut in uno conclavi sint.

Ex Concilio Toletano, cap. XXIV. *Ex Tolet. IV. an. 633.*

PRONA *est omnis ætas ab adolescentia in malum:* *Proverb.* 30. nihil enim incertius quàm vita adolescentiæ *. *al.* * adolescentium. Ob hoc constituendum * oportuit, ut si qui in Clero *al.* * constituere. pueri * aut adolescentes existunt, omnes in uno conclavi atrij commorentur, ut lubricitatis * annos non *al.* * puberes *ac etiam* impuberes. in luxuria sed in disciplinis Ecclesiasticis agant, deputati probatissimo seniori; quem & magistrum doctrinæ & testem vitæ habeant. *al.* * lubricæ ætatis. Quòd si aliqui ex his pupilli existunt, Sacerdotali tutela foveantur, ut & vita eorum à criminibus intacta sit, & res * ab injuria improborum. *al.* * res eorum ab injuria impiorum. Qui autem his præceptis resultaverint, monasteriis deputentur, ut vagantes animi & superbi severiori regula distringantur.

CAPUT LVII.

Ut Clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes ac nutrix est.

Ex Concilio Agatensi, cap. XLII *. *In edit* *. XLI.

ITAQUE eum quem ebrium fuisse constiterit, ut ordo patitur aut triginta dierum spatio à commu-

nione ſtatuimus ſubmovendum, aut corporali dandum * ſupplicio.

al. * ſubdendum.

CAPUT LVIII.

Cujuſcumque ordinis Clerici nuptialia convivia vitent, ne ſacer auditus aut obtutus pollui poſsit.

Cap. XXXIX.

Ex Concilio quo ſupra, cap. XL.

PRESBYTERI, Diaconi, Subdiaconi, vel deinceps, quibus ducendi uxores licentia non eſt, etiam alienarum nuptiarum evitent convivia, neque his cœtibus admiſceantur ubi amatoria cantantur & turpia, aut obſcæni motus corporum choris & ſaltationibus * efferuntur; ne auditus & obtutus ſacris myſteriis deputati turpium ſpectaculorum atque verborum contagione polluantur.

al. * ſaltibus.

CAPUT LIX.

Ex Tolet. IV. *an* 633.

Ex Concilio Toletano, cap. XXIX.

SI Epiſcopus quis, aut Presbyter, ſive Diaconus, vel quilibet ex ordine Clericorum, magos aut aruſpices, aut ariolos, aut certè augures, vel ſortilegos, vel eos qui profitentur ſortem * aliquam *, aut aliquos eorum ſimilia exercentes conſulere fuerit deprehenſus, ab honore dignitatis ſuæ depoſitus * Monaſterii * cenſuram * excipiat, ibíque perpetuæ pœnitentiæ deditus ſcelus admiſſum ſacrilegij luat.

al. * artem. *al.* * magicam. *al.* * ſuſpenſus. *al.* * Monaſterium ingreſſus, ibique. *al.* * pœnam *vel* curam.

CAPUT LX.

Clerici tabernas non ingrediantur abſque peregrinationis neceſsitate.

Ex Carth. nomine tertio, ſub Siricio an. 397.

Ex Concilio Carthaginenſi, cap. XXVII.

Ut

UT Clerici edendi vel bibendi causâ tabernas non ingrediantur nisi peregrinationis necessitate compulsi.

CAPUT LXI.

Ex Concilio Toletano, cap. XLV.

Ex Tolet. IV.

CLERICI qui in quacumque seditione * arma volentes sumpserint vel sumpserunt reperti amisso ordinis sui gradu in Monasterium pœnitentiæ * retrudantur.

al. * factione.

al. * perenniter.

CAPUT LXII.

Ex Concilio Carthaginensi, cap. XLVII.

Ex Carth. IV. & sequentia Capitula.

CLERICUS per plateas & andronas nisi certa & maxima officii sui necessitate non ambulet.

CAPUT LXIII.

Ex Concilio quo supra, cap. XLVIII.

CLERICUS qui non pro emendo aliquid in nundinis vel in foro deambulat, ab officio suo degradetur.

CAPUT LXIV.

Clerici qui vigiliis desunt, stipendiis privandi.

Ex Concilio Carthaginensi, cap. XLIX.

CLERICUS qui absque corpusculi sui inæqualitate vigiliis deest, stipendio * privatus excommunicetur.

al. tantùm. * stipendiis privetur.

CAPUT LXV.

Clerici maledici degradentur.

Ex Concilio Carthaginensi, cap. LVII.

CLERICUS maledicus, maximéque in Sacerdotibus, cogatur ad postulandam veniam; si noluerit, degradetur, nec umquam ad officium absque satisfactione revocetur.

CAPUT LXVI.

De Clericis sepulcra demolientibus.

Ex Concilio Toletano, cap. XLVI.

Ex Tolet. IV.

SI quis Clericus in demoliendis sepulcris fuerit deprehensus, quia facinus hoc pro sacrilegio legibus publicis sanguine vindicatur, oportet Canonibus in tali scelere proditum à Clericatus ordine submoveri, & pœnitentiæ triennio deputari.

CAPUT LXVII.

Ut Clerici invidi non promoveantur.

Ex Carth. IV. *sicut & sequentia capp.*

Ex Concilio Carthaginensi, cap. LIV.

CLERICUS invidens fratrum profectibus, donec in vitio est non promoveatur.

CAPUT LXVIII.

Clerici adulatores & proditores degradentur.

Ex Concilio quo supra, cap. LVI.

CLERICUS qui adulationibus & proditionibus vacare deprehenditur, degradetur ab officio.

CAPUT LXIX.

Clerici nec vestimentis nec calceamentis quærant decorem.

Ex Concilio Carthaginensi, cap. XLV.

CLERICUS professionem suam etiam habitu & incessu probet, & ideò nec vestibus nec calceamentis decorem quærat.

CAPUT LXX.

Ex Concilio Carthaginensi, cap. LX.

CLERICOS * scurriles & verbis turpibus joculatores ab officio detrahendos. Clerici inter epulas cantantes supradictæ sententiæ severitate feriantur.

Iam citatum est caput istud numero XXXV.
al. * Clericum scurrilem &c. jocularem ab off. retrahendum.

CAPUT LXXI.

De Clericis per creaturas jurantibus.

Ex Concilio quo supra, cap. LXI.

istud est caput LXII.

CLERICUM per creaturas jurantem acerrimè obvirgandum; si perstiterit in vitio, excommunicandum.

CAPUT LXXII.

Ex Concilio Bracarensi, cap. LXIV.

Ex capitulis Martini Bracarensis Episcopi cap. LXV.

NON oportet Clericos vel laicos religiosos ante sacram horam diei tertiam inire convivia, neque aliquando Clericos nisi hymno dicto edere panem, & post cibos gratias auctori Deo deferre.

CAPUT LXXIII.

De his qui in parva ætate coram parentibus religionis habitum tenuerunt.

Ex Tolet. X. *anno Christi* 656.
*al.** nutare.
al. * honestæ.
al. * proponimus ne resolui putetur.
al. * inconditè.
al. * indissolubili.

Ex Concilio Toletano, cap. VI.

CUM hucusque dissolutæ operationis effectus interdum mutare * fecit honestum * constitutionis edictum, dum * incognitè * resolui putatur quod indissolubile * sanctionis auctoritate tenetur. Ideò quid-

quid obvium ex incerto occurrit * evidenter abjici decet, ut de cetero nihil superfit, quod in dubium nutetur: ideóque si in qualibet minori ætate vel religonis tonsuram, vel religione debitam vestem in utroque sexu filiis aut unus aut ambo parentes dederint, certè * aut nolentibus, aut nescientibus se, susceptam non mox visam in filiis abdicaverint, sed vel coram se, vel coram Ecclesia palàmque in conventu eosdem filios talia habere permiserint, ad sæcularem reverti habitum ipsis filiis quandóque penitus non licebit; sed convicti quòd tonsuram aut religiosam vestem aliquando habuerint, mox ad religionis cultum habitúmque revocentur, & sub strenua * districtione hujuscemodi sanctæ observantiæ inservire cogantur. Parentibus sanè filios suos religioni contradere non ampliùs quàm usque ad decimum * ætatis eorum annum licentia poterit esse; postea verò an cum voluntate parentum an suæ devotionis sit solitarium votum, erit filiis licitum religionis adsumere cultum. Quisquis autem vel abolitione tonsuræ, vel sæcularis vestis adsumptione detectus fuerit adtigisse transgressionem, & excommunicationis censuram accipiat, & religioni semper inhæreat.

al. * incurrit.

al. * fortè.

al. * æterna.

al. * duodecimum *ac etiam* quatuordecimum.

CAPUT LXXIV.

Pœnitens si usus exegerit inter Ostiarios deputetur, vel de quibus pœnitentibus dicitur.

Ex excerptis Martini, cap. XXIII.

Ex capitulis Martini Bracarensis Episcopi.

PÆNITENS tantùm si necessitas aut usus exegerit, inter Ostiarios priùs deputetur, vel inter Lectores, ita ut Evangelium vel epistolam non legat. Si qui autem ordinati * sunt, inter Subdiaconos habeantur, ita ut manum non imponant, aut sacra non contingant. Ex pœnitente enim dicimus de eo * qui post baptismum pro homicidio, aut pro diversis criminibus, aut gravissimis peccatis publicam pœni-

al. * ante ordinati.

al. * ideò quòd post.

tentiam ſub cilicio gerens divino fuerit altario reconciliatus.

CAPUT LXXV.

Ex Concilio Carthaginenſi.

Ex Charta. 3. cap. 21. ſub finem.

QUÒD Clericorum nomen etiam Lectores, Pſalmiſtæ & Oſtiarii retineant.

CAPUT LXXVI.

Si Lector bigamus, aut viduam ducat, non ampliùs quàm Subdiaconus fiat.

Ex epiſtola Martini, cap. XLIII.

Ex capitulis Martini Brac. Epiſc.

LECTOR ſi viduam uxorem acceperit in lectoratu permaneat: aut ſi fortè neceſſitas ſit, Subdiaconus fiat: nihil autem ſupra: ſimiliter & ſi bigamus fuerit.

CAPUT LXXVII.

Lectores cantoréſque cum orariis agere ſuum officium non debere.

Sub Sylveſtro, vel ut alij volunt, ſub Liberio circa 364.

Ex Concilio Laodicenſe *.

** Cap. XXIII.*

QUÒD non oporteat Lectores aut Cantores orariis uti, & ita legere vel pſallere.

CAPUT LXXVIII.

De Diaconibus.

Ex Concilio Ancyrano, cap. VIII.

Ex Ancyr. 1. al. * qui ſunt ordinandi, ſi conteſtati ſunt ante ordinationem & dixerunt oportere ſe nubere.

DIACONI quicumque * cùm ordinantur ſi in ipſa ordinatione proteſtati ſunt dicentes velle ſe habere uxores, nec poſſe ſe continere; hi poſtea ſi ad nuptias venerint, maneant in miniſterio, propterea

quòd his Episcopus licentiam dederit. Quicumque sanè tacuerint, & susceperint manus impositionem professi continentiam, & postea ad nuptias venerint, à ministerio vel clero cessare debebunt *.

* *additur in editis* Laicam tantùm recipientes communionem.

CAPUT LXXIX.

Vt levitæ & virgines ante xxv. annos non consecrentur.

Ex Concilio Carthaginensi, cap. IV.

Ex Carth. nomine tertio, an. 397.

ITEM placuit ut ante xxv. annos ætatis nec Diaconus ordinetur, nec virgines consecrentur.

CAPUT LXXX.

De honore quem Presbyteris & Diaconis, qui sub ipsis sunt, debeant exhibere.

Ex Concilio Laodicensi, cap. xx.

Sub Silvestro, &c. ut supra.

QUÒD non oporteat Diaconum coram Presbytero sedere, sed jussione Presbyteri sedeat. Similiter autem & Diaconi honorem habeant ab obsequentibus, id est Subdiaconibus & omnibus Clericis.

CAPUT LXXXI.

De obedientia Diaconorum erga Presbyteros.

Ex Concilio Carthaginensi, cap. XXXVII.

Ex Carth. IV. an. 398. ita habetur. Diaconus ita se Presbyteri ut Episcopi ministrum noverit. *Ibidem. cap. 37.*

DIACONI ita se Presbyteris ut Episcopis ministros esse cognoscant.

CAPUT LXXXII.

Ex Concilio quo supra.

UT Diaconus præsente Presbytero Eucharistiam corporis Christi populo si necessitas cogit jussus eroget.

CAPUT LXXXIII.

Ex Concilio cujus ſupraſcriptum, cap. IX. *Cap.* 39.

UT Diaconus jubente Presbytero ſedeat quolibet loco.

CAPUT LXXXIV.

Ex Concilio Carthaginenſi. *Cap.* 40.

UT Diaconus in conventu Presbyterorum interrogatus loquatur.

CAPUT LXXXV. *Cap.* 41.

UT Diaconus tempore tantùm oblationis & * lectionis alba utatur. *al.* * vel.

CAPUT LXXXVI.

Quòd præter Epiſcopum clericus proficiſci non debeat.

Ex Concilio Laodicenſi, cap. XLII. Laodicenſi.

QUÒD non oporteat Sacerdotem vel Clericum præter juſſionem ſui Pontificis proficiſci.

CAPUT LXXXVII.

Vt Sacerdotes & Levitæ canes ad venandum & accipitres non habeant.

Ex Concilio Agathenſi, cap. LVI.

EPISCOPIS, Presbyteris, Diaconis canes ad venandum aut accipitres habere non liceat. Quòd ſi quis talium perſonarum in hac voluntate * detentus fuerit, ſi Epiſcopus, tribus menſibus ſe à communione ſuſpendat, Presbyter duobus menſibus abſtineat, Diaconus verò uno ab omni officio ſuo vel communione ceſſabit. *al.* * detectus.

CAPUT LXXXVIII.

De his qui in ægritudine ſunt baptizati.

Sub Silveſtro. I. an. 314.

Ex Concilio Neocæſarienſi, cap. XII.

SI quis in ægritudine conſtitutus fuerit baptizatus, Presbyter ordinari non debet: non enim fides illius voluntaria, ſed ex neceſſitate eſt; niſi fortè poſtea ipſius ſtudium & fides probabilis fuerit, aut hominum raritas * cogat.

al. * charitas.

CAPUT LXXXIX.

Quòd non oporteat peregrinos clericos ſine commendatitiis litteris miniſtrare.

Sub Leone I. an. 451.

Ex Concilio Calcedonenſi, cap. XIII.

PEREGRINOS Clericos & Lectores in alia civitate præter * commendatitias litteras ſui Epiſcopi nuſquam penitus miniſtrare debere.

al. * ſine commendatitiis litteris ſive Synodociis litteris.

CAPUT XC.

Vt nullus miniſter proficiſcatur ſine chriſmate, ubi & Presbyter miniſter oſtenditur.

Ex Arauſic. I. Sub Leone I. an. 441.

Ex Concilio Arauſico.

NULLUM miniſtrorum qui baptizandi recepit officium, ſine chriſmate uſquam debere progredi, quia inter nos placuit ſemel in * baptiſmate chriſmari: de eo autem qui in baptiſmate quacumque neceſſitate faciente non chriſmatus fuerit in confirmatione, Sacerdos * commonebitur: nam inter nos * chriſmatis ipſius nonniſi una benedictio eſt; non ut prejudicans quidquam dico, ſed ut non neceſſaria * habeatur repetita chriſmatio.

* *Hæc in pluribus tam editis quàm Manuſcriptis deſunt.*
al. * non commonebitur.
al. * quoslibet.
al. * neceſſaria abſque non.

CAP. XCI.

CAPUT XCI.

Vt ab alterius Episcopo chrisma nullus accipiat.

Ex Concilio Vasensi, cap. III.

Ex Vasensi I. sub Leone I. an. 442.

PER singula territoria Presbyteri vel ministri ab Episcopis non prout libitum fuerit à vicinioribus, sed à suis propriis per annos singulos petant chrisma appropinquante solemnitate Paschali; nec per quemcumque Ecclesiasticum, sed si qua necessitas aut ministrorum occupatio est, per Subdiaconum, quia inhonorum est inferioribus summa committi. Optimum autem est ut ipse suscipiat, qui in tradendo usurus est: si quid autem obstat, saltem is cujus officii est sacramentum * disponere & sacramenta suscipere.

al. * sacrarium.

CAPUT XCII.

Presbyter Diaconum aut Presbyterum non ordinabit.

Ex Concilio Hispalensi, cap. V.

Ex Hispalensi II. sub Bonifacio V. an. 619.

QUINTO judicio ad cognitionem nostram * examinis Gabrensis * Diaconi relatu deductum est * de quibusdam ipsius Ecclesiæ Clericis, quorum dum unus ad Presbyterium, duo ad Levitarum ministerium sacrarentur, Episcopus eorum oculorum dolore detentus fertur manum suam super eos tantùm posuisse, & Presbyter quidam illis contra Ecclesiasticum ordinem benedictionem dedisse: qui licet propter tantam præsumptionis audaciam poterat accusatus judicio præsenti damnari, si adhuc in corpore positus, non fuisset mortis vocatione præventus: sed quia jam ille examini divino relictus humano judicio accusari non potest, hi qui supersunt, & ab eo non consecrationis titulum sed ignominiæ potiùs elogium * perceperunt, ne sibi licentiam talis ultra usurpatio

al. * nostri.
al. * Agabrensis *seu etiam* Aniani Egabrensis.
al. * pervenit.
al. * eloquium.

faciat, decrevimus ut à gradu Sacerdotalis, vel Levitici ordinis, quem perversè adepti sunt, depositi æquo judicio abutantur*. Tales enim meritò* judicati sunt removendi, quia pravè inventi sunt constituti.

al. * abjiciantur, al. * judicandi.

CAPUT XCIII.

De his quæ prohibentur Presbyteris in Ecclesiasticis sacramentis agere.

Ex Concilio quo supra, cap. VII.

al. * Cordubensis.

SEPTIMO examine relatum est nobis venerantissimum quondam Agapium Cordoüensis * urbis Episcopum frequenter Chorepiscopos, vel Presbyteros destinasse, qui tamen juxta Canones unum sunt, qui absente Pontifice altaria erigerent, basilicas consecrarent: quod quidem non est mirum id præcepisse virum Ecclesiasticis disciplinis ignarum, & statim à sæculari militia in Sacerdotale ministerium delegatum. Ergo ne ultra talis à nobis licentia usurpetur, communi sententia statuendum oportuit: Scientes quia sicut Presbytero vel Chorepiscopo inlicita consecratio est altaris, ita & constitutio: in divinis enim litteris præcipiente Domino solus Moyses in tabernaculo Dei erexit altare, solus ipse unxit, utique quia summus Sacerdos Dei erat, sicut scriptum est de eo: *Moyses & Aaron in Sacerdotibus ejus.*

Psal. 98.

CAPUT XCIV.

Ut si Presbyter inconsulto Episcopo agendam celebraverit, honore privetur.

Ex Carth. 2. *sub Siricio, an.* 397. *cap.* 9. *al.* * Mascilianitanus *&*, Maxulitanus.

Ex Concilio Carthaginensi, cap. VIII.

NUMIDIUS Episcopus Maxilitanus * dixit: In quibusdam locis sunt Presbyteri, qui aut ignorantes simpliciter, aut dissimulantes audaciter præsente & inconsulto Episcopo cum plurimis in domiciliis

agant agendam, quod disciplinæ incongruum esse cognoscit sanctitas vestra. Genedius Episcopus dixit: fratres * & Coepiscopi nostri dignæ suggestioni tuæ respondere non morentur. Ab universis Episcopis dictum est: Quisquis Presbyter inconsulto Episcopo agendam in quolibet loco voluerit celebrare, ipse honori suo contrarius existit.

al. * fratris &c. suggestioni respondere non immoremur.

CAPUT XCV.

Presbytero alterius regionis præsente Episcopo, vel Presbyteris civitatis non liceat ministrare : ex quo ordine panem sive calicem dent.

Ex Concilio Neocæsariensi, cap. XIII.

Ex Concil. Neocæsar. Sub Sylvestro an. 314.

PRESBYTERI qui conregionales non sunt, in Ecclesia * præsentibus Episcopis vel Presbyteris civitatis offerre non possunt, nec panem dare sanctificatum, nec calicem porrigere. Quòd si absentes sint civitatis Sacerdotes, & fuerint invitati ad dandam orationem, soli poterunt dare. Vicarii autem Episcoporum, quos Græci Chorepiscopos vocant, constituti sunt quidem ad exemplum septuaginta seniorum, sed tamquam Consacerdotes propter sollicitudinem * & studium quod in pauperes agunt, offerant, & honorabiles habeantur.

al. * in dominico civitatis.
al. * sicut comministrantes.
al. * curam pauperum.

CAPUT XCVI.

*De his qui ex * vasis Ecclesiæ ministerii aliquid vendiderint.*

al. * de ministerio Ecclesiæ.

Ex Concilio Bracarensi, cap. XVI.

Ex capitulis Martini Brac. Episc. cap. XVII.

SI quis Presbyter aut Diaconus inventus fuerit de ministeriis * Ecclesiæ aliquid venundasse, quia sacrilegium commisit, placuit eum in ordinatione

al. * aliquid de vasis ministerii Eccl. *item* de eleemosynis.

Ecclesiastica non haberi ; in judicio tamen Episcopi dimittendum esse sive dignus sit sive indignus, in suo debet recipi gradu * : quia multotiens * hoc ipsum quod de sacrosancto altario intaminaverint, id cum Episcopi potestate dimissum est.

al. * ut debeat gradu recipi.
al. * de hoc ipso *vel* pro hoc ipso.

CAPUT XCVII.

*Ne Presbyter benedictionem vel * pœnitentiam in Ecclesia dare præsumat.*

al. * populo vel pœnitenti.

Ex Concilio Carthaginensi *, cap. XLVI.

* *sed rectius ex concilio Agathensi, cap.* 44.

BENEDICTIONEM super plebem in Ecclesia fundere, aut pœnitentem in Ecclesia benedicere, Presbytero penitus non licebit.

CAPUT XCVIII.

De his qui in Ecclesiis in quibus provecti sunt minimè perdurant.

Ex Concilio Nicæno, cap. XVI.

Niceno an. 325.

QUICUMQUE temerè ac periculosè, neque timorem Dei præ oculis habentes, nec agnoscentes Ecclesiasticam regulam discedunt ab Ecclesia Presbyteri, vel Diaconi, vel quicumque sub regula prorsus existunt : hi nequaquam debent in aliam Ecclesiam recipi, sed omnem necessitatem convenit illis imponi, ut ad suas parrochias revertantur : quòd si non fecerint, oportet eos communione privari. Si quis autem ad alium pertinentem audaciter * invadere, & in sua Ecclesia ordinare tentaverit, non consentiente Episcopo à quo discessit, is qui regulæ mancipatur, ordinatio hujuscemodi irrita comprobetur.

al. * audacter.

CAPUT XCIX.

Qualiter Diaconi ordinentur.

Ex Concilio Carthaginensi, cap. IV.

Ex Carth. IV an. 398.

SOLUS * Episcopus, qui eum benedicit, manus super caput illius imponat: quia non ad Sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.

* deest. Diaconus cùm ordinatur.

CAPUT C.

De numero certo Diaconorum.

Ex Concilio Neocæsariensi, cap. XIV.

Sub Silvestro I.

DIACONI septem debent esse juxta regulam, licet & valde magna sit civitas: idipsum autem & actuum Apostolorum liber insinuat.

CAPUT CI.

Quo tempore Presbyterum conveniat ordinari.

Ex eodem Concilio, cap. XII.

PRESBYTER ante tricesimum ætatis suæ annum nullatenus ordinetur licet valde sit dignus, sed hoc tempus observet. Nam Dominus noster tricesimo ætatis suæ anno baptizatus est.

CAPUT CII.

Qualiter Presbyter ordinetur.

Ex Concilio Carthaginensi, cap. III.

Ex Carth. IV. an. 398.

PRESBYTER cùm ordinatur Episcopo eum benedícente & manus super caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri qui præsentes sunt manus suas juxta manus Episcopi super caput illius teneant.

CAPUT CIII.

De non contemnendo oblationes Presbyteri conjugati.

Ex Concil. Gangrensi sub Silvest. I. cap. 4. al. * discernit.

Ex Concilio Agathensi.

SI quis decernit * Presbyterum conjugatum tamquam occasione nuptiarum quòd offerre non debet, & ab ejus oblatione ideò se abstinet, anathema sit.

CAPUT CIV.

Quòd non liceat Clericum in duarum civitatum Ecclesiis ministrare.

Sub Leone I. an. 451.

Ex Concilio Calcedonensi, cap. x.

NON liceat Clericum in duarum civitatum conscribi simul Ecclesiis, & in qua ab initio ordinatus est, & ad quam confugit quasi ad potiorem ob inanis gloriæ cupiditatem : hoc autem facientes revocari debere ad suam Ecclesiam in qua primitùs ordinati sunt, & ibi tantummodò ministrare. Si verò jam qui translatus est ex alia in aliam Ecclesiam, prioris Ecclesiæ vel martyriorum, quæ sub ea sunt, aut pthochiorum *, aut xenodochiorum rebus in nullo communicet. Eos verò qui ausi fuerint post diffinitionem magnæ & universalis hujus Synodi quidquam ex his quæ sunt prohibita perpetrare, decrevit sancta Synodus à proprio hujusmodi gradu recedere *.

al. * ptochodochiorum.

al. * excidere.

CAPUT CV.

De his qui vocantur Chorepiscopi.

Sub Iulio, an. 341.

Ex Concilio Antiocheno, cap. x.

QUI in vicis vel possessionibus Chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem Episcoporum perceperint, & ut Episcopi consecrati sint, tamen sanctæ Synodo placuit ut modum proprium recognoscant, & gubernent sibi subjectas Ecclesias, earúmque moderamine curáque contenti sint. Ordinent etiam Lectores, & Subdiaconos atque Exorcistas, quibus promotiones istæ sufficiant. Nec Presbyterum verò, nec Diaconum audeant ordinare præter civitatis Episcopum, cui ipse cum possessione subjectus est. Si quis autem transgredi statuta tentaverit, depositus quo utebatur honore privetur. Chorepiscopum verò civitatis Episcopus ordinet, cui ille subjectus est.

CAPUT CVI.

Judicio multitudinis ordinationes fieri non debere.

Ex Concilio Laodicensi, cap. XIII.

Sub Silvestro seu potiùs Liberio.

QUÒD non sit permittendum turbis electiones eorum facere qui sunt ad Sacerdotium provehendi.

CAPUT CVII.

*De Episcopalibus ordinibus *.*

al. * ordinationibus.

Ex eodem Concilio, cap. XII.

UT Episcopi judicio Metropolitanorum, & eorum Episcoporum qui circum circa sunt provehantur ad Ecclesiasticam potestatem; hi videlicet qui plurimo tempore probantur tam verbo fidei, quàm rectæ conversationis exemplo.

CAPUT CVIII.

De electione Episcopi.

Ex capitulis Martini Brac. Episc.

Ex Concilio Bracarensi, cap. I.

al. * non liceat populo.
al. * promoventur
al. * spiritali.

NON liceat * electionem facere eorum qui ad Sacerdotium provocantur * ; sed judicium sit Episcoporum, ut ipsi eum qui ordinandus est probent si in sermone, & in fide & in Episcopali * vita edoctus sit.

CAPUT CIX.

De his qui ad Episcopatum in provinciis provehuntur.

Nicen. I. *an.* 325.

Ex Concilio Nicæno, cap. IV.

EPISCOPUM convenit maximè quidem ab omnibus qui sunt in provincia Episcopis ordinari : si autem hoc difficile fuerit aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem, tribus tamen omnimodis in idipsum convenientibus, & absentibus quoque pari modo decernentibus, & per scripta consentientibus, tunc ordinatio celebretur : firmitas autem eorum quæ geruntur per unamquamque provinciam Metropolitano tribuatur Episcopo.

CAPUT CX.

al. * Quot.

*Quòd * addi debeant Episcopi numero ordinatorum, si de ordinando Episcopo fuerit contradictum.*

* *vulgò dicto, seu collectione canonum, è variis Conciliis Africanæ provinciæ.*
* Episcopi *in Edit.*
* *Edit.* supradictorum (si haberi possunt)
al. * duo vel tres.

Ex Concilio Africano *, cap. XVII.

SED & illud est statuendum, ut quando ad eligendum Episcopum convenerimus, si qua contradictio fuerit oborta, (quia talia tractata sunt apud nos) non præsumant ad purgandum eum, qui ordinandus est, tres * jam, sed postulentur ad numerum * unus vel duo * : & in eadem plebe qui ordinandus est, discutiantur

discutiantur primò personæ contradicentium, postremò etiam illa, quæ objiciuntur, pertractentur: & cùm purgatus fuerit, sub * conspectu publico ita demum ordinetur. Si hoc cum vestræ sanctitatis animo concordat, roboretur vestræ dignationis responsione. Ab universis Episcopis dictum est: satis placet. *al.* * in

CAPUT CXI.

Non accipiendum præmium pro Episcoporum honore de communione peccati.

Ex epistola Hormisdæ ad Episcopos per Hispaniam, cap. II. *Epist.* 25.

HOc quoque ad priora * conjungimus, ne benedictio per impositionem manus, quæ à Deo esse creditur, pretio comparetur: quia ante oculos esse convenit, quia Simon Spiritum Sanctum volens redemptione mercari Apostoli fuerit detestatione percussus. Tunc deinde cui * non vile potest esse quod vendidit? istam Sacerdotibus ordinandis reverentiam servet electio, ut in gravi munere * populorum divinum credatur esse judicium: ibi enim Deus, ubi simplex sine pravitate consensus. Verùm nec * ab hac quidem parte sollicitudinis & admonitionis omittimus, ne vel ille se à culpa æstimet alienum, qui etsi ipse quidem à redemptione liber initiaverit benedictione mystica Sacerdotem, & tamen ad alterius redempti voluntatem vel sponte in hoc, vel necessitate consenserit, quid prodest illi suo errore non pollui, qui consensum præstat erranti? Procul dubio contra mandata committit & qui habet peccatum proprium, & qui * sequitur alienum; incassum animus resistit cupiditati, si non restiterit * & timori. Adversùm hæc faciliùs Deo adjuvante providebitur, si circa Metropolitanos privilegia à sanctis Patribus constituta permaneant; si Metropolitani circa parrochias suas ordinem suum ea quæ * decet veneratione custodiant,

al. * ad præmissa adjungimus.
al. * quis non vile putat esse quod venditur.
al. * murmure.
al. * hanc quidem partem.
al. * peccatum seq.
al. * resistit.
al. * qua

ut nec electio Præsules * nec contemptus depretiet obſequentes, quæ ſi in operibus ita fixa habeantur in cordibus, quemadmodum releguntur in ſcripturis: ſi nulla ſint in templis emptionum ſemina, nulla erunt fomenta diſcordiæ; ſed regnante charitate ſub illa quam nobis Deus promiſit & retribuet * pace vivetur.

al. * Præſulis empta detur pretiis, & nec obſequentis ſit quæſita operibus, ſed ita fixa habeantur &c.

al. * retribuit pace vivatur.

CAPUT CXII.

Quòd non oporteat Epiſcopos ad quemlibet ex clero per pecunias ordinari.

Ex Concilio Calcidonenſi, cap. 11.

Sub Leone 1. an. 451.

SI quis Epiſcopus per pecuniam fecerit ordinationem & ſub pretio redegerit gratiam quæ non * poteſt vendi, ordinaverítque per pecunias Epiſcopum, aut Chorepiſcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum, vel quemlibet ex his qui connumerantur in clero, aut promoverit per pecunias diſpenſatorem *, aut defenſorem, aut manſionarium * vel quemquam qui ſubjectus eſt regulæ, pro ſuo turpiſſimi * lucri commodo; is qui hoc attentaſſe probatus fuerit, proprii gradus periculo ſubjacebit: & qui ordinatus eſt, nihil ex hac ordinatione vel promotione, quæ eſt per negotiationem facta, proficiat, ſed ſit alienus ea dignitate, vel ſollicitudine *, quam pecuniis quæſivit. Si quis verò mediator tam turpibus & nefandis datis vel acceptis extiterit, & ipſe ſi quidem Clericus fuerit, proprio gradu decidat: ſi verò laicus aut monachus, anathematizetur.

al. * quæ emi non poteſt *vel* quæ niſi per gratiam dei non acquiritur.

al. * œconomum.

al. * oſtiarium.

al. * turpiſſimo.

al. * cura.

CAPUT CXIII.

De his qui cùm ſint ex alia provincia, in aliis audent ordinationes efficere.

Ex Concilio Antiocheno, cap. XIII.

Sub Iulio an. 341.

NULLUS Episcopus ex alia provincia audeat ad aliam transgredi, & ad promotionem ministerii aliquos in Ecclesia * ordinare, licet consensum videantur præbere nonnulli, nisi litteris tam Metropolitani quàm ceterorum qui cum eo sunt Episcoporum rogatus adveniat, & sic ad actionem ordinationis accedat. Si verò nullo vocante inordinato more deproperet super aliquibus ordinationibus & Ecclesiasticis negotiis ad eum non pertinentibus componendis, irrita quidem quæ ab eo geruntur existant; ipse verò incompositi motus sui & inrationabilis audaciæ subeat ultionem, ex hoc jam damnatus à sancta Synodo.

al * Ecclesiis.

CAPUT CXIV.

De his qui cùm ad Episcopatum convocantur evitant.

Ex eodem Concilio, cap. XVII.

SI quis Episcopus per manus impositionem Episcopatum acceperit, & præesse populo constitutus ministerium subire neglexerit, nec adquieverit ire ad Ecclesiam sibi commissam, hunc oportet communione privari donec susceperit coactus officium, aut certè de eo aliquid integra decreverit ejusdem provinciæ Synodus Sacerdotum.

CAPUT CXV.

De Episcopalibus in provinciis ordinationibus.

Ex eodem Concilio, cap. XIX.

EPISCOPUS præter Synodum & præsentiam Metropolitani nullatenus ordinetur: hoc autem modis omnibus coram posito, melius quidem est ut omnes simul adsint ejusdem provinciæ Sacerdotes, quos Metropolitanus Episcopus advocare debebit: & si quidem omnes occurrerint, optimè: quod si hoc diffi-

al. * omnino. cile fuerit, saltem plures adesse omni modo * convenit, aut certè scriptis ejusdem sententiæ comprobari: & ita sub plurimorum vel præsentia vel decreto ordinatio celebretur. Quòd si secus contra definita factum fuerit, nullas ordinatio vires habeat: si verò juxta definitam regulam fiat, & nonnulli pro contentione propria contradicant, obtineat sententia plurimorum.

CAPUT CXVI.

Ut nullo modo de parrochia ad aliam parrochiam Episcopus transeat.

Ex eodem Concilio, cap. XXI.

EPISCOPUS ab alia parrochia nequaquam migret ad aliam, nec sponte sua prorsus insiliens, nec vi coactus à populis, nec ab Episcopis necessitate compulsus; maneat autem in Ecclesia quam primitùs à Deo sortitus est, nec inde transmigret secundùm pristinum de hac re terminum constitutum.

CAPUT CXVII.

Ut in altera parrochia Clericos alterius parrochiæ Episcopus nullatenus ordinet.

Ex eodem Concilio, cap. XXII.

EPISCOPUS alienam civitatem quæ non est illi subjecta non adeat; nec ad possessionem accedat quæ ad eum non pertinet super ordinationem cujusquam: nec constituat Presbyteros aut Diaconos alteri subjectos Episcopo, nisi fortè cum silentio * & voluntate regionis Episcopi. Si quis autem tale aliquid facere tentaverit, irrita sit ejus ordinatio, & ipse coherceatur à Synodo: nam si ordinare non potuerit, nullatenus judicabit.

al. * consilio.

CAPUT CXVIII.

Ut nullus Episcopus, Presbyter & Diaconus conductor existat: & ut Lectores uxores accipiant; & Clerici abstineant ab usuris: & quo tempore vel ipsi vel virgines consecrentur.

Ex Concilio Carthaginensi, cap. XVI. *Ex codice can. Eccles. Afric.*

ITEM placuit * ut Episcopi, Presbyteri & Diaconi non sint conductores aut procuratores, neque ullo turpi negotio & inhonesto victum quærant, quia respicere debent scriptum esse: *Nullus militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* Item placuit * ut Lectores cùm ad annos pubertatis venerint, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri. Item * placuit ut Clericus si * commendaverit pecuniam, pecuniam accipiat, si speciem eamdem, speciem quantam dederit accipiat: Et ut * ante viginti quinque annos ætatis nec Diaconi ordinentur, nec virgines consecrentur: & ut Lectores populum non salutent.

** Carth. 3. cap. 15.*
2. Tim. 2.
** Carth. 3. cap. 19.*
** Carth. 3. cap. 16.*
*al. * commodaverit.*
** ibid. cap. 4.*

CAPUT CXIX.

Si qui Clerici ab Episcopis suis promoti contempserint, nec illic maneant unde recedere noluerunt.

Ex eodem Concilio, cap. XXXI. *Ex codice canonum Africanæ Ecclesiæ.*

ITEM placuit ut quicumque Clerici vel Diaconi pro necessitatibus Ecclesiarum non obtemperaverint Episcopis suis, nolentibus eos ad honorem ampliorem in sua Ecclesia promovere, nec illic ministrent in gradu suo unde recedere noluerunt.

CAPUT CXX.

De his qui plebes proprias derelinquunt.

Ex Concilio Africano * cap. XXXVIII.

* *vulgò dicto, seu collectione variorum can. Africanæ provinciæ.*
al. in Edit. * constitutum.

RURSUM placuit ut nemini sit facultas, relictâ principali cathedrâ ad aliquam Ecclesiam in Diœcesi constitutam * se conferre, vel in re propria diutiùs, quàm oportet, constitutam curam vel frequentationem propriæ cathedræ negligere.

CAPUT CXXI.

Ut Episcopi qui ordinantur ab ordinatoribus suis epistolam accipiant, qui diem & Consulem præferant.

Ex eodem Concilio, cap. LVI.

Edit. * ab Episcopis.

DEINDE placuit ut quicumque deinceps * ordinantur per provincias Africanas, litteras accipiant ab ordinatoribus suis manu eorum subscriptas, continentes Consulem & diem, ut nulla altercatio de posterioribus vel anterioribus oriatur.

CAPUT CXXII.

De his qui vel semel in Ecclesia legerint ab aliis non posse promoveri.

Ex eodem Concilio, cap. LVII.

Edit. * suscepto officio.
al. * prælecto.

ITEM placuit ut quicumque in Ecclesia vel semel * legerit, ab alia Ecclesia ad clericatum non teneatur. Et subscripserunt. Aurelius Episcopus Ecclesiæ Carthaginensis huic decreto consensi & * prælato subscripsi. Similiter & ceteri Episcopi subscripserunt.

CAPUT CXXIII.

De rebaptizationibus & reordinationibus, vel translationibus Episcoporum.

Ex eodem Concilio, cap. xv.

ILLUD autem suggerimus mandatum vobis, quod etiam in Capuensi * plenaria Synodo videtur statutum, ut non liceat fieri rebaptizationes, reordinationes, vel translationes Episcoporum. Nam Cresconius Villaregensis * Episcopus plebe suâ derelictâ Tubuniensem * invasit Ecclesiam; & usque in hodie commonitus (secundùm quod statutum fuerat) relinquere eamdem quam invaserat plebem contempsit: adversùs istum quæ pronuntiata fuerant, confirmata quidem audivimus; sed petimus secundùm quod nobis mandatum est, ut dignemini dare fiduciam quâ * jam, necessitate ipsa cogente, liberum nobis sit Rectorem provinciæ secundùm statuta gloriosissimorum Principum adversùs illum adire, ut qui miti ammonitioni sanctitatis vestræ adquiescere noluit & emendare inlicitum, auctoritate judiciaria protinus excludatur. Aurelius Episcopus dixit: Servatâ formâ disciplinæ non æstimabitur adpetitus; si à vestra charitate modestè conventus recedere detractaverit, cùm fuerit suo contemptu & contumacia faciente etiam auctoritate judiciaria conventus. Honoratus & Urbanus Episcopi dixerunt: hoc enim * omnibus placet. Ab universis Episcopis dictum est: Justum est, placet.

al. * Capsensi *vel* Carpensi.

al. * Villæ Rhegiensis.

al. * Tibinensem.

al. * quâ

f. * item.

CAPUT CXXIV.

Quòd non oporteat ordinationes Episcoporum diu differre.

Ex Concilio Calcedonense, cap. xxv. *Sub Leone I. an. 451.*

QUONIAM quidam Metropolitanorum quantum * comperimus negligunt commissos sibi greges, & ordinationes Episcoporum facere differunt, placuit sanctæ Synodo intra tres menses ordinationes Episcoporum celebrari, nisi fortè necessitas inexcusabilis * præparet * tempus dilationis extendi. Quòd si hoc minimè fecerit, correptioni Ecclesiasticæ subjacebit : verumtamen redditus Ecclesiæ viduatæ penes œconomum ejusdem Ecclesiæ integri reserventur.

al. * rumore comper.

al. * inevitabilis.

al. * coegerit.

CAPUT CXXV.

Quales vel quàm docti debeant ordinari Episcopi.

Ex Carth. IV.

Ex Concilio Carthaginensi, cap. I.

QUI Episcopus ordinandus est, antea examinetur : si naturâ prudens est, si docibilis, si moribus temperatus, si vitâ castus, si sobrius, si misericors, si litteratus, si in lege Domini instructus, si in scripturarum sensibus cautus, si in dogmatibus Ecclesiasticis exercitatus, & ante omnia si fidei documenta verbis simplicibus adserat, id est, Patrem & Filium & Spiritum sanctum unum Deum esse confirmans, totámque in * Trinitate Deitatem coëssentialem & consubstantialem & coæternalem, & coomnipotentem prædicans, si singulam quamque in Trinitate personam plenum Deum, & totas tres personas unum Deum : si Incarnationem divinam non in Patre, neque in Spiritu sancto factam, sed in Filio tantùm credat, ut qui erat in Divinitate Dei Patris filius, ipse fieret in homine hominis matris filius, Deus verus ex Patre, homo verus ex matre, carnem ex matris visceribus habens & animam humanam rationalem simul * in utriusque natura, id est, homo & Deus, una persona, unus filius, unus Christus, unus Dominus creaturarum * omnium, quæ sunt, & auctor & Dominus

al. * Trinitatis.

al. * simul in eo ambæ naturæ.

al. * Creator omnium.

minus & Creator * cum Patre & Spiritu ſancto omnium creaturarum, qui paſſus eſt * vera carnis paſſione, mortuus vera corporis ſui morte, reſurrexit vera carnis ſuæ * receptione, & vera animæ reſumptione, in qua veniet judicare vivos & mortuos. Quærendum etiam ab eo ſi Novi & Veteris Teſtamenti, id eſt, legis & Prophetarum & Apoſtolorum unum eumdémque credat Auctorem & Dominum : ſi diabolus non per conditionem ſed per arbitrium factus ſit malus. Quærendum etiam ab eo ſi credat hujus quam geſtamus & non alterius carnis reſurrectionem; ſi credat judicium futurum, & recepturos ſingulos pro his quæ in hac carne geſſerunt vel pœnas vel prœmia. Si nuptias non improbet; ſi ſecundum matrimonium non damnet : ſi carnium perceptionem non culpet; ſi pœnitentibus reconciliatis communicet. Si in Baptiſmo omnia peccata, id eſt tam illud originale contractum, quàm illa quæ voluntariè admiſſa ſunt, dimittantur : ſi extra Eccleſiam Catholicam nullus ſalvetur.

al. * rector.
al. * verè *vel* veræ.
al. * reſurrectione.

Cùm in his omnibus examinatus inventus fuerit plenè inſtructus, tunc * conſenſu Clericorum & laicorum & conventu totius provinciæ Epiſcoporum, maximéque Metropolitani vel auctoritate vel præſentia ordinetur Epiſcopus : ſuſcepto in nomine Chriſti Epiſcopatu non ſuæ delectationi nec ſuis motibus, ſed his Patrum definitionibus adquieſcens *. In cujus ordinatione etiam ætas requiratur, quia ſancti Patres exemplo Salvatoris in præelegendis Epiſcopis conſtituerunt. Dehinc diſponitur qualiter Eccleſiaſtica officia ordinentur.

* cum.
al. * acquieſcat.

CAPUT CXXVI.

Qualiter conſecrentur Epiſcopi.

Ex Concilio quo ſupra, cap. II. *Ibidem.*

EPISCOPUS cùm ordinatur duo Epiſcopi ponant & teneant Evangeliorum codicem ſuper caput

al. * verticem.

& cervicem * ejus, & uno ſuper eum fundente benedictionem, reliqui omnes Epiſcopi qui adſunt manibus ſuis caput ejus tangant.

CAPUT CXXVII.

De ordinatione miniſtrorum Sacerdotum quando fiat.

Leonis I. epiſtola 81. ad Dioſcorum Alex. Epiſc.

Ex Epiſtola Papæ Leonis ad Dioſcorum, cap. I.

al. * nobis.

QUÒD ergo à Patribus noſtris propenſiore cura novimus eſſe ſervatum, à vobis * quoque volumus cuſtodiri, ut non paſſim diebus omnibus Sacerdotalis vel Levitica ordinatio celebretur, ſed poſt diem Sabbati, ejúſque noctis quæ in prima Sabbati luceſcit exordia deligantur, in quibus his qui conſecrandi ſunt jejunis & à jejunantibus ſacra benedictio conferatur; quod ejuſdem obſervantiæ erit ſi mane ipſo Dominico Die continuato Sabbati jejunio celebretur, à quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt, quem ad diem Reſurrectionis ſicut etiam in Paſcha Domini declaratur, pertinere non dubium eſt. Nam præter auctoritatem conſuetudinis, quam ex Apoſtolica novimus venire doctrina, etiam ſacra ſcriptura manifeſtat; quòd cùm Apoſtoli Paulum & Barnabam ex præcepto Spiritus ſancti ad Evangelium gentibus mitterent prædicandum, jejunantes & orantes impoſuerunt eis manus; ut intelligamus quanta & dantium & accipientium devotione curandum ſit, ne tantæ benedictionis ſacramentum negligenter videatur impletum. Et ideò piè & laudabiliter Apoſtolicis morem geſſeris inſtitutis, ſi hanc ordinandorum Sacerdotum formam per Eccleſias, quibus Dominus præeſſe te voluit, etiam ipſe ſervaveris; ut his qui conſecrandi ſunt numquam benedictio niſi in die Dominico Reſurrectionis tribuatur, cui à veſpere Sabbati initium conſtat adſcribi, & tantis divinarum diſpenſationum * miniſteriis * conſecrata; quidquid à Domino eſt

al. * diſpoſitionum. al. * myſteriis.

insignius constitutum, in hujus diei dignitate sit gestum, in hac mundus sumpsit exordium; in hac per resurrectionem Christi & mors interitum & vita accepit principium; in hac Apostoli à Domino prædicandi omnibus gentibus Evangelii tubam sumunt, & ad * inferendum universo mundo sacramentum regenerationis accipiunt; in hac sicut beatus Johannes Evangelista testatur cùm congregatis in unum discipulis clausis januis ad eos Dominus introisset, insufflavit & dixit: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum detinueritis detenta sunt.* In hac denique promissus à Domino Apostolis Spiritus sanctus advenit; ut cælesti quadam regula insinuatum & traditum noverimus in illa die celebranda nobis esse mysteria Sacerdotalium benedictionum, in qua conlata sunt omnia dona gratiarum.

al. * *imperandum.*

Iohan. 20.

CAPUT CXXVIII.

Ex Concilio Carthaginensi, cap. XIII.

Ex Carth. IV.

UT Episcopus non longè ab Ecclesia hospiciolum habeat.

CAPUT CXXIX.

Ut Episcopus & pauperes & infirmos tueatur.

Ex Concilio Aurelianensi, cap. XII *.

Aurel. I. In edit *. XVI.

EPISCOPUS pauperibus vel infirmis, qui debilitate faciente non possunt suis manibus laborare, victum & vestimentum in quantum possibilitas habuerit largiatur.

CAPUT CXXX.

Ut Episcopus subpellectilem & mensam vilem habeat.

Ex Concilio Carthaginense cap. XV.

Ex Carth. IV.

EPISCOPUS vilem ſubpellectilem & menſam ac victum pauperem habeat, & dignitatis ſuæ auctoritatem fidei & vitæ meritis quærat.

CAPUT CXXXI.

Ex Concilio quo ſupra, cap. XVI.

UT Epiſcopus libros gentilium non legat, hæreticorum autem pro neceſſitate temporis.

CAPUT CXXXII.

Cap. XVII. Ex Concilio quo ſupra, cap. XIX.

UT Epiſcopus gubernationem viduarum & pupillorum, ac peregrinorum non per ſemetipſum, ſed per Archipresbyterum, aut per Archidiaconum

al. * agar. regat *.

CAPUT CXXXIII.

Cap. XVIII.

Ex Concilio quo ſupra, cap. XVII.

UT Epiſcopus tuitionem teſtamentorum non ſuſcipiat.

CAPUT CXXXIV.

Cap. *notat. quibuſdam tranſpoſitis.* Ex Concilio quo ſupra, cap. XIX.

UT Epiſcopus nec provocatus pro rebus tranſitoriis litiget.

CAPUT CXXXV.

Vt Epiſcopus antequam ordinetur Canones agnoſcat.

Ex Carth. 3. cap. 3. & ex cod. can. Afr. Eccl. cap. 18.

Ex Concilio ſupra ſcripto.

ITEM placuit ordinandis Epiſcopis vel Clericis priùs ab ordinatoribus ſuis decreta Conciliorum

auribus eorum inculcentur, ne se aliquid contra statuta Concilii fecisse pœniteant *. *al.* * asserant.

CAPUT CXXXVI.

Ut Episcopus die Dominico ab Ecclesia deesse non debet.

Ex Concilio Aurelianensi, cap. xxvi *. *Aurel.* I. *al.* * *in edit.* xxxi.

EPISCOPUS si in infirmitate non fuerit impeditus, Ecclesiæ cui proximus fuerit die Dominico deesse non debet.

CAPUT CXXXVII.

Ut Episcopus nullam curam rei familiaris ad se revocans tantùm orationi & doctrinæ vacet.

Ex Concilio quo supra, cap. xx. *Ex Concil. Carthag.* 4.

EPISCOPUS nullam rei familiaris curâm ad se revocet, sed ut lectioni & orationi & verbi Dei prædicationi tantummodò vacet.

CAPUT CXXXVIII.

Ex Concilio Carthaginensi, cap. xxxiv. *Ex Carth.* IV.

UT Episcopus quolibet loco sedens stare Presbyterum non patiatur.

CAPUT CXXXIX.

*De consensu * Presbyteri cum Episcopo in Ecclesia.* *al.* * consessu.

Ex Concilio quo supra, cap. xxxv. *Ibidem.*

UT Episcopus in Ecclesia in consensu Presbyterorum sublimior sedeat, intra domum verò collegam se Presbyterorum esse cognoscat.

CAPUT CXL.

Quamdiu Episcopus in aliena civitate remoretur.

Ex Concilio Sardicensi, cap. XIV.

OSIUS Episcopus dixit: Et hoc quoque statuere debetis, ut Episcopus ex alia civitate cùm venerit ad aliam civitatem, vel ex provincia sua ad aliam provinciam, & ambitioni magis quàm [a] devotioni serviens voluerit in aliena civitate multo tempore residere: fortè [b] enim evenit Episcopum loci non esse tam instructum neque tam doctum; is verò qui advenit incipiat contemnere eum & frequenter facere sermonem ut dehonestet & infirmet [c] illius personam, ita ut ex hac occasione non dubitet relinquere adsignatam sibi Ecclesiam, & transeat ad alienam. Definitè ergo tempus quia & non recipi Episcopum inhumanum est, & si [d] diutiùs residet pernitiosum est. Hoc ergo ne fiat providendum est. Memini autem superiori Concilio Fratres nostros constituisse, ut si quis laicus in eam [e] in quam commoratur civitatem tres Dominicos dies, id est per tres septimanas non celebrasset conventum, communione privaretur. Si hæc circa laicos constituta sunt, multo [f] magis Episcopus non licet nec decet, si nulla sit tam gravis necessitas quæ detineat, ut ampliùs à supra scripto tempore absens sit ab Ecclesia sua. Universi Episcopi dixerunt placere sibi.

Anno 347. *Sub Iulio* I.
al. [a] serviat quam devotioni: ita ut si voluerit in alien.
al. [b] & contingat ut Episcopus civitatis ipsius non tam instructus sit nec tam doctus; is verò.
al. [c] deformet.
al. [d] & diutius residere.
al. [e] in ea qua commoratur civitate.
al. [f] tanto magis nec licet nec decet ut Episcopus si nullam tam gravem habet necessitatem, e tam difficilem rationem tamdiu desit ab Ecclesia ne populum contristet.

CAPUT CXLI.

Non liceat Episcopo à sua Ecclesia plus tribus hebdomadibus abesse.

Ex eodem Concilio cap. xv.

OSIUS Episcopus dixit : Quia nihil prætermitti oportet, sunt quidam fratres & Coepiscopi nostri qui non in ea civitate possident * in qua videntur Episcopi esse constituti, vel certè parvam * rem illic habeant ; alibi autem idonea prædia habere cognoscuntur, vel affectionem proximorum quibus indulgeant, hactenus permitti eis oportet ut accedant ad possessiones suas & disponant vel ordinent fructum laboris sui, ut post tres dies Dominicos, id est, post tres hebdomadas si morari necesse est in suis potiùs fundis morentur : aut si est proxima civitas in qua est Presbyter, ne sine Ecclesia videantur facere diem Dominicum, illuc accedant ; ut neque res ejus domesticæ per absentiam ejus detrimentum sustineant, & non frequenter veniendo ad aliam civitatem, in qua Episcopus moratur *, suspicionem jactantiæ & ambitionis evadat *. Universi dixerunt placere sibi.

al. * resident.
al. * paucam rem ibi, alibi autem.
al. * est.
al. * incurrat.

CAPUT CXLII.

De laicis non temere faciendis Episcopis.

Ex eodem Concilio, cap. xiii.

OSIUS Episcopus dixit : Et hoc necessarium arbitror ut diligentissimè tractetis *, si fortè aut dives aut scholasticus de foro aut ex ministratore * Episcopus fuerit postulatus, ut non priùs ordinetur nisi antè & Lectoris munere & officium * Diaconii aut Presbyterii fuerit perfunctus ; & ita per singulos gradus si dignus * fuerit ascendat ad culmen Episcopatus. Potest enim per has promotiones, quæ habebunt * utique prolixum tempus, probari qua fide sit, qua * modestia, qua gravitate & verecundia ; & si dignus fuerit probatus, divino Sacerdotio inlustretur : quia * conveniens non est, nec ratio nec disciplina patitur, ut temere & leviter ordinetur aut Episcopus, aut

al. * tractetur.
al. * administratione *item* administratore.
al. * officio diaconi & Presbyteri.
al. * habent.
al. * quave modest. & gravit.
al. * Nam nec conveniens est, nec ratio disciplinæ patitur.

Presbyter, aut Diaconus, qui neophitus est: maximè cùm & magister gentium beatus Apostolus ne hoc fieret denuntiasse & prohibuisse videatur: sed hi quorum per longum tempus examinata sit vita, & merita fuerint comprobata. Universi dixerunt placere sibi hæc.

1. *Tim.* 3.

CAPUT CXLIII.

Quando & in quibus causis Episcopi ad comitatum ire debeant.

Ex eodem Concilio, cap. VIII.

OSIUS Episcopus dixit: Importunitates * & nimia frequentia & injustæ petitiones fecerunt nos non tantam habere vel gratiam vel fiduciam, dum quidam non cessant ad comitatum ire Episcopi & maximè Afri, qui sicut cognovimus sanctissimi fratres & Coepiscopi nostri Grati salutaria consilia spernunt atque contemnunt, & non solùm ad comitatum multas & diversas Ecclesiæ non profuturas perferant causas, ut fieri solet aut oportet, ut aut pauperibus, aut viduis aut pupillis subveniatur, sed & dignitates sæculares & administrationes quibusdam * postulant. Hæc itaque pravitas olim non solùm murmurationes sed & scandala excitat; honestum est autem ut Episcopi * intercessionem suam his præstent, qui aliqua iniqua vi opprimuntum, aut si vidua affligatur, aut pupillus expolietur, si tamen ista omnia justam habeant causam aut petitionem. Si vobis ergo, fratres charissimi, placet decernite, ne Episcopi ad comitatum accedant, nisi fortè hi qui religiossimi Imperatoris litteris vel invitati vel vocati fuerint. Sed quoniam sæpè contingit ut ad misericordiam Ecclesiæ confugiant qui injuriam patiuntur, aut qui peccantes in exilio * vel insulis damnantur, aut certè * quamcumque sententiam suscipiunt, ideo subveniendum est his, & sine dubitatione eis petenda per Ecclesiam indulgentia.

al. * Importunitatis nostræ nimia *vel* importunitate & nimia frequentia & injustæ petitionis fiducia, dum quidam &c.

al. * quasdam.

al. * Episcopus &c. *in singul.*

al. * in exilium *vel* insulas.

al. * quicumque.

Hoc

Hoc * ergo si vobis placet. Universi dixerunt, placet & constituatur.

al. * si verò hoc vobis placet statuatur.

CAPUT CXLIV.

De Diaconibus ad comitatum dirigentibus.

Ex eodem Concilio, cap. IX.

OSius Episcopus dixit : Hæc quoque providentia vestra tractare debet, qui * decrevistis ne Episcoporum improbitas notetur, ut * ad comitatum pergant : quicumque ergo, quales superiùs memoravimus, preces habuerint vel acceperint, per Diaconum suum mittant, quia persona ministri invidiosa non erit, & quæ impetraverit celeriùs poterit referre. Et hoc consequens esse videtur, ut * de qualibet provincia Episcopi ad eum fratrem & Coepiscopum nostrum preces mittant, qui in Metropoli consistit, ut ille & Diaconum ejus & supplicationes destinet, tribuens commendatitias litteras pari ratione ad fratres & Coepiscopos nostros, qui illo tempore his regionibus & urbibus morantur, in quibus felix beatus Augustus rempublicam gubernat. Si verò habet Episcopus amicos in palatio, qui cupit aliquid quod tamen honestum est impetrare, non prohibeatur per Diaconum suum rogare ac significare his, quos scit benigna * intercessione sibi absenti posse præstare.

al. * ut quia.
al * ad comitatum pergendo.

al. * ut unusquisque qui preces habuerit eas ad fratres & Coepiscopos nostros, qui in maxima civitate, id est qui in metropoli consistunt, mittat; & illi per suos diaconos destinent tribuendo commendatitias epistolas pari ratione &c.
al. * benignam intercessionem.

CAPUT CXLV.

Quòd ad comitatum pro pupillis & viduis, ac necessitatem patientibus sit eundum.

Ex eodem Concilio, cap. X.

QUi verò Romam venerint, sicut dictum est, sanctissimo fratri & Coepiscopo nostro Romanæ Ecclesiæ preces quas habent tradant, ut & ipse priùs examinet si honestæ & justæ sunt, & præstet diligen-

tiam atque sollicitudinem ut ad comitatum perferantur. Universi dixerunt placere sibi, & honestum esse consilium. Alippius * Episcopus dixit : Si propter pupillos & viduas, vel laborantes, qui causas non iniquas habent, susceperint peregrinationis * incommoda, habebunt aliquid justæ rationis : nunc verò cùm ea postulent præcipuè quæ sine invidia omnium & sine reprehensione esse non possunt, non necesse est eos ire ad comitatum.

** Hic incipit cap. x. superiora autem ad IX. pertinent in editis.*

al. * peregrinationes incommodas.

CAPUT CXLVI.

Quòd non oporteat Episcopos, Clericos & Monachos prædia aliena conducere.

Sub Leone I. an. 451.

Ex Concilio Calcedonensi, cap. III.

PERVENIT ad sanctam Synodum, quòd quidam qui in clero videntur * allecti, propter lucra turpia conductores alienarnm possessionum fiant, & sæcularia negotia sub cura sua suscipiant; Dei quidem ministerium parui pendentes, sæcularium verò discurrentes domos, & propter avaritiam patrimoniorum sollicitudinem sumentes *. Decrevit itaque sanctum hoc magnúmque Concilium, nullum deinceps, non Episcopum, non Clericum, non Monachum aut possessiones conducere, aut negotiis sæcularibus se misceri *, præter pupillorum (si fortè leges imponant) inexcusabilem curam, aut civitatis Episcopus Ecclesiasticarum rerum sollicitudinem habere præcipiat, aut orphanorum & viduarum, earúmque quæ sine ulla provisione * sunt personarum, quæ maximè Ecclesiastico indigent adjutorio & propter timorem Domini causa deposcat. Si quis autem transgredi de cetero hæc statuta tentaverit, qui est hujusmodi Ecclesiasticis increpationibus * subjacebit.

al. * sunt.

al. * adsumentes.

al. * immiscere.

al. * defensione,

al. * pœnis.

CAPUT CXLVII.

De honore Monachis competente, & ut nullus eorum tentet Ecclesiastica aut sæcularia inquietare negotia; nec alienum servum præter conscientiam domini ejus suscipere.

Ex eodem Concilio, cap. IV.

QUI verè & sincere singularem * sectantur vitam, competenter honorentur: quoniam verò quidam utentes habitum * monachi Ecclesiastica negotia civiliáque conturbant, circumeuntes indifferenter urbes, nec non & Monasteria sibi instituere tentantes: placuit nullum quidem usquam ædificare aut constituere Monasterium vel Oratorii * domum præter conscientiam * civitatis Episcopi: Monachos verò per unamquamque civitatem aut regionem subjectos esse Episcopo, & quietem diligere, & intentos esse tantummodò jejunio & orationi in locis in quibus renuntiaverunt sæculo permanentes: nec Ecclesiasticis verò nec sæcularibus negotiis communicent, vel in aliquo sint molesti propria monasteria deserentes, nisi fortè his præcipiatur * propter opus necessarium ab Episcopo civitatis. Nullum verò recipere in monasteriis servum ut sit Monachus cum eis obtentu monachi præter sui domini conscientiam *. Transgredientem verò hanc definitionem nostram excommunicatum esse decernimus, ne nomen Dei blasphemetur. Verumtamen Episcopum convenit civitatis competentem monasteriorum providentiam agere *.

al. * solitariam.
al. * habitu Monachali.
al. * orationis.
al * voluntatem.
al. * permissum fuerit.
al. * volutatem.
al. * gerere.

CAPUT CXLVIII.

De pacificis peregrinorum, id est commendatitiis litteris.

Ex Concilio Antiocheno, cap. VIII.

Sub Iulio, Papa an. 341.

PRESBYTERI autem qui ſunt in agris Canonicas epiſtolas dare non poſſunt, ad ſolos tantùm vicinos Epiſcopos litteras deſtinabunt. Corepiſcopi autem qui ſunt inreprehenſibiles dare poſſunt pacificas, id eſt generales epiſtolas.

CAPUT CXLIX.

De Metropolitanis ſingularum provinciarum.

Ex Concilio Antiocheno, cap. IX.

PER ſingulas regiones Epiſcopos convenit noſſe Metropolitanum Epiſcopum ſollicitudinem totius provinciæ gerere : propter quod ad Metropolim omnes undique qui negotia videntur habere concurrant : unde placuit eum & honore præcellere, & nihil ampliùs præter eum ceteros Epiſcopos agere ſecundùm antiquam à Patribus noſtris regulam conſtitutam, niſi ea tantùm quæ ad ſuam Diœceſim pertinent, poſſeſſionéſque ſubjectas. Unuſquiſque enim Epiſcopus habeat ſuæ parrochiæ poteſtatem, ut regat juxta reverentiam ſingulis competentem, & providentiam gerat omnis poſſeſſionis quæ ſub ejus eſt poteſtate ita ut Presbyteros & Diaconos ordinet, & ſingula ſuo judicio comprehendat. Ampliùs autem nihil agere tentet præter Antiſtitem Metropolitanum, nec Metropolitanus ſine ceterorum gerat conſilio Sacerdotum.

CAPUT CL.

De vacantibus Epiſcopis.

Ex eodem Concilio, cap. XVI.

SI quis Epiſcopus vacans in Eccleſiam vacantem proſiliat, ſedémque pervadat abſque integro perfectóque conſilio, hic abjiciatur neceſſe eſt, etſi

cunctus populus, quem diripuit, eum habere delegerit. Perfectum verò Concilium illud est ubi inter fuerit Metropolitanus Antistes cum* ſubfraganeis ſuis. ** hæc deſunt in editis cum ſuffrag. ſuis.*

CAPUT CLI.

Ut Metropolitanis ſua jura ſerventur.

Ex Decreto Papæ Leonis, cap. XXXII. in Epiſt. ad Anaſtaſium *. *Ex epiſtola Leonis Papæ I.* * Teſſalonic Epiſc. *cap.* 2.

IGITUR ſecundùm ſanctorum Patrum Canones Spiritu Dei conditos & totius mundi reverentia conſecratos, Metropolitanos ſingularum provinciarum Epiſcopos, quibus ex delegatione noſtra fraternitatis tuæ cura prætenditur, jus traditæ ſibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus, ita ut à regulis præſtitutis nulla aut negligentia aut præſumptione diſcedant.

CAPUT CLII.

Leotedoro Epiſcopo Forojulianenſi ſalutem. *Ejuſdem Leonis initium epiſtolæ : ad Theodorum Epiſc. Forojulianenſem circa 452. ſcripta.*

SOLLICITUDINIS quidem tuæ iſte ordo eſſe debuerat, ut cum Metropolitano tuo primitus de eo quod quærendum eſſe videbatur, conferres, ac ſi id quod ignorabat dilectio tua, etiam ipſe neſciſſet, inſtrui vos pariter poſceretis, quia in cauſis quæ ad generalem obſervantiam pertinent, nihil ſine Primatibus oportet inquiri.

CAPUT CLIII.

De Præſidibus, vel ceteris rem publicam agere volentibus, ne ſine litteris Epiſcopi ſui communicent; & cùm contra diſciplinam egerint, excommunicentur.

Ex Concilio Arelatenſi, cap. VII. *Ex Arelat. I.*

DE Præſidibus qui fideles ad præſidatum proſiliunt ita placuit, ut cùm promoti fuerint litteras accipiant Eccleſiaſticas communicatorias; ita tamen ut in quibuſcumque locis geſſerint, ab Epiſcopo ejuſdem loci cura de illis agatur, ut cùm cœperint contra diſciplinam publicam * agere, tum demum à communione excludantur: ſimiliter & de his fiat qui rempublicam agere volunt.

*alibi deeſt.

CAPUT CLIV.

Ut Clerici vel laici in aliena Eccleſia non communicent ſine litteris Epiſcopi ſui.

Ex Carth. I. Sub Iulio I.

Ex Concilio Carthaginenſi, cap. VII.

CASIANUS Velenenſis Epiſcopus dixit: Statuat gratuitas veſtra, ut unuſquiſque Clericus vel laicus non communicet in alia * plebe ſine litteris Epiſcopi ſui.

al.* aliena.

CAPUT CLV.

*Quòd oporteat egenis epiſtolas * tribui, honeſtiores autem commendatitiis litteris adprobari.*

al. * epiſtolia.

Sub Leone I.

Ex Concilio Calcedonenſi, cap. XI.

OMNES pauperes & indigentes Eccleſiaſtico auxilio cùm proficiſcuntur ſub probatione epiſtoliis, vel Eccleſiaſticis pacificis tantummodò commendare * decrevimus, & non commendatitiis litteris: propter quod commendatitias litteras honoratioribus * tantummodò præſtari perſonis conveniat.

al. * commendari *ſed forte utroque rectius* commeare.
al. * iis ſolis perſonis quæ ſunt ſuſpectæ præſtari.

CAPUT CLVI.

De Clericis qui ſine epiſtolis ſui Pontificis proficiſcuntur.

Ex Concilio Agathensi, cap. LIII.

Anno 506. cap. LII.

PRESBYTER *, aut Diaconus, vel Clericus sine Antistitis sui epistolis ambulans communionem ei nullus impendat.

al. * Presbytero aut diacono vel clerico &c. ambulanti communionem nullus impendat.

CAPUT CLVII.

Ut sine epistola Episcopi sui non liceat Clericum vel Monachum proficisci; & de Monachis vel Abbatibus.

Ex eodem Concilio, cap. XXXVIII.

CLERICIS sine commendatitiis epistolis Episcopi sui licentia non pateat evagandi : in Monachis quoque præsentis * sententiæ forma servetur. Quòd si verborum increpatione non emendaverint, etiam verberibus statuimus cöerceri. Servandum quoque de Monachis ne eis ad solitarias cellulas liceat à congregatione discedere, nisi fortè probatis post emeritos labores, aut propter infirmitatis necessitatem asperior Abbatibus regula remittatur : quod ita demum fiet, ut intra eadem monasterii septa manentes tamen sub Abbatis potestate separatas habere cellulas permittantur. Abbatibus quoque singulis diversas cellulas aut plurima * monasteria habere non liceat, nisi tantùm propter incursum hospitalitatis * intra muros receptacula conlocare.

al. * par sententiæ.

al. * plura.

al. * hostilitatis.

CAPUT CLVIII.

Incipit Epistola Formata Attici Episcopi Constantinopolitani.

GRÆCA elementa litterarum, numeros etiam exprimere nullus, qui vel tenuiter græci sermonis notitiam habet, ignorat. Ne igitur in faciendis

epiſtolis Canonicis, quas mos latinus Formatas appellat, aliqua fraus falſitatis temere præſumeretur, hoc à Patribus trecentis decem & octo Nicææ congregatis ſaluberrimè inventum eſt & conſtitutum; ut Formatæ epiſtolæ hanc calculationis ſeu ſupputationis habeant rationem, id eſt, ut adſumantur in ſupputationem prima græca elementa Patris & Filii & Spiritus ſancti, hoc eſt Π Υ Α. Πατὴρ, j. Pater. *Υὸς, j. Filius. Αγιων πνεῦμα, j. Spiritus ſanctus: quæ elementa LXXX. octogenarium & CCCC. quadringenteſimum * &, j, primum ſignificant numeros. Petri quoque Apoſtoli prima littera j. π qui numerum octoginta ſignificat. Ejus quoque qui ſcripſit epiſtolam, prima littera; cui ſcribitur, ſecunda; accipientis, tertia littera; civitatis quoque, de qua ſcribitur, quarta; & indictionis (quæcumque eſt) temporis idem qui fuerit numerus adſumatur. Atque ita his omnibus græcis litteris, quæ, ut diximus, numeros exprimunt in unum ductis, unam, quæcumque collecta fuerit, ſummam epiſtola teneat: Hanc qui ſuſcipit omni cum cautela requirat expreſſè: addat præterea ſeparatim in epiſtola etiam nonagenarium & nonum numerum, qui ſecundùm græca elementa ſignificat AMHN.

*In * edit. hæ ſunt tantùm tres litteræ π, υ, α. quæ elem. al. * quadrageſimum.*

EXPLICIUNT CANONES.

Deo Gratias, Amen.





STATVTA SYNODALIA

NICOLAI GELANT, ET GUILLELMI Majoris Episcoporum Andegavensium.



UILLERMUS permissione divina Andegavensis Episcopus universis & singulis Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, Archipresbyteris & Decanis, & Ecclesiarum Rectoribus, & quibuscumque aliis nostris subditis salutem. Juris remedia tot & tantis exquisita vigiliis, & per ora Præsidentium salubriter promulgata ad tutelam bonorum & malorum insolertias cohibendas, non decet verbis sed rebus imponi, nec convenit affectata oblivione delere, sed tenaci memoriæ commendare : sanè recolendæ memoriæ Prædecessor noster dum Andegavensem laudabiliter rexit Ecclesiam, circa Dominici gregis custodiam sollicitis vigiliis excitatus, & animarum saluti jugi meditatione intendens, & nos postmodùm ipso feliciter migrante ad Christum, ad curam ipsius gregis, licet immeriti, Divina miseratione vocati, à nostris Synodis plura statuta Synodalia super diversis statutorum articulis edidimus successivè prout negotiorum & temporum qualitas exigebat. Quorum statutorum plures invenimus pluribus modis transgressores, ad sui excusationem dum corrigebantur, ignorantiam super hæc prætendentes, licèt quoad illos, qui ad nostram Synodum venire tenentur, supina & crassa ignorantia dici deberet. Eapropter ne quis super hæc ulteriùs prætextu ignorantiæ se valeat excusare, nec deinceps quæ sint instituta Synodalia valeat in posterum dubitari, omnia & singula statuta Synodalia prædicta tam à prædicto Prædecessore quàm à nobis edita fecimus recenseri; & quibusdam statutorum ipsorum tamquam temporali-

Præfatio Guillelmi Majoris, le Maire.

bus vel ſuperfluis pro præſentis temporis qualitate reſecatis omnino, & aliis mitigatis, circa pœnas appoſitas in eiſdem in uno quaterno fecimus regiſtrari; ſtatuentes ut de cetero ſtatuta ipſa in quaterno hujuſmodi regiſtrata, ab omnibus & ſingulis ſubditis noſtris, prout tangunt, illibata ſerventur. Præcipientes etiam univerſis & ſingulis Abbatibus, Archidiaconis, Archipresbyteris, & Decanis Eccleſiarum Curatis in virtute obedientiæ, quâ nobis tenentur adſtricti, quòd ipſi & eorum quilibet infra primi anni Synodum ſancti Lucæ ſcribi faciant in quaterno ſtatuta eadem, quorum exemplar poni penes Johannem Benchies vel alium Stationarium faciemus, & eadem in quaterno ad dictam Synodum apportantes quibus dictorum Curatorum ſuo Archipresbytero vel Decano præſentent, qui nobis referant illos qui in præmiſſis fuerunt negligentes, ſcituri quòd illos qui in præmiſſis defecerint, graviter puniemus.

Synodus I. Nicolai Gelant.

NICOLAUS GELANT IN SYNODO ſancti Lucæ,

Anno Domini M. CCLXI.

Caput 1. STATUIMUS quòd in ſingulis Eccleſiis liber, qui dicitur Ordinarius, habeatur quo Sacerdotes reſpiciant ſingulis diebus ante Veſperarum inceptionem, ut ipſas Veſperas, Matutinas, & officium diei ſequentis faciant & exſequantur juxta Ordinarii inſtructionem.

Cap. 2. Prohibemus ne quis Sacerdos pro quacumque Eccleſiæ ſuæ neceſſitate obliget Miſſale Eccleſiæ, vel calicem, vel parrochianis obligare volentibus conſentire præſumat. Si contra hoc ſtatutum facit, Extra, Contra *De pignoribus c. 1.* Si quis verò contra hoc fecerit, ſciat quòd ipſum ad redimendum & liberandum de ſuo proprio compellemus.


Cap. 3. Abbates & Priores Conventuales Monachos ſuos vagos & profugos ſtudeant revocare, & ipſos reci-

piant, salvâ ordinis disciplinâ: quos verò monitos redire nolentes inveniunt, excommunicent, & id nobis significent, ut eos excommunicatos denunciari faciamus, & procedamus contra ipsos prout de jure fuerit procedendum.

Statutum provincialis Concilii innovantes prohibemus sub pœna suspensionis, ne quis Abbas vel Prior Conventualis aliquem Monachum juniorem octodecim annis mittat causâ morandi ad locum vel Prioratum non Conventualem, sed in Claustro Monasterii, vel saltem Prioratus Conventualis moretur, ut & ibidem à senioribus suis instruatur in officio & servitio Ecclesiæ & regularibus disciplinis. *Cap. 4.*

Item sunt quidam religiosi, ut intelleximus, Abbates & alii, qui jurisdictionem Ecclesiasticam impediunt hominibus suis, prohibentes ne coram Ecclesiasticis judicibus litigent de iis quæ ad forum Ecclesiasticum spectant, & quod gravius est, jurisdictionem Ecclesiasticam sibi usurpant, de his quæ ad forum Ecclesiæ pertinent inter homines suos cognoscere & judicare præsumentes: quos monemus in generali ne talia vel similia de cetero attentare præsumant, scientes quòd si post monitionem istam hæc facere præsumpserint excommunicati erunt ipso facto à Canone in Concilio Lateranensi edito; & nihilominus contra ipsos procedemus prout de jure fuerit procedendum. *Cap. 5.*

Præterea cùm avaritiæ stimulis sit interdicto resistendum, prohibemus ne Prælati qui deportus recipiunt in Ecclesiis vel Capellis uvas immaturas, vel segetes discerpere vel colligere præsumant; quod si quis præsumpserit, præsumptorem ad reddendum quod collegerit duplicatum illi, in cujus præjudicium hoc fecerit, præsenti statuto condemnamus. *Cap. 6.*



Synodus II. Nicolai.

IDEM IN SYNODO PENTECOSTES.

Anno Domini M. CC. LXII.

Caput 1. PROHIBEMUS ne Archidiaconi, Archipresbyteri & Decani alienationibus rerum Ecclesiasticarum consentiant, nec super alienationibus litteras concedant.

Cap. 2. Statuimus ne Monachi extra villas in quibus morantur exeant ad exequias mortuorum, ne eo pretextu occasionem habeant evagandi, vel illicita committendi.

Cap. 3. Inhibemus Abbatibus ne Monachis suis vineas, terras seu possessiones concedant, vel habere permittant, nisi ad pertinentes ad administrationem, ne eo pretextu occasionem habeant proprium retinendi. Item ne solitarii in Prioratibus commorentur : quòd si contra fecerint, Clericis sæcularibus juxta mandatum Apostolicum assignabimus Prioratus eorum, super quo mandatum recepimus.

Cap. 4. Item præcipimus quòd singuli Capellani diligenter videant, quòd si aliqui eorum parrochiani ad nos fuerint pro aliquibus casibus remittendi, ad loca in quibus visitabimus mittant ad nos eosdem, ut inde expensis & laboribus releventur.

Cap. 5. Præcipimus ut singuli Capellani omnia testamenta testatorum & executorum nomina, summam X. librarum excedentia intra mensem à tempore obitus testatoris nobis denuntient, vel Officiali nostro Andegavensi.

Cap. 6. Item Sacerdotes & alii Ecclesiarum Rectores circa divinum officium, & maximè horarum canonicarum, ad quas tenentur ex debito, diligentes existant; & ut mundanæ occupationes declinentur, mane surgentes pulsato primo signo matutinas & alias horas canonicas continuè dicant in Ecclesia, nisi ex causa probabili ad Ecclesiam accedere impediantur.

Cap. 7. Prohibemus ne ea die qua benedictio nuptialis cele-

bratur mulieres admittantur ad purificationem cùm præposteratio videatur.

Præcipimus ne qui Sacerdotes consentiant, sed publicè in Ecclesiis suis prohibeant contrahere *per de præsenti*, donec veniant ad benedictionem nuptialem. Cap. 8.

Item inhibemus sub pœna suspensionis, ne quis Sacerdos filium suum habeat sibi in Ecclesia ministrantem, vel secum in domo propria commorantem, cùm testis evidens incontinentiæ suæ existat. Cap. 9.

Insuper sciant Sacerdotes & alii Ecclesiarum Rectores, quòd mulieres quas baptizant, vel quæ ipsorum parrochianæ existunt, sunt ipsorum filiæ spirituales, & ideò à talium mulierum copula carnali penitus abstineant, si velint pœnam amissionis beneficiorum evitare. Cap. 10.

Prædecessoris nostri vestigiis inhærendo prohibemus ne quis Capellanum capiat vel habeat in Ecclesia sua, nisi nobis vel mandato nostro speciali præsentatum, & à nobis vel mandato nostro receptum. Cap. 11.

Item præcipimus sub pœna excommunicationis, quòd omnes Rectores Ecclesiarum & singuli, qui ex indulgentia Domini Papæ vel ex nostra permissione in Ecclesiis suis residentiam non faciunt, habeant in Ecclesiis suis Capellanos continuè residentes, jacentes & commorantes ibidem. Cap. 12.

Præterea præcipimus ut singuli Sacerdotes in Ecclesiis suis, quos excommunicatos esse noverint, excommunicatos denuncient publicè singulis diebus Dominicis & festivis, & quorum auctoritate, & ad quorum instantiam, & si postquam satisfecerint super querelis de quibus impetebantur, noverint ipsos esse negligentes in eorum absolutione petenda, nihilominus ardentiùs & frequentiùs eos denuntient excommunicatos. Et super hæc faciant rotulos, quos Archipresbyteris, Decanis vel nobis tradant, si super hæc fuerint requisiti. Et si aliqui excommunicationem per annum sustinuerint, vel postquam satisfecerint Cap. 13.

adverſariis ſuis ſi negligentes fuerint in abſolutionibus petendis, hæc denuncient Archidiaconis, Archipresbyteris, vel Decanis, ſaltem in Synodo ſubſequenti.

Synodus III. Nicolai.

IDEM IN SYNODO SANCTI LUCÆ,

Eodem anno.

Caput 1. PRÆCIPIMUS, quòd in quibuslibet Eccleſiis in Epiſcopatu Andegavenſi ſit quaternus Synodalis, & illum quolibet menſe perfectè legant Capellani parrochiales, & bene intelligant & obſervent quod continetur in eo; eumdem ſecum in Synodo de cetero deferentes & parati ad interrogata reſpondere.

Cap. 2. Præcipimus parrochialibus Sacerdotibus Eccleſiis deſervientibus, ut quando eis præſentabimus citationes faciendas à judicibus ordinariis, videant utrum major pars dilationis temporis comprehenſæ in citatione à tempore data ſit elapſa vel ne, & ſi ſit elapſa faciant citationem ex tranſverſo ſigillantes eamdem; & ſi non ſit elapſa, directè per longum ſigillent. Et volumus quòd ſi judici appareat de ſigillatione ex tranſverſo, & citatus veniat, non compellatur citatus reſpondere, & qui citari fecerit eum, expenſis condemnetur; & hoc publicè dicant Capellani in Eccleſiis ſuis.

Cap. 3. Item injungimus Archidiaconis, quòd ipſi Sacerdotibus qui in Eccleſiis deſervient, faciant competentem habere proviſionem pecuniâ, vel etiam alia quantitate, conſideratis facultatibus Eccleſiarum quibus deſervient, habitâ æſtimatione legitimâ eorum quæ viderint æſtimanda; firmarios ſeu emptores fructuum penitus excludentes.

Cap. 4. Præcipimus quòd omnes Decani & Archipresbyteri plebei in hac præſenti Synodo, & futuris de cetero, antequam recedant, omnium præceptorum Synodalium copiam recipiant à nobis vel Archidiaconis, & ſecum aſportent & ſtudeant ut ea in ſuis Archipresby-

teratibus & Decanatibus à ſubditis ſollicitè faciant obſervari; & hæc eiſdem Archipresbyteris & Decanis in virtute obedientiæ injungimus.

IDEM IN SYNODO PENTECOSTES Synodus IV. Nicolai.

Anno Domini M. CC. LXIII.

PROHIBEMUS ſingulis Sacerdotibus parrochialibus ne ipſi parrochianis ſuis die Paſchatis teſtes * ſeu hoſtias loco panis benedicti miniſtrent, ne ex ejus miniſtratione ſeu receptione erubeſcentiam evitare videantur, ſed panem benedictum faciant ſicut aliis diebus Dominicis fieri conſuevit. *Caput 1.* *f. * toſtas.*

Intelleximus quòd quidam Archipresbyteri, ſeu Decani non per ſe ſed per alios viſitantes poſt viſitationem hujus procurationes recipere & exigere non verentur : quod dictis Archipresbyteris & Decanis diſtrictiùs inhibemus ſub pœna excommunicationis, Rectoribus Eccleſiarum & Capellanis nihilominus præcipientes, ne ipſi dictis Presbyteris & Decanis procurationes reddant niſi perſonaliter viſitaverint, niſi noſtras litteras patentes eiſdem exhibeant, continentes quòd à nobis obtinuerint licentiam per alios viſitandi; quas litteras niſi cauſa rationabili ſibi noverint nos minimè conceſſuros. Sententias verò ſuſpenſionis vel excommunicationis ſi ob procurationem non traditam, facta viſitatione per alium, ſeu à nobis licentiâ non obtentâ tulerint, ex nunc penitus revocamus. *Cap. 2.*

IDEM IN SYNODO SANCTI LUCÆ, Synodus V. Nicolai.

Anno Domini M. CC. LXIV.

STATUIMUS quòd Archidiaconi, Archipresbyteri, & Decani cappas manicatas vel tabarda non deferant in Archidiaconatibus, ſeu Archipresbyteratibus, vel Decanatibus ſuis, niſi ſit tempus pluviale, & tunc ſuper cappas clauſas (quas in dictis locis in vir-

tute obedientiæ & ſub pœna excommunicationis deferre præcipimus) ponere poterunt; ita tamen quòd dum Eccleſias intraverint, dicta tabarda deponant, nec coram nobis aliquatenus compareant in tabardis vel cappis manicatis, niſi hoc aliquibus eorum ex cauſa duxerimus indulgendum.

Synodus VI. Nicolai.

IDEM IN SYNODO PENTECOSTES,
Anno Domini M. CC. LXV.

Caput 1. QUIA ſcriptum eſt, quòd ſimulata æquitas non eſt æquitas, ſed duplex iniquitas; & in contractibus Judæorum multoties ſigillationes interveniant, cùm ſæpiſſimè in illorum contractibus quædam agantur, & alia ſimulatè conſcribantur; in virtute obedientiæ prohibemus ne aliquis judex Eccleſiaſticus hujus civitatis vel diœceſis litteras ſuper contractibus Judæorum cum Chriſtianis initis ſigillare præſumat, vel facere ſigillari.

Cap. 2. Cùm liber à ſervo difficilè diſcernatur, ſic & Clericus à laico, niſi per ſtatum & habitum diſtinguatur, ordinamus ut omnes & ſinguli Clerici ſive conjugati ſive non conjugati cùm in Eccleſiis parrochialibus, in quibus commorantur, ad Miſſam vel ad Veſperas veniunt, cum tutuptiis * congruentem deferentes tonſuram incedant, pſalmodiantes, legentes & cantantes ibidem cum Presbyteris & Capellanis; ut ſic appareat an litterati exiſtant nec non; tamen coram Epiſcopo, Archidiacono, Archipresbytero, vel Decano ſuis appareant cum tutuptiis, & amotis capuciis ſe præſentent: hæc complentes ſi velint Eccleſiaſtica deffenſione gaudere.

*f. * tutulis.*

Cap. 3. Si aliquis ſuſtinuerit ſententiam excommunicationis per duos menſes à tempore publicæ denuntiationis in Eccleſia factæ, uxor & familia ſint ſuppoſitæ Eccleſiaſtico interdicto. Verùm multi qui mucronem Eccleſiaſticæ diſciplinæ licet excommunicati non verentes, ſe minimè reputant ſauciatos, nec curant tam

tam letali vulneri quærere medicinam. Nos igitur quia vulnera, quæ medicinæ fomentum non ſentiunt, ferro ſunt abſcidenda, uxores & familias totas omnium ſubditorum noſtrorum, qui excommunicationem ſuſtinuerunt per duos menſes à tempore publicæ denuntiationis in Eccleſia factæ, ex tunc Eccleſiaſtico ſupponimus interdicto, prohibentes ne quis Sacerdos uxorem vel aliquem de familia alicujus parrochiani ſui, qui excommunicationem per dictum tempus ſuſtinuerit, ad ingreſſum Eccleſiæ, vel ad ſacramentum aliquod, ſeu ſacramentale admittat, ſaluis tamen Baptiſmatis & Pœnitentiæ Sacramentis. Et hoc ſtatutum præcipimus per Sacerdotes frequenter in Eccleſiis ſuis continuè & ſollemniter publicari.

Sanè cùm iſtius Diœceſis Andegavenſis multi ſint ſæculares Prioratus tenentes, in quibus ſervitium divinum non celebratur, injungimus omnibus & ſingulis hujuſmodi Prioratus tenentibus, quòd in ſingulis Prioratibus quos tenent, faciant ſingulis hebdomadis ſaltem duas Miſſas de cetero celebrari. *Cap. 4.*

Item prohibemus ne quartula aliqua quæſtorum admittantur, niſi appareant ſigillata noſtro vel Officialis noſtri ſigillo, cùm quæſtores multa falſa in quartulis invenerimus conſcripſiſſe. *Cap. 5.*

Cùm quis excommunicatus in articulo neceſſitatis abſolutionem petierit, recipiatur ab ipſo juramentum de ſtando mandatis Eccleſiæ, & de ſatisfaciendo iis ad quorum inſtantiam ſit excommunicatus, & bona & heredes obliget ad prædicta antequam abſolvatur. Si verò bona non habeat, ejus ſufficiat juramentum. Dúmque aliquis excommunicatus infirmitatis neceſſitate cogente loqui non poteſt, vel morte urgente ſi ſigna pænitentiæ appareant in eodem, requirantur heredes ſi ſint præſentes, ut pro ipſo caveant, & ſe obligent ſub forma prædicta; qui ſi cavere noluerint, nihilominus abſolvatur, & tradatur Eccleſiaſticæ ſepulturæ, cùm de jure ſcripto ad ſatisfaciendum pro eo debeant & poſſint heredes compelli. Si autem ſigna *Cap. 6.*

pœnitentiæ non apparuerint, nec abſolvatur, nec Eccleſiaſticæ ſepulturæ tradatur, dummodo in Eccleſia publicè denuntiatus fuerit, & tempus habuerit competens abſolutionem petendi, cùm nec pro eo abſolutiones recipiendæ ſint, nec orationes Domino porrigendæ.

Synodus VI. Nicolai.

IDEM IN SYNODO SANCTI LUCÆ,

Eodem anno.

Caput 1.

QUIA nonnulli Priores Monachi ſibi ad invicem mulieres fornicarias aut concubinas in grangiis ſuis receptabant, ut ſcelus facilius eſſet occultum, inhibemus omnibus & ſingulis Prioribus Monachis noſtræ Diœceſis ſub pœna excommunicationis publicæ in generali, ne ſimilia aut talia præſumant perpetrare.

Cap. 2.

Prohibemus Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, tam Regularibus quàm religioſis nobis ſubditis, ne cum cornibus, canibus, vel alio clamore ad aliquas beſtias venationem exeant *, vel per agros, ſeu nemora, vineas vel alia loca cauſâ venationis incedant, vel ubi cum clamore venetur interſint: & hoc idem Prioribus inhibemus. Inhibemus eiſdem Presbyteris & Capellanis ne ipſi, maximè in villa aut caſtello quibus morantur, tabernas intrare præſumant.

f. * exerceant.

Cap. 3.

Injungimus noſtris Archidiaconis, Archipresbyteris & Decanis, ut dum viſitaverint per Archidiaconatum, Archipresbyteratum ſuos, faciant quòd Rectores vel Capellani legant in ipſorum præſentia unum capitulum quaterni ſui Synodalis.

Synodus VII. Nicolai.

IDEM IN SYNODO PENTECOSTES,

Anno Domini M. CC. LXVI.

CUM pluries in ſtatutis noſtris Synodalibus vobis Rectoribus & Sacerdotibus injunxerimus, quòd vos nobis vel Officiali noſtro Andegavenſi, cui in hac

parte vices noſtras commiſimus, omnia teſtamenta decem librarum ſummam excedentia, in veſtris parrochiis decedentium infra menſem à tempore mortis teſtatoris denuntiaretis, & nomina executorum, quod minimè adimplere curaſtis; nos aſſecantes * quòd timor pœnæ ad obediendum vos inducat, ſignificamus vobis omnibus ſingulis, quòd ſiquis veſtrum hæc de cetero neglexerit adimplere, & per inquiſitionem noſtram ſeu inquæſtam, vel aliàs per alium, quàm per vos poſt menſem elapſum ſuper alicujus teſtamentum denuntiatio facta fuerit, nos tertiam partem eorum quæ competent negligenti per manum veſtram erogandam ratione juris funerantij, ex nunc nobis retinemus per manum noſtram erogandam quibus viderimus expedire. f. * æſtimantes.

IDEM IN SYNODO PENTECOSTES, Anno Domini M. CC. LXIX. Synodus VIII. Nicolai.

SUNT plures Rectores Eccleſiarum & Sacerdotes, qui pravitatem Simoniacam non timentes, benedictiones nuptiales, defunctorum ſepulturas, mulierum purificationes celebrare non volunt, niſi priùs certa pecuniæ quantitas, vel aliud quod eiſdem placeat, ſolvatur vel firmiter promittatur: quod etiam circa ſacramentorum exhibitionem committere non formidant. Circa quæ inquirendum Archidiaconos, Archipresbyteros & Decanos præcipimus diligenter vigilare, & quos in iſtis reos invenerint, ab officio & beneficio ſuſpendant, & denuntient eſſe ſuſpenſos, coram nobis eiſdem certos dies aſſignantes, ut ſi Rectores ſint vel Curati, eos beneficiis ſuis privemus; ſi verò Sacerdotes non Curati, ab Andegavis perpetuò excludamus; alia eiſdem nihilominus pœna injungenda ſecundùm Canonicam ſanctionem.

Synodus IX. Nicolai.

IDEM IN SYNODO SANCTI LVCÆ,

Anno eodem.

Caput 1.

LICET jam diu ſit in Synodo conſtitutum, ne Archipresbyteri & Decani à Synodo recedant, niſi primitus habitis ab eiſdem ſtatutis immediatè Synodi celebratæ: quia hactenus dictum ſtatutum adimplere minimè curaverunt, lege repetitâ ſtatuimus quòd quilibet eorumdem infra octo dies à celebratione Synodi, ne nimia brevitate temporis videantur artari, præfata ſtatuta habeant & recipiant, & conſcribi faciant: hæc eis in virtute obedientiæ firmiter injungentes; & ſciant quod negligentes & remiſſos pœna inobedientiæ puniemus.

Cap. 2.

Sacris Canonibus eſt ſtatutum, & à nobis diu eſt in ſancta Synodo innovatum, ne pro Sacramentis miniſtrandis ſeu impendendis aliquid exigatur. Verùm intelleximus novum genus exactionis exortum, quia ſi alius parrochianus aliquis in aliena parrochia matrimonium contrahat in noſtra Diœceſi vel etiam aliena, & à Sacerdote ſuo poſtulet qui ſtatus ipſius habet notitiam litteras ſibi concedi, quibus perſona ſua ſit libera ad contrahendum, numquam Sacerdotes concedere volunt, niſi priùs pro dicta littera concedenda eis à poſtulante aliquid conferatur, vel certiſſimè promittatur. Inſuper dum contrahentes matrimonium à ſuis Sacerdotibus priùs petunt certam diem præfigi ad ſuas benedictiones nuptiales celebrandas, numquam diem poſſunt certam à ſuis Sacerdotibus obtinere, niſi priùs certum eis aliquid promittatur vel donetur; quæ manifeſtè ex avaritiæ radice procedunt. Propter quod prohibemus, ne ob dictas cauſas aliquid ab aliquo de cetero exigatur vel petatur, ſed liberè prædictæ litteræ concedantur, & dies nuptiales purè & ſimpliciter aſſignentur. Si quem verò contra hæc venire noverimus, ipſum tamquam inobedientem animadverſione debita puniemus.

Injungimus in virtute obedientiæ omnibus Archipresbyteris & Decanis, ut ipsi continuam & personalem residentiam faciant in suis Archipresbyteratibus & Decanatibus, in suis Ecclesiis residentes prout cura beneficiorum suorum exigit, exceptis Archipresbyteris & Decanis Canonicis Andegavensibus, qui Andegavis in Ecclesia habent facere residentiam, alioqui ipsos à beneficiis suis suspendemus. *Cap. 3.*

Scriptum est per Apostolum : *Filii obedite parentibus.* Hæc itaque Archidiaconis, Archipresbyteris & Decanis sub pœna suspensionis injunximus in Synodo celebrata in festo sancti Lucæ anno Domini M. CC. LXIX. quòd in suis Archidiaconatibus, Archipresbyteratibus & Decanatibus capis non utentur manicatis, vel tabardis, sed capas clausas deferent : ipsi nobis minimè obedientes, dictum statutum observare contemnunt. Sed quia venerabilis Pater Albanensis Episcopus Apostolicæ sedis Legatus graviter redarguendo nobis præcepit, quòd circa hoc consilium salubre apponeremus : itaque capas clausas seu rotundas, ut eorum dignitates & primatus exigunt, deferrent; Nos dicti Patris correctioni obedire volentes, ut tenemur, injungimus ipsis omnibus & singulis, quatenus capas clausas sive rotundas deferant in suis Archidiaconatibus, Archipresbyteratibus & Decanatibus; saluo quòd eis liceat, si temporis qualitas hoc exigat, super cappas ipsas aliud induere vestimentum temporis necessitate durante. Et super his ipsos ex abundanti monemus, significantes eisdem, quòd nisi prædicto statuto planè obtemperaverint, nos in ipsos suspensionis & excommunicationis sententias proferemus. *Cap. 4. Coloss. 3. 20.*

IDEM IN SYNODO PENTECOSTES, *Anno Domini M. CC. LXX.*

Synodus X. Nicolai

INTELLEXIMUS quòd nonnullæ mulieres maritorum suorum exigente contumacia Ecclesiastico interdicto suppositæ; nec non plures ex fornicario *Caput 1.*

coïtu, ſeu adulterio, aut alio illicito parientes, & purificatione poſt partum indigentes, latenter ſeu clandeſtinè Eccleſias ingrediuntur poſtquàm Sacerdotes Miſſarum ſolemnia inceperunt, ſe facientes à dictis improviſis Sacerdotibus purificari. Propter quod ſtatuimus & prohibemus, ne qua mulier ad Miſſam ſeu purificationem admittatur poſt partum, niſi per certum nuntium vel ſaltem in mane diu antequam pulſetur ad Miſſam, vel die præcedenti denuntiari fecerit Sacerdoti ſe velle venire ad purificationem, ut ſic deliberatione habita à Sacerdotibus admittendas admittant, & repellendas repellant: & hoc denuntient Sacerdotes parrochianis ſuis diebus Dominicis & feſtivis in Eccleſiis ſuis, in Synodo ſibi eſſe injunctum.

Cap. 2. Verùm cognovimus per quæſtores multas falſitates commiſſas, non ſolùm circa litteras Epiſcoporum, ſed etiam circa Indulgentias Domini ſummi Pontificis: nam alii per aliquos juriſdictionem exercentes ſibi faciunt ſigillari in quartulis * multas Indulgentias, de quibus in litteris Apoſtolicis indulgentialibus ſibi conceſſis mentio aliqua non habetur; alii verò per prædictos obtinent ſigillari ſibi tranſcripta litterarum diœceſanarum, in quibus quoque tranſcriptis falſò aliqua apponuntur, quæ in diœceſanorum litteris nullatenus continentur. Propter quod ordinamus, quòd nulla quartula * admittantur à Sacerdotibus niſi ſigillo noſtro vel Officialis noſtri fuerint ſigillata.

* Chartulis.

* Chartulæ.

Cap. 3. Injungimus Rectoribus Eccleſiarum, & Capellanis eorumdem parrochiis, habiles ad nubendum, qui ſe ſe invicem immiſceant * carnaliter, quòd iidem Rectores ſeu Capellani eoſdem non compellant ſe ſe ad abjurandum, ſed eoſdem inducant blandis ſermonibus prout potuerint, ut unus alteri promittat, quòd quia primùm carnaliter ſe commiſcuerunt, ex nunc conſentiant ad invicem unius in aliam nomine matrimonii, ſi ſancta Eccleſia poſſit conſentire.

f. * commiſcuerint.

IDEM IN SYNODO SANCTI LUCÆ, Synodus XI. Nicolai.

Eodem anno.

CUM glorioſiſſimum corpus CHRISTI, qui pro totius generis humani ſalute naſci & pati voluit, omni reverentia ſit digniſſimum & honore, nos attendentes quòd ſæpiſſimè dum à Sacerdotibus ad infirmos defertur nullam aut parviſſimam habeant comitivam, de ipſius omnipotentis miſericordia, meritis beatiſſimæ virginis MARIÆ Sanctorúmque Martyrum Mauritii ſociorùmque ejus, & patronorum noſtrorum beati Maurilii & Renati, & omnium ſanctorum confiſi; omnibus & ſingulis, qui Sacerdotibus dictum pretioſiſſimum corpus deferentibus eundo & redeundo comitivam fecerint, viginti dies de injunctis ſibi pœnis relaxamus: & hoc per Sacerdotes in ſuis Eccleſiis diebus Dominicis & feſtivis frequenter parrochianis ſuis præcipimus publicare. *Caput 1.*

Item quia convocationes Sacerdotum propter ipſorum abſentiam ab Eccleſiis periculoſæ exiſtunt, & ideò ad aliena loca cùm evidenti cauſa non debeant evocari, ne ad cujuſquam quæſtoris convocationem aliquo modo conveniant prohibemus, niſi litteras noſtras ſuper hæc receperint, & viderint ſpeciales, quas cuique concedere non intendimus niſi quaſi compulſi. *Cap. 2.*

Dolentes referimus quòd multi ſunt Presbyteri Rectores, etiam in ſuis Eccleſiis commorantes, qui nec Primam, nec alias Horas dicere noverint; præcipimus eis in virtute obedientiæ, ut eas addiſcant & in dicendis eis diligenter inſiſtant. *Cap. 3.*

Aliàs monuimus generaliter in Synodo omnes beneficiatos civitatis vel Diœceſis Adegavenſis Rectores Eccleſiarum, & obtinentes capellanias requirentes Sacerdotium, quia ex inſtitutione fundatorum, quòd ſe facerent de ordine in ordinem promoveri. Sed quia *Cap. 4.*

inobedientes Ecclesiæ monitioni non obtemperant nec obtemperaverunt, in præsenti Synodo iterato monemus quòd se faciant promoveri de ordine in ordinem successive; cùm ad hoc de jure teneantur, nulla alia expectata monitione ventura. Nos verò omnes & singulos, qui se ad ordines non præsentaverint successivè, & eosdem susceperint, nisi à nobis ex causa gratiam obtinuerint, à beneficiis suspendemus.


Synodus XII Nicolai.

IDEM IN SYNODO SANCTI LVCÆ,

Anno Domini M. CC. LXXI.

Caput 1. CUM à bonæ memoriæ Michaële prædecessore nostro statutum fuerit, quòd nullus Clericus, seu aliqua alia persona Ecclesiastica, alicui se obliget per litteras cujusque judicis sæcularis; Nos statutum prædictum innovantes illud in Diœcesi Andegavensi præcipimus observari. Si qui verò contrarium in posterum fecerint, litteræ per quas se obligaverint per judices Ecclesiasticos executioni nullatenus demandentur; quia culpa est rei se miscere ad se minimè pertinenti, & falcem suam in messem ponere alienam.

Cap. 2. Et quoniam processionum publicarum impositio Diœcesani officio competere dignoscitur, inhibemus sub pœnâ excommunicationis ne aliqua persona Andegavensis Diœcesis Ecclesiastica, vel etiam sæcularis, processiones publicas imponat personæ alicui publicè faciendas. Item Presbyteris & Capellanis Ecclesiarum nostræ Diœcesis sub pœna consimili nihilominus inhibentes, ne ipsi in suis parrochiis permittant talia perpetrari, nobis si qui fortè contrarium attentare præsumpserint rescribentes, ut à nobis de tali commisso more debito puniantur.



IDEM

IDEM IN SYNODO PENTECOSTES Ano Domini M. CC. LXXII.

Synodus XIII. Nicolai.

QUIA ſcriptum eſt : *Væ homini per quem ſcandadalum venit :* nos publicè inhibuiſſe recolimus prohibitione Synodali, ne quis Sacerdos vel Rector filios proprios vel filias habeant ſecum commorantes, & maximè ſecum in Eccleſiis ſuis miniſtrantes, cùm teſtes evidentes exiſtant incontinentiæ ejuſdem. Et cùm nonnullos invenerimus dictæ prohibitionis contemptores in grave ſcandalum ſubditorum, præcipimus & injungimus omnibus & ſingulis Rectoribus, Presbyteris, & Capellanis talia præſumentibus, quòd eos eáſve penitus à ſe abjiciant, adeò quòd circa eos nullatenus converſentur vel commorentur cum eiſdem, ſub pœna ſuſpenſionis & amiſſionis beneficiorum : ſi contra commiſerint, nullam ſpem remiſſionis vel reſtitutionis habeant. *Caput* 1. *Math.* 18. 7.

Item cùm quamplures exiſtant milites & alii, qui periculum ignorant vel contemnunt quod imminet in matrimoniis & benedictionibus nuptialibus, bannis non factis, celebratis, prohibemus ne quis inter quaſcumque perſonas benedictionem nuptialem celebrare præſumat, niſi prout juris & moris eſt, bannis in Eccleſia publicè feſtivis diebus præmiſſis. *Cap.* 2.

Cùm affectantes Sacerdotum & ſubditorum inſtructionem aliàs conſtituerimus, quòd Archipresbyteri & Decani ſingulis annis, certis diebus infra Octavam Purificationis beatæ MARIÆ virginis, Sacerdotes ſubditos ſibi certis locis confinibus, quæ non mutarentur, convocarent; ut dicti Archipresbyteri Sacerdotes eoſdem conſulerent ſuper iis, de quibus dubitarent, ad Synodalem quaternum vel ſtatuta Synodalia pertinentibus : & ut per prædictos ſtatuta anni Synodalia in Pentecoſtes & ſancti Lucæ Synodis facta dictis Sacerdotibus recitarentur. Nos per prædictos Decanos & Archipresbyteros intelleximus quòd Sa- *Cap.* 3.

cerdotes sibi subditi ad dies & loca propter hoc ab ipsis deputatos venire negligunt & contemnunt, propter quod volumus & statuimus, quòd illi qui ad prædictos dies & loca non venerint, quinque solidos nomine pœnæ suo Decano vel Archipresbytero solvere teneantur nisi canonicum habuerint impedimentum, quod firmare coram ipsis teneantur proprio juramento.

Cap. 4. Verùm intelleximus quòd cùm vobis aggravationes exequendæ diriguntur, licet in litteris contineatur quòd exequamini eas singulis diebus Dominicis & festivis, ipsas semel facitis, & in Ecclesiis vestris publicatis: quare vobis omnibus & singulis præcipimus & injungimus, quòd prædictas aggravationes saltem singulis diebus Dominicis & festivis exequamini, prout in litteris nostris demandatur, donec aliud à mandante receperitis in mandatis.

Cap. 5. Præterea nobis relatum est, quòd sunt nonnulli vestrum qui periculum animarum minùs zelantes quàm debeant, cùm aliquotiens requiruntur de infirmorum confessionibus audiendis vicinarum parrochiarum, etiam proprio Presbytero non præsente, ad dictos infirmos accedere contradicunt; per quod multi dicuntur inconfessi decessisse: propter quod omnibus & singulis firmiter injungimus, quatenus cùm quis requisitus fuerit de confessionibus ægrotantium in vicinis parrochiis audiendis, accedat indilatè, alioqui si per suam negligentiam quis decesserit inconfessus, sciat se beneficio suo privandum.

Synodus XIV. Nicolai.

IDEM IN SYNODO SANCTI LUCÆ,

Eodem anno.

Caput 1. QUIA Pastoris est ad bonum sibi subditos excitare; & nos in pluribus Ecclesiis vidimus post elevationem Dominici corporis cum campana pulsari, cùm hoc ante elevationem prædictam fieri debeat, ut corda fidelium ad elevationem * Dominici corporis

* *l.* ad adorationem.

excitentur, præcipimus ut dum divina Miſſarum ſolemnia celebrari contigerit, dum Sacerdos ſignacula facit ſuper hoſtiam & calicem conſecrandos pauſatim faciant cum campana pulſari.

Cùm infames loca ſuæ fugere ſoleant nationis, & nonnulli diverſarum nationum in Diœceſi Andegavenſi affugientes, Presbyteros ſe fingant, licet non ſint, & ſi ſint, talis tamen conditionis exiſtunt, quòd non ſint ad divina celebranda in Eccleſiis admittendi: præcipimus & ſtatuimus Capellanos in Eccleſiis noſtræ Diœceſis non admitti ad divina miniſtranda in eiſdem, niſi per litteras Prælatorum ſeu teſtes idoneos de eorum promotione & converſatione valeat apparere. *Cap. 2.*

Cùm ſit malitiis hominum obviandum, &, nonnulli fingentes ſe litteras Apoſtolicas habere, cùm fortè non habeant, nec habeant nec habuerint, citationes & alias litteras Capellanis noſtræ Diœceſis directas contra parrochianos eorumdem afferant, aliquotiens etiam ſub nomine judicum qui in rerum natura non exiſtunt; volumus citationes & alias litteras extraneorum judicum à dictis non exequi Capellanis, cùm ad hoc non teneantur, niſi eiſdem littera authentica primitus ſit oſtenſa; maximè ſi illi contra quos mandata diriguntur velint eiſdem de indemnitate cavere. *Cap. 3.*

Cùm inferior ſolvere non poſſit nec debeat quod eſt à ſuperiore ligatum, prohibemus, ſub virtute obedientiæ firmiter injungentes, ne quis Archidiaconus, Archipresbyter, vel Decanus aliquem Sacerdotem vel Capellanum ab Eccleſia aliqua vel ab alio loco civitatis vel Diœceſis Andegavenſis per nos amotum ad deſerviendum, ſeu ad officiandum in aliqua Eccleſia, Capellaniam vel Capellam ſui Archidiaconatus, Archipresbyteratus vel Decanatus admittere præſumat, niſi priùs à nobis licentiâ ſuper hæc petitâ & obtentâ. *Cap. 4.*

Synodus XV. Nicolai.

IDEM IN SYNODO SANCTI LUCÆ, Anno Domini M. CC. LXXIII.

Caput 1.

CUM quis rei ad se non pertinenti non debeat se immiscere, nec ea in quibus non habet potestatem ausu temerario usurpare, & in quibusdam locis nostræ Diœcesis comperimus nonnullos Rectores secum Diaconos habentes, qui sine necessitatis articulo confessiones audiunt & absolvunt indifferenter, corpúsque Dominicum infirmis deferunt & ministrant, quæ facere non possunt, nisi in necessitatis articulo: hæc fieri inhibemus de cetero in virtute obedientiæ & suspensionis, tam Rectoribus quàm Capellanis Ecclesiis deservientibus, & etiam Diaconis nisi articulo necessitatis urgente.

Cap. 2.

Præterea etiam cùm jure civili cautum sit, quòd nullus putare debeat sedem Apostolorum hominibus humanis usibus esse concessam, & * exponitur ibi. 1 *. cancellum Ecclesiæ vel chori ad corpora tumulanda: & invenerimus in quibusdam Ecclesiis nostræ Diœcesis corpora laicorum, & etiam rusticorum immediate ante altare majus humata; prohibemus omnibus & singulis Rectoribus & Capellanis ne de cetero in choro vel in cancello corpus laici tumulare præsumant, nisi patronus Ecclesiæ, vel fundator, seu fundatoris heres existat, nobis vel Officiali nostro inconsultis.

f. * ut
* id est *vel* intra.

Synodus XVI. Nicolai.

IDEM IN SYNODO PENTECOSTES, Anno Domini M. CC. LXXIV.

Caput 1.

AFFECTANTES divinum servitium augmentari in Ecclesiis parrochialibus & Capellaniis civitatis & Diœcesis Andegavensis, & quòd iidem Rectores seu Capellani ad idem faciendum servitium, & ad terrarum & vinearum Ecclesiarum & Capellaniarum ipsorum culturam faciliùs inducantur diligentiùs faciendam; statuimus quòd Rectores Ecclesiarum,

qui terras arabiles ad suas pertinentes Ecclesias arari & seminari propriis expensis fecerint, & vineas fodi seu bechari, & ante collectam illius anni decesserint, medietatem fructuum ipsarum terrarum & vinearum ejus anni habeant executores eorumdem, dum tamen quod deerit de cultura ipsarum vinearum & terrarum usque ad collectam fructuum liberrimè suppleant executores prædicti : prædicta quidem in Rectoribus Ecclesiarum qui in Ecclesiis personaliter deservierint, vel Diocesani licentiâ expressè Ecclesias suas ad firmam tradiderint : nec non de Capellanis capellanias in civitate & Diœcesi Andegavensi obtinentibus statuentes, dum tamen Capellani neque à tempore suæ mortis personaliter, vel saltem per certum servitorem de licentia Capellani * loci ipsas capellanias in Ecclesiis loci, in quibus eas habent, tam de Missa quàm de Choro deserviant, certam & competentem portionem pro eodem servitio persolvendo. *f.* * Capituli.

Verùm cùm statutum in Canone reperiatur, quòd per septem hebdomadas ante sanctum Pascha omnes, & maximè omnes Clerici ab esu carnium abstinere debeant : sed quia sicut discreta debet esse vita Clericorum à laicorum conversatione, ita & jejunio debet fieri discretio inter eos; monemus & exhortamur in Domino omnes Presbyteros nostræ Diœcesis, ut post diem Dominicam ante cineres usque ad Pascha carnibus non utantur : hoc eis sub pœna suspensionis & excommunicationis inhibentes, quas in facientes contrarium proferemus. *Cap.* 2.

IDEM IN SYNODO SANCTI LUCÆ, Synodus XVII. Nicolai.

Eodem anno. Rubrica.

CUM clandestinæ desponsationes inhibitæ sint à jure, quoniam in nonnullis Capellis & Prioratibus nostræ Diœcesis invenimus extra parrochiales Ecclesias celebratas, nos super hoc ut decet volentes remedium adhibere, statuimus ne benedictiones nup- *Caput* 1.

tiales de cetero in Capellis, Prioratibus & aliis locis solitariis celebrentur, etiam si banna seu indicta in Ecclesiis parrochialibus super matrimoniis contrahendis per contrahentium Presbyteros fuerint, ut moris est, sollemniter promulgata : ex tunc prædicta loca quoad hæc supponentes Ecclesiastico interdicto.

Cap. 2. Nonnulli Ecclesiarum Rectores nostræ Diœcesis, ut intelleximus, alienas parrochiales Ecclesias capiunt & recipiunt deserviendas, ob quod propriæ eorum Ecclesiæ & aliæ deserviendæ sic receptæ debito servitio defraudantur : & quia nostra interest super hoc remedium adhibere, hoc fieri de cetero in nostra Diœcesi Synodali prohibitione sub pœna suspensionis prohibemus.

Cap. 3. Ceterum cùm à jure prohibeantur Monachi in Prioratibus solitarii commorari, & in pluribus Prioratibus nostræ Diœcesis invenimus quòd contra statuta canonica & prohibitionem nostram etiam Synodalem super hoc aliàs editam, Monachi solitarii morantur, hortamur & monemus Abbates civitatis & Diœcesis Andegavensis, ut in eisdem Prioratibus binos ad minus Monachos ponant ibi continuè moraturos, alioquin sciant quòd nos minimè * obtemperare volentes, ut tenemur, dictos Prioratus Sacerdotibus sæcularibus assignabimus, qui deservient in eisdem.

*f. * juri.*

Cap. 4. Præterea cùm à sede Apostolica sit sancitum, ut nec Collegium nec Universitas nec singularis persona cujuscumque dignitatis, conditionis aut status existat, pecuniam fænebrem in exercentibus publicè, aut exercere volentibus, aut quibuscumque aliis eodem crimine irretitis, domos in terris suis conducere, vel conductas habere, aut alias intrare * permittant; & ut nemo domos ad hoc illis locet, vel sub alio quocumque titulo concedat : & in eorum præsumptores, videlicet si fuerint majores personæ Ecclesiæ, suspensionis, & in minores ac singulares, excommunicationis, ac in Collegia & Universitates interdicti ipso facto sententias promulgaverit dicta sedes, quam

*f. * habitare.*

ſi per menſem animo ſuſtinuerint indurato, etiam terræ ipſorum, in quibus iidem uſurarii morantur, Eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto. Et manifeſtum ſit Judæos Diœceſis Andegavenſis publicè uſurariam pravitatem exercere; Inhibemus Eccleſiis, Collegiis Univerſitatibus, nec non perſonis ſingularibus Eccleſiaſticis cujuſcumque conditionis vel ſtatus exiſtant, civitatis vel Diœceſis Andegavenſis, ne eoſdem Judæos in terris ſuis vel feudis domos conducere, aut conductas habere, vel alias inhabitare permittant; & ne etiam quis eorum eiſdem Judæis domos locet, vel ſub quocumque alio titulo concedat, ſub pœnis à prædicta ſede ſuper hæc promulgatis ſuperiùs annotatis.

IDEM IN SYNODO SANCTI LVCÆ, Synodus XVIII. Nicolai.

Anno Domini M. CC. LXXV.

INTELLEXIMUS quoſdam Sacerdotes ignorantiâ vel negligentiâ depreſſos, qui cùm infantes baptizant illos quos baptizant ſemel immergunt in aquam, vel uno contextu aquam fundunt ſuper eos, licet Mater Eccleſia generali conſuetudine conſervet, quòd baptizandi non ſemel ſed ter immergantur, vel trinâ effuſione aqua ſuper baptizandos fundatur: & meritò, cùm trina effuſio plenè conveniat formæ quam Dominus tradidit in baptiſmo dicens: *Ite, baptizate in nomine Patris & Filij & Spiritu ſancti, amen.* Et ideò trinæ formam tunc immerſionis, vel aquæ effuſionis, eis præcipimus obſervare. Caput 1. *Math. 28. 19.*

Quia in hac civitate & Diœceſi ſunt Abbates quidam, qui proprias voluntates, & non quæ ſibi licent attendentes, Prioratus ſolitarii & etiam aliquos in quibus duo Monachi morari conſueverunt, propriis manſionibus applicent, vel aliis Prioratibus ſeu officiis auctoritate propria aſſignant, uniones faciendo, quod eis non licet: omnes prædictas applicationes, aſſignationes, ſeu uniones à prædictis Abbatibus taliter factas revocamus & denunciamus nullas eſſe, in- *Cap. 2.*

jungentes eiſdem ſub pœna ſuſpenſionis, quòd dictas applicationes, aſſignationes, ſeu uniones de facto defecerint, & in locis, in quibus duo Monachi vel plures morari conſueverunt, Priores & Monachos ponant juxta numerum conſuetum, alioquin ipſos ad hoc ex tunc per excommunicationis ſententiam compellemus.

Synodus XIX. Nicolai

IDEM IN SYNODO PENTECOSTES.

Anno Domini M. CC. LXXV.

Cap. 1.

CUM dirum ſit in mortuos ſævire, vel punire ignorantes, & quidam ſint, prout intelleximus, qui contra adverſarios ſuos pro defectibus ſeu aliis de cauſis litteras excommunicationis impetrant, eas partibus penitus vel Sacerdotibus ſubticentes, illas nullatenus exhibent, vel denotant uſque in diem vel vigiliam reſurrectionis Domini, ut tunc adverſarios à communione fidelium repelli faciant; ſed & alii eas non manifeſtant donec eorum adverſarius ſit defunctus, ut eum à ſepulturâ Eccleſiaſticâ faciant prohiberi. His malitiis & ſimilibus obviare volentes, ſtatuimus quòd ſi quis contra aliquem aliquam excommunicationem impetraverit, infra quindecim dies à tempore impetrationis eamdem faciat publicè in ſua Eccleſia publicari, alioquin ex tunc Sacerdotes eas nullatenus publicare præſumant; excommunicatum tamen evitent & faciant evitari, donec à dicta ſententia fecerit ſe abſolvi. Si verò imminente tempore Paſchali, & ultimæ hebdomadæ Paſſionis quindenâ jam elapſâ, vel in imminente morte alicujus noviter litteras excommunicationis præſentaverint, dictos excommunicatos in forma Eccleſiæ abſolvatis vice noſtra, vel illorum quorum auctoritate fuerint excommunicati, dictorum excommunicatorum excommunicatori nomina referentes.

IDEM

IDEM IN SYNODO SANCTI LUCÆ, Anno Domini M. CC. LXXVI.

Synodus XX. Nicolai.

Caput 1.

CUM affectantes Sacerdotum & ſubditorum inſtructionem aliàs conſtituerimus, quòd Archipresbyteri & Decani ſingulis annis certis diebus infra octavam Purificationis beatæ MARIÆ Virginis, Sacerdotes ſibi ſubditos certis locis confinibus, qui non mutarentur, convocarent, ut dicti Sacerdotes eoſdem conſulerent ſuper hiis de quibus dubitarent, ad Synodalem quaternum vel ſtatuta Synodalia pertinentibus, & ut per prædictos ſtatuta anni Synodalia in Pentecoſtes ac ſancti Lucæ Synodis facta dictis Sacerdotibus recitarentur: & nos per prædictos Decanos, & Archipresbiteros intelleximus, quòd Sacerdotes ſibi ſubditi ad dies & loca propter hoc ab ipſis deputata venire negligebant, & contemnebant, & propter hoc voluerimus & ſtatuerimus quòd illi qui ad prædictos & loca non venirent, quinque ſolidos nomine pœnæ ſuo Decano vel Archipresbytero ſolvere teneantur, niſi Canonicum haberent impedimentum, quod firmare coram ipſis tenerentur proprio juramento. Et nonnullis perpendimus pericula imminere dicto tempore locis in pleriſque, maximè inundatione aquarum emergente, præcipimus quòd die Jovis poſt *Quaſimodo* Sacerdotes inibi ubi conſuetum convocentur à prædicta, & non infra octavam Purificationis ante dictæ, pœnam repetentes ſupra ſcriptam: adjicientes ut Archipresbyteri, & Decani, prædictam pœnam remittere nequeant, ſed dictos Presbyteros non venientes ad diem, ad Officialem inſinuent, & per ipſum prædictæ pœnæ à non venientibus exigantur.

Quoniam ubi majus periculum vertitur, ibi cautiùs eſt agendum, & ubi perſonæ induſtria eligitur, non per alium debet exequi quod mandatur: præſenti ſtatuto injungimus ſub pœna ſuſpenſionis & excommunicationis quibuslibet ſubditis noſtris, ut & cùm ali- Cap. 2.

cui à nobis, vel à judicibus ordinariis nostræ Diœcesis aliquod mandatum fuerit destinatum, ubi clausula hæc sit inserta: *Si nobis constiterit:* vel, *Si ita est:* vel, *Si contra fecerit*, vel, *Nisi obtemperaverit:* vel finaliter. *Causæ cognitionem desiderans illud mandatum non per alios quàm per ipsos executionem demandent, testes aliquos in executionibus prædictis, ut jura volunt, advocantes.* Item Rectoribus Ecclesiarum de sub pœnis præcipimus antefatis, ut Capellanos & Clericos jurare faciant, quòd fideliter alia mandata exequantur. Inhibentes pœnis prædictis repetitis, ne illis quibus aliquid fuerit mandatum factum per alium faciat illud exequi ad ejus instantiam cujus demandatur, vel per litteras deferentem aut etiam præsentantem.

Synodus XXI. Nicolai.

IDEM IN SYNODO SANCTI LVCÆ,

Anno Domini M. CC. LXXVII.

Caput 1.

VOLENTES subditorum utilitatibus providere statuimus, ut Rectores Ecclesiarum parrochialium civitatis & Diœcesis Andegavensis, Capellani & Clerici, eorum judicum Ecclesiasticorum mandata quæ exequantur fideliter faciant, nec citationem aliquam vel monitionem faciant, nec aliquos denuntient excommunicatos nominatim, nisi priùs super hoc recepto mandato. Præterea quòd aliquas litteras non sigillent gratiâ, odio, facinore, vel pretio, quousque contenta in ipsis litteris fuerint executi: transgressores graviter puniemus.

Cap. 2. *Ps.* 20. 23. 35. 12.

Scriptum est: *In Ecclesiis laudabo te, Domine:* propter quod statuimus, ut Priores Prioratuum Civitatis & Diœcesis Andegavensis cum Monachis suis, item Rectores cum Clerico vel Clericis suis, saltem in Diebus Dominicis & festivis IX. Lectionum cantent seu dicant ad notam Matutinos & Vesperas infra Ecclesias eorumdem.

Cap. 3.

Intelleximus nonnullos volentes & intendentes matrimonium ad invicem contrahere nomine matri-

monii potare, & per hoc credentes ſe ad invicem matrimonium contraxiſſe carnaliter ſe commiſcent. Verùm cùm per hoc nullum matrimonium contrahatur, & ob hoc quoniam plures jam fuerint decepti, vobis firmiter injungimus quòd frequenter & publicè in Eccleſiis parrochialibus veſtris dicatis, quòd per prædicta hujuſmodi nec matrimonium nec ſponſalia contrahuntur.

Quoniam aliàs ſtatutum extitit, ne quartula * aliqua quæſtorum admittantur, niſi appareant ſigillata noſtro vel Officialis noſtri ſigillo; cùm quæſtores multa falſa in chartulis invenerimus ſcripſiſſe, hîc ſtatuere duximus, inhibentes Rectoribus & Capellanis Andegavenſis Diœceſis, ne aliquem quæſtorem in Eccleſiis ſuis ad prædicandum, vel ſuas indulgentias, aut beneficia exponenda admittant, niſi ſuper hæc à nobis licentiam obtinuerint, & hoc appareat litteris noſtris vel Officialis noſtri, prout ſuperiùs eſt expreſſum; ſed ipſimet Rectores vel Capellani dictas indulgentias & beneficia parrochianis ſuis exprimant & exponant, prout in litteris noſtris vel Officialis noſtri viderint contineri. *Cap. 4.* * Chartula.

Quoniam omnis actio proprietatis habendæ à Monachis eſt tollenda, ſtatuimus ut nullus Monachus Eccleſiam vel Capellaniam pro ſalario, aut penſione, aut mercede deſerviendam aſſumat. *Cap. 5.*

IDEM IN SYNODO SANCTI LUCÆ, Anno Domini M. CC. LXXXI.

Synodus XXII. Nicolai.

QUONIAM multos reperimus indurato animo claves ſanctæ matris Eccleſiæ vilipendentes excommunicationis ſententiam diutiùs ſuſtinere, Corpus Chriſti in Eccleſia biennio vel triennio non ſuſcipere, vel etiam confiteri; præcipimus omnibus & ſingulis Rectoribus & Capellanis, ut ipſi & quilibet eorumdem in parrochiis ſuis diligenter conſiderent & inquirant parrochianos ſibi ſubditos, qui per bien- *Caput 1.*

nium & ultra in excommunicationibus ſuis perſtiterint, à perceptione Corporis Chriſti vel Confeſſione per tantum temporis ceſſaverint, & eorumdem nomina in ſcriptis nobis tradant vel mittant, & quanto tempore in ea permanſerint, ut in talibus ſalubre conſilium apponatur.

Cap. 2. Quia proceſſiones, quæ ex antiquorum devotione propter neceſſitatem populi adinventæ, certis temporibus & diebus fieri conſueverint, per negligentiam Rectorum & Capellanorum prout intelleximus in locis pluribus omnino non fuerint, in aliis verò aliqui Rectores & Capellani proceſſionem ſine Sacerdote crebriùs mittant; Ideò ſtatuimus & præcipimus ſub ſuſpenſionis pœna, ut ſinguli Rectores & Capellani die Dominica quæ præcedit ſeptimanam, in qua ex laudabili conſuetudine Eccleſiæ ſuæ proceſſio fieri conſuevit, parrochianos ſuos ſollicitè diligentèrque hortentur & inducant, ut ad proceſſionem eant, vel ſaltem unam perſonam de ſua familia mittant, prout ab antiquis fieri conſuevit: Rectoribus & Capellanis ſub pœna prædicta injungentes, ut ipſi ad prædictas proceſſiones perſonaliter eant, vel ſaltem ut Capellanum & Clericum ſuum ibi mittant, per quos litaniæ & orationes conſuetæ fiant, & plebis devotio, quæ per ipſorum negligentiam diminuitur, eorum curâ & præſentiâ amplietur.

Cap. 3. Cùm jamdudum in ſtatuto provinciali fuerit ordinatum, ne executores teſtamentorum aliquid de litteris executionis ſibi commiſſæ per ſe vel per alium emant, vel quocumque alio titulo ſibi acquirant; & prædictum ſtatutum plurimùm invenerimus à pluribus executoribus violari, qui de bonis executionis alter ab altero per ſe vel per alium ſibi emunt, vel titulo mutuæ devotionis acquirunt: idcirco prædicta ſtatuta innovantes, tales acquiſitiones in poſterum fieri prohibemus, juxta tenorem prædicti Concilii ſtatuentes, ut ſi quis executor de bonis executionis ſibi commiſſæ per ſe vel per alium quocumque titulo

adquiſierit, adquiſitum & tantum de ſuo reſtituat ad opus executionis committendum.

IDEM IN SYNODO SANCTI LUCÆ, Synodus XXIII. Nicolai.

Anno eodem.

ITEM de Rectoribus Eccleſiarum in Eccleſiis ſuis reſidentibus ordinamus, quòd Capellanos ſuos in domo propria ſecum habeant commorantes, niſi ſint in una domo plures Capellani propter Eccleſiæ diffuſæ magnitudinem.

IDEM IN SYNODO PENTECOSTES, Synodus XXIV. Nicolai.

Anno Domini M. CC. LXXXII.

CUM in Diœceſi Andegavenſi grave ſcandalum ortum eſſet ſuper eo, quòd nonnulli Archidiaconi, Archipresbyteri & Decani ſubditi noſtri extra civitatem Andegavenſem cauſas & placita in locis pluribus quàm ſoliti eſſent, audirent & tenerent: & etiam ex eo quòd ipſi habeant plures ſolito apparitores, qui homines ſine litteris citabant, & ab ipſis pecuniam illicitè extorquebant; die Sabbati poſt Pentecoſtes conſtituti coram nobis Andegavis in camera noſtra, & conſentientibus Oliverio Archidiacono Andegavenſi, Guillermo Archidiacono Tranſligerenſi, & Laurentio Archidiacono Tranſmeduanenſi in Eccleſia Andegavenſi, Stephano Andegavenſi, Guillermo Burgolienſi, Johanne de Fixa, Johanne de Ludio & Hamone Salmurienſi, Archipresbyteris, Oliverio de Camilliaco, Gervaſio de Maugia, Guillermo de Inter Sertam & Meduanam, Guillermo de Credonio, & Hamerico de Candeio Decanis.

Super præmiſſis ita duxerimus ordinandum, videlicet quòd Archidiaconus Andegavenſis in civitate Andegavenſi & apud Baugeium cauſas & placita tenebit & audiet, & non in pluribus locis item tres apparitores habebit, unum in civitate Andegavenſi

& duos extra. Item Archidiaconus Transligerensis in civitate Andegavensi apud Salmurium & apud Brechesach, & non in pluribus locis causas & placita audiet & tenebit; & pro tribus locis tres tantùm apparitores habere poterit, & non plures. Item Archidiaconus Transmeduanensis in civitate Andegavensi apud Castrum-Gonterij & apud Leon causas & placita audiet & tenebit, & pro tribus locis tres tantùm apparitores habebit. Item Archipresbyter Andegavensis * & non alibi causas audiet, & tenebit placita, & unum tantùm apparitorem habebit. Item Archipresbyter Burgoliensis in duobus locis tantùm, videlicet apud Burgolium & apud Longum-vadum causas & placita tenebit, & duos tantùm apparitores habebit. Item Archipresbyter de Fixa in duobus locis tantùm, videlicet apud Fixam & apud Durum-Stallum causas & placita tenebit, & duos tantùm apparitores habebit. Item Archipresbyter Salmuriensis in duobus locis tantùm, scilicet apud Salmurium & apud Doadium vel apud Genas, quem illorum locorum, videlicet Dadium, vel Genas elegerit, & quem eligere tenetur infra octo dies, & in quorum uno tantùm ex tunc una cum Salmuro placita tenebit, & duos tantùm apparitores habebit. Item * de Camilliaco in duobus locis tantùm, videlicet apud Camilliacum & apud Toarceium causas & placita audiet & tenebit, & tantùm duos apparitores habebit. Item Decanus de Maugia in duobus locis tantùm, videlicet apud Sanctam Crucem de Rupeforti, & apud Montem-Rebelli, & duos tantùm apparitores habebit. Item Decanus de inter Sertam & Meduanam in duobus locis tantùm, videlicet apud Castrum-novum & apud Campigné causas audiet & tenebit, & duos tantùm habebit apparitores. Item Decanus de Credonis in duobus locis tantùm, videlicet apud Credonium & apud Segreium causas audiet & placita tenebit, & duos habebit apparitores tantùm.

f. * Andegavis.

f. * *adde*, Archipresbyter, *vel* Decanus.

Item ordinamus quòd nullus apparitor prædictorum

aliquem citare poſſit ſine litteris, niſi in parrochia & villa in qua manſionem ſuam habebit, vel niſi à domino ſuo vel ejus vices gerente ſuper hoc mandatum receperit ſpeciale.

IDEM IN SYNODO SANCTI LUCÆ, Anno Domini M. CC. LXXXII.

Synodus XXV. Nicolai.

QUIA illud quod fit à Prælatis de facili trahitur à ſubditis in exemplum, & Prælati tot mortibus digni ſunt, quot mala exempla ad ſubjectos tranſmittunt, qui bona exempla & doctrinam debent populo miniſtrare: idcirco nos in devotionibus, & ut veriùs dicamus perverſitatibus quorumdam Prælatorum tam Regularium quàm ſæcularium, & Rectorum Eccleſiarum occurrere cupientes, qui divini mandati tranſgreſſores, qui in diebus Dominicis & aliis ſolemnitatibus feſtivis terrenas operationes exercent, cum bobus, quadrupedibus, quadrigis & aliis terrenis, ſpretis & neglectis divinis officiis, inſiſtendo, ſit fomentum erroris & perditionis laicis & plebibus ſibi commiſſis, ſuis malis exemplis exhibentes; præcipimus in virtute obedientiæ, & ſub pœna ſuſpenſionis univerſis & ſingulis Abbatibus, Prioribus, Monachis, Rectoribus Eccleſiarum, Presbyteris & Capellanis, omnibus Eccleſiaſticis perſonis in civitate & Diœceſi Andegavenſi conſtitutis, ne in diebus Dominicis & aliis ſolennibus & feſtivis, & maximè Mauritij, & Maurilij Patronorum noſtrorum ſolemnitatibus, Beatæ MARIÆ Virginis, Sanctorum Apoſtolorum, & aliis quæ in civitate & Diœceſi Andegavenſi conſueverunt cum Clero & Populo ſolemniter celebrari, operationibus terrenis inſiſtant, ſed divinis officiis inſudantes, laicos & populos ſibi commiſſos verbo & exemplo inducant, & eis efficaciter injungant memoratis diebus à terrenis operibus abſtinere eoſdem, & ad Eccleſiam conveniant ad divinum officium exhortando.

Synodus I. Guillelmi.

GUILLERMUS MAIOR EPISCOPUS ANDEGAVENSIS

IN SYNODO SANCTI LUCÆ,

Anno Domini M. CC. XCI.

Caput 1.

QUIA à multis ſpiritualis cognatio contemnitur adeò, quòd non verentur proprias filias ſuas ſpirituales carnaliter cognoſcere : Injungimus Archidiaconis, Archipresbyteris & Decanis quòd circa inquiſitionem talium diligentes exiſtant, & ſi quem Rectorem cum aliqua parrochiana ſua jacuiſſe, vel eam carnaliter cognoviſſe, de cetero noverint ipſum per ſex menſes ab officio & beneficio ſuſpendant, & ſuſpenſum teneant; medij temporis proventuum quaſi jure deportus inter Archidiaconum & Decanum, vel Archipresbyterum dimidia pars dividatur, alia parte fabricæ Eccleſiæ, contra quam deliquerit, remanente; ita tamen quod ex eiſdem proventibus ſervitoribus Eccleſiarum provideatur competenter.

Si verò aliquis Sacerdos deſerviens Eccleſiæ non Curatus tale commiſerit cum aliqua parrochiana Eccleſiæ cui deſervit, ſtatim à dicta Eccleſia expellatur, in Archidiaconatu nullatenus ſerviturus quouſque triennium ſit elapſum : & ſi de facto ipſius ſcandalum cæptum fuerit, à diœceſi per triennium præcipimus expellendum : adimentes omninò poteſtatem Archidiaconis, Decanis & Archipresbyteris diſpenſandi cum aliquo in hoc caſu, vel etiam deferendi.

Cap. 2. Statuimus & ordinamus ne quis Monachus aliquam Eccleſiam vel Capellaniam deſerviendam aſſumat; & ne Confeſſiones cujuſquam parrochianorum etiam de conſenſu Rectoris abſque neceſſitatis articulo audiat, niſi de licentia Epiſcopi & conſenſu : & quòd Monachi in eodem dormitorio jaceant, & ad Matutinas de nocte ſurgant, maximè tempore hyemali.

IDEM

IDEM GVILLERMVS IN SYNODO Pentecoſtes,

Synodus II. Guillelmi.

Anno Domini M. CC. XCII.

INHIBEMUS inſuper Abbati & Prioribus noſtræ Diœceſis, ne Monachis vel ſociis in Prioratibus commorantibus tradant ſeu miniſtrent annuatim pro calceamentis & veſtibus certam pecuniæ quantitatem, prout in locis quampluribus noſtræ Diœceſis, ipſa viſitantes invenimus retroactis temporibus facta eſſe; cùm per hoc, ſi permitterentur, occaſio daretur veniendi contra votum, quod Monachi in ſuis profeſſionibus Deo reddere promiſerunt circa illam partem; ſcilicet de abdicatione proprietatis, ad quam per ipſius voti vinculum ſunt adſtricti: ſed dicti Abbates & Priores in veſtibus, calciamentis & aliis neceſſariis eiſdem provideant competenter.

IDEM GVILLERMVS IN SYNODO ſancti Lucæ,

Synodus III. Guillelmi.

Eodem anno.

CUM nuper à prædeceſſore noſtro in virtute obedientiæ Rectoribus & Capellanis Andegavenſis Diœceſis in Synodo fuerit injunctum, ut ipſi ſingulis diebus Dominicis & majoribus feſtis excommunicatos de parrochiis ſuis publicè nuntiarent ac facerent evitare, & circa hoc aliqui de ipſis Rectoribus & Capellanis negligentes exiſtant, & dictis excommunicatis etiam in divinis participare non formidant. Nos prædicta præcepta innovamus, præcipientes & injungentes in virtute obedientiæ Rectoribus & Capellanis prædictis, quòd ipſi prædictis diebus Dominicis in Eccleſiis ſuis dictos excommunicatos publicè denuntient & ipſos evitari faciant, & evitent maximè in divinis. *Caput* 1.

Cùm diebus feſtivis ob reverentiam Dei & ſancto- *Cap.* 2.

rum introductis, præcipuè diebus Dominicis honori Majestatis altissimæ consecratis, à Christi Fidelibus sit ab omni servili opere abstinendum & cessandum, ac divinis cultibus jugiter insistendum, omnibus & singulis Rectoribus & Capellanis in virtute obedientiæ præcipimus & mandamus, quòd ipsi parrochianis suis inhibeant sub obtestatione divini judicii & pœna excommunicationis, ne ipsi dictis diebus festivis, maximè Dominicis, cuiquam operi servili se immisceant, & præcipuè barbitonsoribus, ne ipsi dictis diebus Dominicis barbas radant vel aliàs barbitonsorium officium exerceant, etiam minuendo, nisi mortis vel gravis infirmitatis periculo imminente: Inhibentes subditis suis sub pœna prædicta, ne dictis diebus Dominicis se radi faciant aut permittant, vel Barbitonsoris officium recipiant in suarum periculum animarum. Inhibentes molitoribus etiam quibuscumque sub pœnæ interminatione prædicta, & molendinorum dominis, ne ipsi dictis diebus Dominicis, maximè à vespera diei Sabbati usque ad vesperam diei Dominicæ, molendina molere faciant aut permittant, nonobstante longi temporis abusu, qui non usus censendus aut consuetudo, immò veriùs corruptela, cùm tanto sint graviora peccata, quanto diutiùs infelicem animam detinuerint alligatam; cùm aliqua præscriptio contra præcepta decalogi locum sibi vendicare non possit.

Cap. 3. Item prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes districtè præcipimus & mandamus, quòd omnes Rectores & Capellani, in Ecclesiis parrochialibus servientes, qualibet die Sabbati in sero & in vigiliis festorum IX. Lect. pro vesperis pulsari faciant, & Dominicis & festis prædictis pro Matutinis & Missa & Vesperis subsequentibus illud idem faciant, ac Vesperas, Matutinas & Missam in Ecclesiis suis dictis diebus solemniter ad notam decantent.

Cap. 4. Item cùm aliàs in Provinciali Concilio apud Langes fuerit præcipiendo statutum, ut Abbates & Prio-

res Monachos ſibi ſubditos ſingulares incedere, vel ſolitarios in Prioratibus commorari, de cetero non permittant, prædictum ſtatutum innovantes juxta id præcipimus & mandamus, ne Priores ſibi ſubditos in Prioratibus jacere ſolitarios ſeu dormire permittant, immo Priores & eorum ſocios in eadem camera ſeu in eodem dormitorio jacere diſtrictè compellant : Nam *væ ſoli, cùm ſi ceciderit non habet ſublevantem.* *Eccl.* 4.10.

IDEM GVILLERMVS IN SYNODO Pentecoſtes,

Synodus IV. Guillelmi.

Anno Domini M. CC. XCIII.

QUONIAM multi ſunt Sacerdotes, & pauci ſunt Sacerdotes, multi videlicet ſimplices, rudes, idiotæ & illitterati, & pauci alij, & jure ſuadente ſanctius eſt maximè in ordine Sacerdotum paucos bonos quàm multos malos habere Miniſtros; idcirco notum fieri volumus univerſis, quòd nos non intendimus aliquem, maximè ad Sacerdotii Ordinem, de cetero promovere, niſi fuerit ſaltem in grammaticalibus ſufficienter inſtructus, ut ſciat & intelligat quid dicat per nomen. Hortamur igitur & monemus præcipuè omnes Abbates & ſingulos, qui nobis habent ſuos Monachos ad Ordines præſentare, ut de Magiſtris ſibi provideant, qui ſuos Monachos in Grammaticalibus inſtruant & informent. *Caput* 1.

Quia plerumque aliqui ignoti & alienigenæ Presbyteros ſe dicentes extra partes ſuas ad partes longinquas ſe transferunt, qui in partibus ſuis gravia & enormia perpetrarunt, & qui aliunde Presbyteri non ſunt, vel qui ſunt alicui Religioni adſtricti, vel aliàs inhabiles aut irregulares exiſtunt, juxta antiquorum Patrum ſtatuta ſtatuimus & ordinamus, quòd de cetero alienigenæ & incogniti ad officium Sacerdotale non admittantur vel recipiantur à quocumque, quouſque à nobis mediantibus litteris commendatitiis ſuper promotione eorum, vita & moribus confectis, *Cap.* 2.

fuerint approbati. Injungentes Rectoribus Ecclesiarum in virtute obedientiæ & sub pœna suspensionis, quòd ipsi infra mensem à tempore quo Presbyteros in sua societate vel servitio admiserint, nobis vel deputatis à nobis Clericis nostris, & nulli alii fideliter repræsentent. Pluries etenim, quamquam aliàs fuisset statutum, nostram diœcesim visitantes invenimus inobedientes & negligentes hactenus in præmissis.

Cap. 3. Quamvis aliàs fuerit provida deliberatione statutum, ut nomina eorum qui excommunicationis sententiam per annum sustinuerint & ampliùs, ex parte Rectoris Episcopo vel ejus Officiali traderentur in scriptis; veruntamen ex hoc tepidatam pusillanimitatem Rectorum & negligentiam, qui non curant gregem oberrantem in faucibus dæmonum eripere, Ecclesia Dei fructus paucissimos recollegit, in hoc non veros pastores, sed mercenarios potiùs se docentes. Nam si veri essent pastores, & condignam curam haberent de grege sibi commisso, oves deviantes & periclitantes ad caulas ut unum fieret ovile propriis humeris reportarent. Hinc est quòd nos innovando statuimus, & in virtute obedientiæ injungimus Rectoribus, ut ipsi nomina dictorum excommunicatorum, qui per annum & ampliùs dictam excommunicationem sustinuerint, nobis vel Officiali nostro rescribant, & negotium propriis sumptibus prosequantur, quia magis eorum interest quousque finem debitum sortiatur.

Cap. 4. Jam enim, de quo valde dolendum est, in hæresim dilabuntur plures; cùm quidam ignorantes Rectores & eorum Capellani in animarum suarum periculo, & etiam subditorum, falcem suam in messem alienam ponentes absolutionem peccatorum nobis reservatorum sibi usurpare & contribuere non formidant, quamvis dicta peccata in suis quaternis Synodalibus sint contenta. Nos ad eludendam magis eorum negligentiam vel malitiam, ad hoc in præsenti Synodo

inhibemus Rectoribus & omnibus Capellanis noſtræ Diœceſis, ne de cetero ſine noſtra licentia ſpeciali ad abſolutionem dictorum peccatorum manus tam periculoſè irreverenter extendant.

IDEM GVILLERMVS IN SYNODO ſancti Lucæ, Synodus V. Guillelmi.

Eodem anno.

QUONIAM nonnulli Sacerdotes in ſuæ ſalutis grave diſpendium ſtatutorum Synodalium, à prædeceſſoribus noſtris dudum & à nobis editorum vilipenſores & tranſgreſſores, Dei timore & Prælatorum ſuorum obedientia, reverentia & honore irreverenter poſtpoſitis, quæ dolendo referimus, inveniantur frequenter, non attendentes periculum: quoniam, teſtante ſcriptura, *peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idolatriæ nolle acquieſcere.* Hinc eſt quòd eiſdem injungitur in virtute obedientiæ ſecundùm quod aliàs eis injunctum extitit, quòd quilibet quaternum Synodalem habeat, quem in Synodis deferat, & illum frequenter perlegat, & contenta in eo magis ſolito tamquam filius obedientiæ obſervare ſtudeat diligenter. Injungimus etiam Archipresbyteris & Decanis, ut dum viſitationis officium peragunt, ad inquirendum ſolliciti ſint utrum præmiſſa ſic injuncta debitum ſortiantur effectum; & ſi contrarium invenerint, nobis inſinuare non differant, ut tranſgreſſores hujuſmodi ſeveritate debita compeſcantur. *Caput 1.* *1. Reg. 15. 23.*

Item cùm per prædeceſſorem noſtrum aliàs ſtatutum fuerit, quòd Sacerdotes indumenta ſuperiora clauſa deferant, nullatenus apertis utendo, ſub certa pœna in dicto ſtatuto comminata, ut inter ipſos & alios Clericos immo potiùs laicos aliquis diſtinctus haberetur habitus, & ut ſecundùm ſtatum ſuum honeſtiores inter ceteros apparerent: inveniuntur tamen innumeri tranſgreſſores. Cùm igitur viliſſimus *Cap. 2.*

ſit computandus juxta Canonica Statuta, niſi ſancti-
tate præcellat, qui eſt honore præſtantior; in inceſſu
enim & habitu debet eſſe Sacerdos ornatior, ut mo-
rum gravitate maturitatem mentis oſtendat. Incom-
poſitio ſiquidem corporis, ut ait Auguſtinus, inæ-
Eccl. 19. 27. qualitatem mentis judicat. Et Salomon : *Amictus
corporis & riſus dentium enuntiant de illo.* Statutum ita-
que hujuſmodi ad convincendum eorum malitiam
innovamus, adjicientes, quòd ſi de cetero hujuſmo-
di invenerimus tranſgreſſores, ſibi caveant, quia
eorum indumenta inhoneſta & aperta leproſis largie-
mur, quod fieri volumus etiam per Archidiaconos
& Decanos, & alia pœna eos nihilominus punie-
mus.

Cap. 3. Cùm inter ceteras hujus provinciæ Cathedrales
Eccleſias iſta Beati Mauritij apud populares & diœce-
ſanos in minori reverentia, ut patet ad oculum, ha-
beatur, cùm nullus eorum concurſus appareat ad
eamdem, ſicut habetur in aliis evidentius, quamvis
ibidem requieſcant plurium corpora Beatorum. Ad
devotionem igitur popularium excitandam vobis in-
jungimus, quòd in pœnitentiis injungendis eis ſpe-
cialiter injungatis (voluntate tamen eorum ſecreto
primitus exquiſita & obtenta) quòd ſaltem ſemel in
anno ſingulis annis, vel uſque ad ſeptennium vel
quinquennium, ſecundùm quod videbitis expedire,
limina ipſius Eccleſiæ ſtudeant viſitare in eorum re-
miſſionem peccaminum. Nam multa meritis Bea-
torum, quorum corpora requieſcunt ibidem, Deo
inſpirante, poterunt promereri, & indulgentias ter-
minis anni & quadraginta dierum in feſto Beati Mau-
ritij & per ejus conſequentes octavas.

Cap. 4. Item injungimus Archidiaconis, Decanis & Ar-
chipresbyteris noſtræ Diœceſis, ut ipſi dum viſitabunt
Eccleſias ſibi ſubditas ſi aliqui, quos Capellanos in
eiſdem invenerint deſervientes, litteras noſtras teſti-
moniales non habentes, eos à dictis Eccleſiis amo-
veant, & Eccleſiarum Rectoribus inhibeant, ne ip-

ſos Capellanos in Eccleſiis ſuis celebrare permittant.

IDEM GVILLERMVS IN SYNODO Pentecoſtes, Anno Domini M. CC. XCIV.

Synodus VI. Guillelmi.

QUAMVIS à ſanctis Patribus in pluribus Conciliis ab olim inſtinctu Spiritus ſancti provida fuerit deliberatione ſtatutum, quòd Presbyteri qui diœceſis regunt Eccleſias non à quibuslibet Epiſcopis, ſed à ſuo, nec per juniorem Clericum, ſed per ipſos aut per Diaconum ante Paſchæ ſollemnitatem chriſma petant, cujus quidem chriſmatis confectio juxta Fabiani Papæ decretum * per annos ſingulos eſt agenda, & de anno in annum renovanda, & eſt tradenda fidelibus, quia novum eſt * ſacramentum, & per annos ſingulos innovandum, & vetus in ſanctis Eccleſiis cremandum. Hujus tamen ſtatuti reperiuntur quamplurimi tranſgreſſores in ſuarum periculum animarum, ſanctum chriſma non petentes niſi longè poſt Paſcha; & illud per Laicos vel Clericos conjugatos, vel alias inhoneſtas perſonas requirunt. Ne igitur nobis aliqua negligentia valeat adſcribi, dictum ſtatutum innovando firmiter injungimus Rectoribus & Presbyteris, qui noſtræ Diœceſis præſunt Eccleſiis, ut de cetero ſanctum chriſma ante ſolemnitatem Paſchæ in ſingulis annis per ſeipſos, vel ſaltem per honeſtos Clericos quærant, petant ubi & à quibus loco noſtri quærendum fuerit & petendum: adjicientes quòd ſiquis de cetero hujus contemptor ſtatuti fuerit, pœna X. S. * per ſuum Decanum vel Archipresbyterum puniatur; in quam pœnam contemtores hujus volumus incidere ipſo facto. Caput I.

* Epiſtola 2. ad omnes Orientales Epiſcopos cap. 1.

al. in edit. * Sacramentum eſt per ſingulos annos & jam dicto die innovand.

* f. ſolidos.

Cùm ſecundùm ſacrorum Canonum inſtituta, Epiſcopi eorúmque Miniſtri modis omnibus debeant laborare, ut perniciosſam & à zabulo inventam ſortilegam & magicam artem ex parrochiis ſuis penitus Cap. 2.

eradicent, & si aliquem virum vel mulierem hujusmodi sceleris sectatorem invenerint turpiter dehonestatum, ex suis parrochiis ejiciant & expellant. Et nos prout nostro incumbit officio nostram Diœcesim visitantes accepimus, quòd multæ sortiariæ & divinatrices, multíque sortilegi ac divini sub dissimulatione & conniventia Sacerdotum in plerisque locis Andegavensis diœcesis, auguriis, divinationibus & sortilegiis corda simplicium, diabolo procurante, subvertunt in grave discrimen & periculum animarum; statuendo præcipimus Rectoribus & Sacerdotibus universis, quòd si in suis parrochiis tales sceleratos viros aut mulieres noverint latitare, ad nostram notitiam aut Officialis nostri resupina gloria * deposita, deferre procurent, ut à tali peste sancta Ecclesia emundetur; & hujusmodi velupadarum * personarum horrenda malignitas pœna Canonica compescatur.

* *f.* ignavia.

* *f.* vilipendendarum.

Cap. 3. *Iacob.* 5. 14.

Cùm dicat sanctus Apostolus Jacobus, *Infirmatur quis in vobis, in ducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, dimittentur ei.* In quo ostenditur duplici ex causa sacramentum extremæ unctionis fuisse institutum, videlicet ad peccatorum remissionem, & ad corporalis infirmitatis alleviationem. Unde constat, eum qui hanc unctionem fideliter devotéque percipit & in corpore & in anima alleviari, si tamen expedit ut in utroque allevietur: quòd si fortè corporis valetudinem illi habere non expedit, illam quæ est animi sanitatem in hoc sacramento acquirit. Nósque accepimus referentibus fide dignis, quòd dictum sacramentum sine quo, ut dicunt sancti, periculosum est ex hac vita migrare, ex quadam negligentia omittatur, immo ut veriùs loquamur, ex Sacerdotum rapacitate & avaritia, qui in collatione hujus sacramenti novas & insolitas exactiones inducunt aliunde, petendo linteamina quibus jacens inungitur ægrotans, in aliquibus locis nostræ Diœcesis reperimus fieri per abusum

ſum aut per alias exactiones illicitas, quod eſt turpe dicere, faciendo: quare præcipiendo injungimus Eccleſiarum Rectoribus & Capellanis, ut populum ſibi commiſſum diligenter hortentur, ut infirmi extremi morbi neceſſitate gravati pro Sacerdote mittant: & hoc ſacramentum tantùm eſt in extremo vitæ articulo conferendum, quando infirmus in brevi ex hac vita credatur migraturus. Caveántque dicti Rectores & Capellani, ne in dicti collatione ſacramenti illicitas exactiones faciant, ſi divinam & canonicam voluerint effugere ultionem.

IDEM GVILLERMVS IN SYNODO Pentecoſtes.

Synodus VII. Guillelmi.

Anno Domini M. CC. XCV.

CUM olim per ſedem Apoſtolicam in Generali Concilio ſalubriter fuerit inſtitutum, ut omnes utriuſque ſexus poſtquam ad annos diſcretionis * perveniunt, omnia ſua peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteantur proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam propriis * viribus ſtudeant adimplere, ſuſcipientes reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ ſacramentum, niſi fortè de proprii Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab ejus perceptione duxerint abſtinendum; alioquin & viventes ab ingreſſu Eccleſiæ arceantur, & morientes Chriſtiana careant ſepultura. Fuit in eodem Concilio inſtitutum, ut frequenter hoc ſalutare ſtatutum in Eccleſiis publicaretur, ne quiſquam ignorantiæ cæcitate velamen excuſationis aſſumat. Nóſque noſtram Diœceſim viſitantes prout noſtro incumbit officio, quod dolentes referimus, in eadem invenerimus nonnullos, qui non per annum ſed per plures annos non confitendo, & à perceptione Dominici corporis ſuæ ſalutis immemores damnabiliter abſtinuerunt, & abſtinent, & adhuc abſtinere non formidant in ſuarum periculis animarum. Cupientes eo-

Caput 1. Lateran. IV. Conc. ſub Innoc. 3 anno Chriſti 1215. cap. 21.

al. * pervenerint.

al. Edit. * pro viribus.

Ibidem.

rum maliciis obviare, ac ſaluti eorum providere, ut tenemur, vobis omnibus & ſingulis firmiter injungimus, ut prædictum ſtatutum in Eccleſiis veſtris frequenter publicare curetis, ut contenta in eodem firmiter obſervetis & obſervari faciatis, nulli perſonæ cujuſcumque ſtatus exiſtat ſuper hoc deferentes.

Cap. 2. Sanè ſunt in præſenti civitate & Diœceſi quamplures Rectores Eccleſiarum, & quidam Vicariam tenentes in Eccleſiis civitatis & Diœceſis Andegavenſis, qui in Eccleſiis ſuis parrochialibus non reſident, licet reſidentiam juratam exigant perſonalem, ſed * auctoritate Apoſtolica abſque noſtra licentia ab Eccleſiis ſuis ſe abſentant, perjurium damnabiliter incurrendo: ſed quia ubi majus periculum vertitur, majus eſt conſilium & remedium adhibendum, ipſorum animarum periculis, necnon Eccleſiis providere cupientes, ordinamus, præcipimus & monemus diſtrictè ſub virtute juramenti ab eiſdem præſtiti, quòd omnes prædicti & ſinguli ad Eccleſias vel Vicarias ſuas accedant, moram vel reſidentiam facturi ibidem continuam, ut cura exigit, alioquin ipſos tamquam perjuros dictis Eccleſiis & Vicariis privabimus, facientes per Patronos ad eas promoveri perſonas, quæ velint cùm potuerint ibidem perſonaliter reſidere. Perjuri enim juxta civiles & Eccleſiaſticas ſanctiones privandi ſunt beneficiis habitis & habendis.

* l. ſed ſine auctoritate Apoſtolica & abſque.

Cap. 3. Volentes Sacerdotum utilitatibus providere, ſtatuimus ut Rectores Eccleſiarum parrochialium civitatis & Diœceſis Andegavenſis, Capellani & Clerici judicum Eccleſiaſticorum mandata, quæ exequuntur fideliter faciant, nec citationem aliquam vel memoriale faciant, nec aliquos denuntient excommunicatos nominatim, niſi priùs à judicibus ſuper hoc recepto mandato. Præterea quòd alias litteras non ſigillent gratia, odio vel favore, vel pretio, quouſque contenta in ipſis litteris fuerint executa: tranſgreſſores graviter puniemus. Adjicientes ſtatuendo quòd nullus de cetero aliquam peremptoriam cum defectu

sibi directam exequatur nec sigillet, nisi priùs simplicem circa contentos in dicta peremptoria viderit & reddiderit sigillatam, nisi in dicta peremptoria habeatur, quòd simplex citatio facta fuerit per judicem, aut ejus apparitorem : contra hujusmodi contumaces in loco in quo citare potest sine litteris, prout in aliis statutis continetur, aut per aliam personam cui judex duxerit mandatum citationis simplicis executioni mandandum, de qua priùs in peremptoria specialis mentio habeatur.

IDEM GVILLERMVS IN SYNODO Pentecostes.

Synodus VIII. Guillelmi.

Anno Domini M. CC. XCVIII.

PRÆCIPIMUS universis Rectoribus nostræ Diœcesis Andegavensis & Capellanis Ecclesias regentibus, ut cùm ad nos de suis parrochiis incestuosos destinaverint, nobis insinuare studeant, utrum crimen hujusmodi in eorum parrochiis notum seu manifestum existat, ut tunc manifesta crimina hujusmodi manifestè puniantur, prout sacræ præcipiunt sanctiones. *Caput* 1.

Sanè cùm nuper in Concilio provinciali * apud Salmurium celebrato provida deliberatione fuerit inhibitum, ne Abbates, Monachi, Priores, & alii Religiosi, qui secundùm suorum instituta Majorum cappas clausas de panno nigro deferre tenentur, houçias * & clochas deferre præsumerent, quod clam * non absque gravi scandalo & regularis disciplinæ & divinæ Majestatis offensa faciebant, statutúmque fuit in eodem Concilio * & præceptum, quòd contrarium facientes per locorum Ordinarios gravi animadversione punirentur : & nos post publicationem hujus Concilii in nostra Synodo factam quamplures transgressores Concilij hujus invenerimus, monemus in præsenti Synodo una monitione pro omnibus, omnes & singulos Abbates & Priores, & alios Religiosos maximè

Cap. 2.
* *Secundo, an.* 1294. *can.* 1.
Edit. * hucias.
* *hæc duo verba omittuntur in editis.*
* *Eodem canone.*

* adde definitioni. regulares noſtræ Diœceſis, ut ipſi Concilij hujus * cum effectu parentes, de cetero houcias, vel clochas nullatenus deferre præſumant, alioquin in contrarium facientes eorum exigente contumacia & inobedientia, ſuſpenſionis ſententiam ex tunc ut ex nunc promulgamus.

Cap. 3. Cùm ex frequenti & aſſidua plurimorum conqueſtione noſtris auribus totiens inculcata accepimus, quòd nonnulli judices ordinarii Eccleſiaſtici noſtræ Andegavenſis Diœceſis commodis temporalibus inhiantes, per territoria ſua curſores & quaſi exploratores tranſmittunt aut ire faciunt & permittunt, qui communiter litteras ſuper contractibus aliquotiens illicitis chartas & teſtamenta tranſeunt, ad quorum relationem prædicti judices ſeu ſigillatores eorum prædictas litteras contractas, chartas & teſtamenta indifferenter & adeò curialiter & benignè ſigillent, ac ſi in eorum preſentia factæ & ab ipſiſmet paſſatæ fuiſſent, contra tenorem Concilij * dudum apud Salmurium celebrati, in vituperium juriſdictionis & clavium ſanctæ matris Eccleſiæ & ſcandalum plurimorum: quòdque etiam plures ipſorum judicum in ſuis curiis confovere dicuntur procuratores, & ut loquamur veriùs gentium comeſtores, qui per villas & burgos mercata, tabernas & vicos diſcurrentes quærunt quem devorent, homines ad litigandum excitant, lites redimunt cum hominibus placitare nolentibus in curiis eorum, de quota litis paciſcuntur, & pro expenſis habentes * cauſas ducendas aſſumunt, & homines citari ad ipſorum Judicum loca remotiora procurant, & ſic homines, maximè ſimplices & pauperes gravibus damnis & injuriis afficiunt & affligunt, excoriant & expoliant bonis ſuis, & redactionibus tales miſeros procurantes involvi, eoſdem à gremio ſanctæ Matris Eccleſiæ & communione fidelium ut frequentiùs ſine juſta cauſa eliminari faciunt & excludi.

* Secundi, can. 4.

f. * habendis.

Nos talium malignorum fraudibus, exquiſitis ma-

liciis & calumniosis machinationibus obviare, ac subditorum nostrorum tranquillitati, nostræ sollicitæ provisionis remedio, prout nobis ministratur desuper, providere volentes, venerabilibus & discretis viris Normanno Andegavensi, Galfrido Transligeriensi Archidiacono, ac Rogerio de sancto Quintino gerenti vices viri venerabilis Roberti Archidiaconi Transmeduanensis, necnon Galfrido de Burgolio, Hugoni de Salmuro, Johanni de Fixa & Mauritio Andegavensi Archipresbyteris, & Nicolao dicto Porchier, & Simoni Gras & Moul, gerentibus vices Stephani Archipresbyteri de Ludio, ac Matthæo de Credonio, Jacobo de Candeio, Petro de Inter Sertam & Meduanam, & Oliverio de Camilliaco Decanis, & Andræa Galteri gerenti vices Decani de Maugia; ob hoc & causas alias vocatis, & præsentibus coram nobis Andegavis, in camera nostra die Veneris in crastino Synodi Pentecostes, & ipsorum super hoc accedente consensu duximus statuendum:

Quòd sigillatores prædictorum Archidiaconorum, Archipresbyterorum & Decanorum de cetero aliquas litteras super quibusvis contractibus confectas, chartas sive testamenta nullatenus sigillare præsumant, nisi prædicti Archidiaconi, Archipresbyteri & Decani, eorum officiarii seu sigillatores prædicti ipsas passaverint, vel nisi esset aliqua specialis littera, ad quam specialiter transeundam inter ceteras partes alicui notariorum suorum specialiter committant vices suas. Quòdque etiam præfati Archidiaconi, Archipresbyteri & Decani, eorum officiarii seu sigillatores prædicti per modum citationis seu diei assignationis ad locum remotiorem nullum subditorum suorum trahant, seu trahi faciant, aut permittant, nisi de partium processerit voluntate. Necnon etiam quòd notarios & procuratores eorum curias frequentantes jurare faciant, quòd homines ad litigandum nullatenus excitabunt, lites non rediment, de quota litis nec paciscantur cum aliquo, nec pro expensis habendis

caufas ducendas aſſumant : quæ præmiſſa in curia noſtra præcipimus obſervari.

Synodus IX. Guillelmi.

IDEM GVILLERMVS IN SYNODO *ſancti Lucæ*,

Eodem anno.

Caput I.

CUM nos ſuper ad reformationem curiarum Ecclesiaſticarum noſtræ Diœceſis, & ad quorumdam filiorum iniquitatis dictas curias frequentantium, ſubditos noſtros ſuis perverſis inclinationibus vexantium & infeſtantium, calumnias reprimendum, cum Archidiaconis, Archipresbyteris & Decanis præſentibus, & abſentium Vicariis, habito ſalubri & diligenti contractu, & ipſorum conſenſu ſuper hoc accedente ad utilitatem Reipublicæ inter alia duximus ſtatuendum, quòd ſigillatores prædictorum Archipresbyterorum, Archidiaconorum & Decanorum de cetero aliquas litteras ſuper quibuſvis contractibus confectas, chartas ſive teſtamenta nullatenus præſumant ſigillare, niſi prædicti Archidiaconi, Archipresbyteri & Decani eorum officiarii ſeu ſigillatores prædicti ipſas paſſarent, aut eſſet aliqua ſpecialis littera, ad quam ſpecialiter tranſeundam inter certas perſonas alicui notariorum ſuorum ſpecialiter comitterent vices ſuas, ac nonnulli Archidiaconi, Archipresbyteri & Decanorum ipſorum, ordinatione non obſtante prædicta, pluribus perſonis, prout nos experientia docuit, extra loca in quibus ſua conſueverunt tenere placita, vices ſuas committunt, ac ad ipſorum relatorum litteras per ipſos paſſatas, ſuper quibuslibet contractibus confectas ſigillent communiter, ſicut priùs, & ac ſi ab ipſiſmet Archidiaconis, Archipresbyteris & Decanis, officiariis vel ſigillatoribus eorum paſſatæ fuiſſent, in contemptum & eluſionem ordinationis prædictæ, & provincialis Concilii dudum apud Salmurium celebrati, quo cavetur proceſſus & litteras per tales curſores & exploratores paſſatas nullius

fore momenti. Decernentes monemus omnes & singulos Archidiaconos, & Archipresbyteros & Decanos prædictos, ac officiarios & sigillatores eorum una monitione pro omnibus, quòd statutum hujus studeant inviolabiliter observare. In contrarium verò facientes, ac eos qui commissiones tales à tempore notitiæ monitionis prædictæ recipere & illis uti præsumpserint, suspensionis sententiam promulgamus, præter pœnam in dicto Concilio Salmurensi statutam.

Cùm Abbates de jure ad Synodum venire teneantur, nisi certum & canonicum habeant impedimentum, quod in suis litteris in Synodo Episcopo dirigendis tenentur exprimere, & multotiens aliqui se malè excusant vera impedimenta non habentes: statuimus quòd quicumque Abbas se excusaverit in Synodo, in litteris suæ excusationis certum & sufficiens prætendat impedimentum, & infra quindecim dies à die Synodi Episcopo si in partibus fuerit, & Officiali ipsius si Episcopum abesse contigerit, præsentet; nisi ex certa causa & notoria excusante constet agere in remotis, vel infirmitate notoria detineri, impedimento in sua excusatione contento fidem facturus præstito juramento. Si quis verò infra dictas quindecim dies pro prædictis adimplendis venire distulerit, ipsum quem ex tunc suspendimus decernimus manere suspensum. *Cap. 2.*

Familiaritas nimia parit contemptum, quod manifestè hujus temporis experimenta declarant, cùm sicut fide oculata comperimus, Rectores Ecclesiarum nostræ Diœcesis suæ malitiæ & veniæ facilitate confisi ad Synodos nostras venire contemnant. Hinc est quòd omnes & singulos Ecclesiarum Rectores nostræ Diœcesis una monitione pro omnibus admonemus, quòd ipsi ad nostras Synodos veniant ut tenentur, nisi justo, certo & canonico impedimento fuerint impediti, super quo nobis fidem faciant infra mensem à die Synodi nuntiando. Si quis verò præmissis parere con- *Cap. 3.*

tempserit, quinque solidos nomine pœnæ nobis solvere teneatur. Sanè quia de facili de absentium nobis omnibus nominibus constare non possit, præcipimus Archipresbyteris & Decanis, quòd quilibet super absentibus sui Archipresbyteratus vel Decanatus nos ad * Officialem nostrum studeant reddere certiores.

f. * aut.


Synodus X. Guillelmi.

IDEM GVILLERMVS IN SYNODO *Pentecostes*,

Anno Domini M. CC. XCIX.

supple * ritus *aut* statuta.

SICUT grave jugum & insolitum sine justa causa imponi non debet noviter gregi Dominico ne ex inculcatione à se abjiciat antiquorum *, sic nec ullus debet sanctorum Patrum traditiones antiquas introductas nisi causa ingerente justissima præterire, nec præsumptione damnabili aliqualiter immutare. Cùm ergo olim Majorum nostrorum provisione salubri ad avertendum iram indignationis Dei, quæ in populo ob ejus scelera justo Dei judicio sæviebat, & propter alias causas varias processiones faciendas fore, & etiam certis temporibus, videlicet die festi sancti Marci Evangelistæ, in Rogationibus ac singulis diebus Dominicis fuerit institutum, statutúmque & ordinatum fuerit postmodum in provinciali Concilio Turonensi, Ecclesiarum Rectores per locorum Ordinarios fore cogendos ad processiones hujusmodi faciendas; Nósque nostram Diœcesim visitantes plures in hoc negligentes reperimus & remissos; omnibus & singulis Ecclesiarum Rectoribus nostræ Diœcesis districtè sub pœna suspensionis præcipimus, quòd ipsi processiones hujusmodi cum devotione debita studeant facere temporibus prælibatis, nisi temporis tempestate vel alia causa necessaria fuerint impediti.



IDEM

IDEM GVILLERMVS IN SYNODO Pentecostes,

Synodus XI. Guillelmi.

Anno Domini M. CCC.

Caput 1.

EX relatione plurium fide dignorum, & etiam factorum experientia didicimus, quòd nonnulli, maximè Nobiles, ausu temerario in nostra Andegavensi Diœcesi Capellas & Oratoria nostro consensu minimè requisito, nec obtento, construunt & construi faciunt; ac etiam hactenus construxerunt contra civiles & canonicas sanctiones, quibus cavetur expressè nequis Oratorij domum irrequisito loci Episcopo fabricet vel ædificare præsumat. Quæ præmissa in contemptum nostri Episcopatus Andegavensis & Ecclesiarum parrochialium, in quibus dictæ Capellæ vel Oratoria construuntur, gravamen non modicum non dubium redundare. Nos verò tam temerariis abusibus & damnabilibus præsumptionibus occurrere satagentes, maximè ne propter nostram negligentiam, quod absit, talia in consuetudinem deducantur, prædictas Capellas & Oratoria taliter fabricata suspendimus, & inhibemus in eis per quemcumque divina Officia celebrari; omnibus & singulis Rectoribus Ecclesiarum & Capellanis Ecclesias regentibus nostræ civitatis & Diœcesis districtiùs injungentes, quòd ipsi prædictas Capellas & Oratoria sic constructa suspensa à nobis in Ecclesiis suis publicè nuntient, ne quis ignorantiæ pretextu se valeat excusare. Sanè quia fortè aliqua Oratoriorum prædictorum minimè sunt perfecta, prædictis Rectoribus & Capellanis præcipimus, quòd ipsi inhibeant ex parte nostra sub pœna excommunicationis illis qui prædicta Oratoria sic ædificare inchoarunt, ne ad consummationem prædicti operis procedant modo quolibet sine nostra licentia speciali: intimantes eisdem quòd si contra inhibitionem nostram processerint quoquomodo, nos ad demolitionem ipsius operis & aliàs procedemus

ſeu procedere faciemus, prout juſtitia ſuadebit.

Cap. 2. Cùm ad Epiſcopos & alios Superiores Prælatos ſolùm beneficiorum unio de jure pertinere noſcatur, ac nonnulli Abbates noſtræ civitatis & Diœceſis temeritate propria poteſtatem noſtram uſurpare volentes, Prioratus ſeu beneficia, qui & quæ Religioſis vel ſcholaribus conferri conſueverant ab antiquo, aliquotiens Cellæ ſuæ interdum Prioratibus ſuis & quibuſcumque adminiſtrationibus ſeu officiis ſui Monaſterij, noſtro conſenſu minimè requiſito, adjungere præſumpſerint & unire: Nos tales uniones juris auctoritate & noſtra decernimus irritas & inanes. Inhibentes Abbatibus noſtrarum civitatis & Diœceſis ſub pœna excommunicationis, ne talia de cetero attentare præſumant.

Cap. 3. Quia nonnulli Abbatum noſtræ Diœceſis, qui ad Synodum venire tenentur legitimo impedimento ceſſante, multotiens impedimenta non habentes canonica, excuſationes frivolas prætendebant; & olim nos meminerimus ſtatuiſſe, quòd Abbas quilibet qui ſe de veniendo ad Synodum excuſaret, certum & ſufficiens prætenderet in litteris excuſationis ipſius impedimentum, & ſuper eo coram nobis, ſi in partibus eſſemus, vel coram Officiali noſtro, ſi contingeret nos abeſſe, infra quindecim dies à die Synodi, niſi ex certa cauſa & notoria excuſante conſtaret agere in remotis vel infirmitate notoria detineri, fidem faceret proprio juramento, ſuſpenſionis ſententia in eos qui de præmiſſis deficerent promulgata. Sanè ſubditorum noſtrorum, quorum ſalutem appetimus, periculum & illaqueationem evitare pro viribus affectantes, prædictam ſuſpenſionis ſententiam revocamus ad præſens, diſtrictiùs præcipientes & injungentes eiſdem in virtute juramenti & obedientiæ quibus ſunt nobis adſtricti, quòd ipſi ad Synodos veniant, ut tenentur, niſi certo & ſufficienti impedimento in litteris excuſationis ſuæ exprimendo fuerint impediti, ſuper quo infra ſcriptam Synodum fidem faciant competenter.

IDEM GVILLERMVS IN SYNODO sancti Lucæ,

Synodus XII. Guillelmi.

Eodem anno.

CUM nos nostram Diœcesim visitantes invenerimus grave dictu, quod filij, fratres, & alij consanguinei, ac heredes decedentium testatorum quamplurium beneficiorum immemores, quæ ab ipsis decedentibus licet immeriti receperunt, non solùm intuitu naturali, immo zelo Christi & pietatis oblito; & etiam executores dictorum decedentium testamenta ab ipsis decedentibus condita pro animarum suarum liberatione, remedio & salute non solùm executioni negligunt demandare, immò & in archis suis aut alibi frequenter abscondunt : præcipuè Prælati, ad quos ex injuncto eisdem officio spectat facere exequi ultimas decedentium voluntates contentas in testamentis eisdem, per compulsionem ipsorum filiorum heredum & executorum faciant executioni debitæ demandari, pro qua frustratur intentio testatoris : unde prout tenemur animarum cupientes providere saluti, omnibus & singulis Ecclesiarum Rectoribus nostræ Diœcesis & Capellanis servientibus in eisdem, sub pœna suspensionis & excommunicationis injungentes præcipimus & mandamus, quòd infra tres menses à morte cujuslibet testatoris testamentum & nomina executorum, quos elegerit, & heredum, commissariis nostris à nobis ad hoc specialiter deputatis indicare & notificare procurent, ut per ipsos gerentes vices nostras, illi ad quos spectat servare juris formam, compellantur ad ultimas voluntates ipsorum decedentium exequendas. Injungimus insuper eisdem Rectoribus & Capellanis, quòd ipsi quilibet in sua parrochia testamenta retroactis temporibus condita executioni non mandata diligenter inquirant, & ea dictis vices nostras gerentibus indicent & notificent, ut superiùs continetur.

Synodus XIII. Guillelmi.

IDEM GVILLERMVS IN SYNODO Pentecostes,

Anno Domini M. CCC. II.

OLIM plebis nostræ inolescente clamore laborioso ad reformationem curiarum nostrarum civitatis & Diœcesis Andegavensis, de Archidiaconorum, Archipresbyterorum & Decanorum præsentium, & Vicariorum absentium voluntate, circa procuratores & notarios dictas curias frequentantes, quorum nonnulli simplices homines suis perversis & exquisitis malitiis damnis afficiunt gravibus, & vexationibus variis redimebant: antè meminimus statuisse, quòd prædicti Archidiaconi, Archipresbyteri & Decani notarios & procuratores eorum curias frequentantes jurare facerent, quòd numquam homines ad litigandum excitarent, lites non redimerent, non paciscerentur de quota litis cum aliquo, nec causas ducendas assumerent pro expensis: quod in curia nostra præcipimus observari.

Sanè quia nostram Diœcesim visitantes plures invenerimus hujusmodi Ordinationis transgressores, & nonnullos qui pauperes ad instantiam diversorum procuratorum non habentes mandatum, & contra ipsam prohibitionem expressam citari faciunt & vexari adeò, quòd jam vergit in grave scandalum laicorum prædicantium super tecta, quòd Ecclesia debet subvenire oppressis, tales excoriatores in suis iniquitatibus confovet & defendit. Iterata vice Archidiaconis, Archipresbyteris & Decanis memoratis districtè præcipimus, quòd in curiis suis renovari faciant hujusmodi juramentum, & eosdem procuratores jurare faciant, quòd nullum faciant citari ad instantiam alienam sine speciali mandato: quod similiter Officiali nostro mandamus, universis Ecclesiarum Rectoribus nostrarum civitatis & diœcesis firmiter injungentes, quòd ipsi in Ecclesiis suis moneant per tres dies Dominicos

publicè notarios & procuratores prædictarum curiarum ipsorum Archidiaconorum, Archipresbyterorum & Decanorum; & moneant etiam curias frequentantes, quòd homines ad litigandum non excitent, lites non redimant, nec de quota litis cum aliquo paciscantur, nec pro expensis lucrandis causas ducendas assumant, nec homines citari ad instantiam faciant alienam sine speciali mandato. In procuratores verò & notarios contrarium facientes post monitionem prædictam excommunicationis sententiam promulgamus.

IDEM GVILLERMVS IN SYNODO sancti Lucæ,

Synodus XIV. Guillelmi.

Anno Domini M. CCC. III.

Caput 1.

CUM nonnulli Abbates nostræ Diœcesis ea quæ Episcopalis potestatis sunt sibi usurpare propria temeritate volentes, Prioratus quamplures suis Mensis propriis, & aliis officiis & administrationibus Abbatiarum suarum auctoritate propria conjungere præsumpserint & unire, nullis Monachis, cúmque interdum uno solo, contra canonicas sanctiones dimissis in Prioratibus sic unitis; ex quo sequitur quòd perit divinum Officium, defraudantur debitis suffragiis fundatores, nulla in eis hospitalitas exercetur, corruunt ædificia, res, possessiones & jura dictorum Prioratuum depereunt, & ab aliis inuaduntur. Præcipimus omnibus & singulis Abbatibus nostræ Diœcesis in virtute obedientiæ & sub pœna suspensionis, quòd ipsi omnes tales uniones, quas tenore præsentis statuti cassamus & irritamus, revocent, quatinus de facto processerunt, & ad Prioratus prædictos infra festum Purificationis Beatæ MARIÆ Virginis Priores cum debito numero sociorum ibi continuè moraturos mittant, quorum Priorum industriâ Prioratus ipsi in spiritualibus & temporalibus gubernentur & onera solita compleantur.

Cap. 2. Item facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi, quod in plerisque Religiosis, Monachis & Canonicis Regularibus nostræ Diœcesis comprobatur, qui extra Monasteria in Prioratibus commorantes gestu & habitu inhonestæ conversationis, & vitæ impudicitia corrumpunt proximos, statum deturpant Ordinis, & populum scandalizant, nec per Superiores suos de talibus pœna debita puniuntur; hinc est quòd nos universis & singulis Abbatibus nostrarum civitatis & Diœcesis præcipimus in virtute obedientiæ, quòd quotienscumque tales flagitiosos Religiosos compererint, secundùm qualitatem excessuum & Ordinis disciplinam sine remissione aliqua puniant, ita quòd pœna docente cognoscant quantum excesserint, aliisque metu pœnæ ipsorum à talibus arceantur.

Cap. 3. Usus quidam in nostra Diœcesi, ut accepimus, inolevit, quòd singuli Sacerdotes Missam in exequiis decedentium celebrantes quatuordecim denarios exigunt ab heredibus vel executoribus defunctorum. Unde nonnulli Capellani, & etiam Ecclesiarum Rectores nostræ Diœcesis intelligentes istum usum, si usus dici debeat nimis largè, dimissis sine custode Ecclesiis non sine gravi periculo animarum, sicut corui vel vultures de longè cadavera sentientes, de quinque vel sex leucis catervatim * affluunt ad funera mortuorum, & quandoque cum gravi scandalo populi quæstus prædicti gratiâ verbis contendunt quis celebrabit, & interdum unus alteri excutit ornamenta. Nos autem præsentis auctoritate statuti usum ipsum declarantes tantummodò debere intelligi, quotiens Presbyteri in talibus exequiis celebrantes ad hoc ex parte heredum vel executorum invitati fuerint vel rogati. At periculis animarum cupiditatíque effrenatæ talium Sacerdotum, qui se contra suæ dignitatis honorem venales exponunt, obviare volentes, prohibemus omnibus & singulis Ecclesiarum Rectoribus & Capellanis nostræ Diœcesis, ne de cetero Ecclesias, quarum custodes existunt, dimittant sine Presbytero,

f. * quantociùs.

talium exequiarum obtentu, nec pro Missis celebratis ab eis in hujusmodi funeribus præter voluntatem & requisitionem expressam defunctorum, aut heredum & executorum ipsorum, aliquid petant, exigant, vel recipiant ab invitis.

IDEM GVILLERMVS IN SYNODO sancti Lucæ,

Synodus XV. Guillelmi.

Anno Domini M. CCC. IV.

LICET pœnæ non sint regulariter ampliandæ, sed potiùs molliendæ, tamen ne facilitas veniæ tribuat incentiuum delinquendi multis transgressionibus, opus est exemplo. Cùm igitur tam nos, quàm bonæ memoriæ Nicolaus prædecessor noster, attendentes quòd desponsationes clandestinæ prohibitæ sint anima * olim statuerimus inhibendo, ne benedictiones nuptiarum ex tunc celebrentur in Capellis, Prioratibus vel aliis locis solitariis quibuscumque, etiam si banna seu indicta facta essent in Ecclesiis parrochialibus super talibus matrimoniis faciendis per contrahentium Presbyteros, ut moris est, prædictis quo * ad faciendum ex tunc tam per nos quàm per prædictum prædecessorem nostrum suppositis Ecclesiastico interdicto; ac nonnulli tam sæculares quàm Religiosi, statuto & inhibitione hujus nonobstante, in pluribus partibus nostræ Diœcesis, benedictiones nuptiarum clandestinæ bannis nondum factis, & quandoque impedimentis propositis, & super eis lite pendente, in talibus Capellis, Prioratibus, vel aliis locis solitariis præsumpserint, & adhuc qualibet die dum casus occurrit celebrare præsumant adeò indistinctè, quòd hoc hodie in assuetudinem transiit, vel veriùs in abusum.

Caput I.

* f. atque.

* f. qui id facerent.

Nos volentes tantæ præsumptioni & temeritati damnabili obviare, considerantes quòd illi quos metus pœnæ à malo non cohibet, alterius pœnæ sunt adjectione plectendi, omnes & singulos Sacerdotes

ſeculares & religioſos qui poſt publicationem præſentis ſtatuti, quam fieri præcipimus in ſingulis Abbatiis & Eccleſiis parrochialibus noſtrarum civitatis & Diœceſis per Abbates & Rectores ipſarum per dies Dominicos vel aliàs feſtivos proximos venturos, tales benedictiones clandeſtinè in quocumque loco præſumpſerint celebrare, ſuſpenſionis, & illos ac illas qui ſe taliter fecerint benedici, & omnes talibus benedictionibus aſſiſtentes, & eos qui fuerint in conſilio & auxilio faciendi eaſdem, excommunicationis vinculo innodamus, præter pœnam contra celebrantes in locis interdictis à jure ſtatutam.

Cap. 2. Cùm ſalus Fidelium ex obſervatione dependeat
Math. 19. 17. mandatorum juxta ſententiam Salvatoris : *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*: cavere debent ſummopere Clerici tam ſæculares quàm religioſi, quorum exemplo illuminari debet populus laïcalis, & maximè Clerici Prælati quicumque, quibus cura imminet animarum, ut in obſervatione ipſorum plebes ſibi commiſſas verbo pariter inſtruant & exemplo. Sed proh dolor ! plures ſunt hodie, qui licet ad curam poſiti aliorum in ſe ipſis debent oſtendere qualiter alios in Domo Dei oporteat converſari, in verbo inſtruunt, ſed pernicioſè exemplo laicos inficiunt & corrumpunt, non attendentes quòd ſi peccaverint, totus populus committitur ad peccandum ; & Prælati tot tormentis digni ſunt, quot ad ſubditos perditionis exempla tranſmittunt. Et hinc eſt quòd licet bonæ memoriæ Nicolaus prædeceſſor noſter olim univerſis & ſingulis Abbatibus, Prioribus, Monachis, Rectoribus, Eccleſiarum Presbyteris & Capellanis, & aliis perſonis Eccleſiaſticis quibuſcumque civitatis & Diœceſis Andegavenſis ſtatuendo diſtrictiùs præcepiſſet in virtute obedientiæ & ſub pœna ſuſpenſionis, ne in diebus Dominicis Majeſtati Altiſſimæ dedicatis, ſervilibus inſiſterent operationibus & terrenis, ſed divinis officiis inſudantes laicos & populos ſibi commiſſos inducerent efficaciter verbo & exemplo, ut dictis

dictis diebus Dominicis à terrenis operationibus abstinerent : plures tamen Abbates & Religiosi alii, & personæ Ecclesiasticæ sæculares hujusmodi præceptionis salubris ac divini mandati temerarij transgressores, sicut audivimus, diebus Dominicis terrenis & servilibus operationibus insistentes publicè res suas, vites & blada, pelles & ligna, & res alias eorumdem nullo amissionis periculo verisimiliter existentes cum bobus, quadrupedibus & quadrigis portari faciunt publicè & deferri, & alias terrenas operationes, quæ à divino servitio avocant, faciunt extorqueri in suarum periculum animarum, laicis suo pernicioso exemplo fomentum perditionis & erroris damnabiliter exhibentes. Quapropter monemus omnes & singulos Abbates & Religiosos quoscumque, & personas Ecclesiasticas & sæculares nostræ Diœcesis & civitatis, tenore præsentis statuti eisdem firmiter injungentes, diebus Dominicis à talibus, excepto necessitatis articulo, videlicet ubi de amissione fructuum vel vehendorum verisimiliter timeretur, nec posset aliud faciliter remedium adhiberi, omnino abstineant, & suos servientes & ministros faciant abstinere. Eos verò qui contra præmissa fecerint, suspensionis sententiam auctoritate præsentis statuti Synodi incurrere volumus ipso facto.

Lateranensis Generalis, & Lengesij * Provincialis Conciliorum, quibus salubriter inhibetur Monachos solitarios *, vestigiis inhœrentes, Abbates nostrarum civitatis & Diœcesis in generali recolimus monuisse, quòd ipsi infra certos terminos jam elapsos ad hoc præfixos eisdem ad Prioratus eorum mitterent Priores cum debito numero sociorum Domino famulantes ibidem, prout occultata * fide comperimus visitantes, nonnulli ipsorum, quod grave gerimus & molestum, dictorum Conciliorum temerarii transgressores contumaciter nostris parere monitionibus contempserint, Monachos solitarios in aliquibus suorum Prioratuum sine Prioribus, & Priores alicubi sine sociis dimitten-

Cap. 3.
* *tertij circiter an.* 1278. *can. 2.*
* *supple* in Prioratibus manere.
l. * oculata

tes. Ea propter omnes & singulos Abbates nostrarum civitatis & Diœcesis prædictarum tenore præsentis statuti iterum generaliter monemus, eisdem præcipiendo mandantes, quòd ad Prioratus suos mittant infra festum instans Nativitatis Domini debitum numerum sociorum, nullúmque deinceps Monachorum suorum permittant in aliquo Prioratuum suorum solitarium commorari. In Monachos verò taliter solitarios commorantes elapso dicto tempore suspensionis sententiam promulgamus, & Capellas personales eorum, ubi tales solitarios contigerit commorari, quamdiu ibi Monachi solitarii morabuntur Ecclesiastico supponimus interdicto.

Synodus XIV. Guillelmi.

IDEM GVILLELMVS IN SYNODO sancti Lucæ,

Anno Domini M. CCC. XII.

Caput 1. 2. Pet. 1. 21.

QUIA *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines*, qui ordinantes Ecclesiam Dei bono odore usque ad consummationem vitæ in primitivis temporibus in sacrosanctis Conciliis convenientes, ad instructionem fidei Orthodoxæ & stabilimentum Ecclesiæ sacros Canones ediderunt, inter quæ quatuor principalia, videlicet Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum & Calcedonense, quasi quatuor flumina de fonte paradisi voluptatis emanantia, hortum novellæ nascentis Ecclesiæ militantis prædicatione, paritérque sanguinis effusione sanctorum Apostolorum consitum & plantatum, fluentis doctrinarum uberrimis irrigantia prodierunt. De quibus dicit Beatus Gregorius : Sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere & venerari me fateor. Et sequitur: hæc tota devotione complector, integerrima approbatione custodio, quia in hoc velut in quadrato lapide sanctæ fidei structura consurgit, atque cujuslibet vitæ & actionis norma consistit. Dicta quoque quatuor Concilia præcipit Serenissimus

Registri epistolar. lib. 1. epist. 24. ad Iohan. Episc. Constantinop. &c.

Imperator Justinianus tamquam quatuor Evangelia firmiter observari. Demum verò post prædicta quatuor principalia Concilia, alia Concilia generalia ac decreta summorum Pontificum ad reformationem Ecclesiæ, & informationem vitæ humanæ, maximè Clericalis, pro varietate temporum & factorum, seu rerum exigentia, instinctu Spiritus sancti divinitus eadem successerunt. Quæ quidem dicta sanctorum Patrum & statuta Conciliorum, maximè principalium quatuor, decretáque summorum Pontificum si ad integrum servarentur, ad sanctæ Matris Ecclesiæ & Fidei orthodoxæ stabilimentum, instructionem morum, repressionem criminum, propagationem virtutum procul dubio sufficere viderentur, nec opus esset onerosa novorum multitudine statutorum humeros premere subditorum, cùm multitudo onerosa nihil habere dignoscatur honesti.

Verùm quia multa de prædictis statutis Conciliorum & Decretis summorum Pontificum tam propter negligentiam Prælatorum, quàm propter abusum subditorum & corruptionem in dissuetudinem abierunt, & aliàs nullo modo servantur, sed petulantiâ & insolentiâ animorum indomitorum, & maximè Clericorum, temere corrumpuntur & damnabiliter violantur; idcirco eadem sancta statuta * remotare, renovare & in lucem reducere esset perutile toti mundo, & panes similageneos sanctorum antiquorum Patrum mensis apponere filiorum potiùs quàm siliquas porcorum, & panes furfureos modernorum. Unde ex statutis dictorum Conciliorum & Decretis summorum Pontificum ad ædificationem nostram & plebium subditarum hîc aliqua inferiùs annectuntur, quæ volumus & præcipimus in nostra Diœcesi à nostris subditis observari, saluo moderamine à nobis, si & quando visum fuerit, adhibendo.

f. * revocare.

Ex Concilio Maguntino: Inhibendum est ut nullus Sacerdos feminas, dequibus suspicio potest esse, retineat, sed nec illas, quas Canones concedunt,

Aliquid hujusmodi reperitur in Conc. Moguntiacensi can. 10. ac est Conc. Namnetensis cap. 3.

matrem, amitam, sororémque, quia instigante diabolo etiam in illis scelus perpetratum esse reperitur, aut etiam in pedissequis earum, quod intelligimus ubi dictæ mulieres sunt suspectæ. Item ex dicto Eugenij Papæ : Si quis Sacerdotum, Archipresbyter, Diaconus, Subdiaconus, de quacumque femina crimine fornicationis suspectus, post primam, secundam & tertiam monitionem inveniatur fabulari vel conversari aliquo modo cum ea, excommunicationi subdatur, femina verò canonicè judicetur. Et istas monitiones fieri præcipimus per singulos Archidiaconos, Archipresbyteros & Decanos in Archidiaconatibus, Archipresbyteratibus, & Decanatibus eorumdem. Item in Gangrensi * Concilio legimus : Presbyter si fornicationem commiserit * quamquam secundùm Canones Apostolorum deponi debeat, cùm * juxta auctoritatem Beati Silvestri, si in suo vitio non perduraverit, sed sponte confessus adjecerit ut resurgat, decem annis in hunc modum pœniteat ; tribus quidem mensibus à ceteris remotus pane & aqua à vespera in vesperam utatur ; diebus autem Dominicis, & præcipuis festis modico vino & pisciculis atque leguminibus recreetur, sine carne & sanguine * ovis & caseo, sacco indutus humi * inhæreat, die ac nocte jugiter omnipotentis Dei misericordiam imploret. Finitis tribus mensibus continuis de carcere exeat, tamen in publicum non procedat, ne grex fidelis in eo scandalum patiatur ; nec enim debet Sacerdos publicè pœnitere sicut Laicus : postea aliquantulum resumptis viribus unum annum in pane & aqua expleat, exceptis Dominicis diebus & præcipuis festivitatibus, in quibus vino & sanguine, ovis & caseo juxta canonicam mensuram uti poterit. Finito primo anno & dimidio Corporis & Sanguinis Domini ne induresc at particeps fiat, & ad pacem veniat, psalmos cum fratribus in choro ultimus canat, ad cornu altaris non accedat *. Deinde verò usque ad completionem septimi anni omni quidem tempore, exceptis Paschalibus

Verisimilius * quodam Carthaginensi. *Edit.* * fecerit. *al.* * tamen.

In * *edit. appositis pòst* sanguine *duobus punctis*, *subjungit* ovis & caseo utatur. *Edit.* * humo adhæreat.

addit edit * juxta beati Clementis vocem minora gerat officia.

diebus, tres legitimas ferias unaquaque hebdomada in pane & aqua jejunet. Expleto septimi anni circulo si fratres apud quos pœnituerit ejus congruam pœnitentiam laudaverint, Episcopus in pristinum honorem juxta Calixti Papæ auctoritatem poterit revocare. Sanè sciendum est, quòd secundam feriam * unum denarium, si opus est, pauperibus erogando redimere poterit. Finitis autem septem annis deinde usque ad finem septimi * anni sextam feriam nulla interveniente redemptione observet in pane & aqua. Eadem quoque sententia * erit Sacerdoti de omnibus peccatis & criminibus, quæ in deperditionem * ducunt. Neque hoc cuilibet videatur onerosum, si Sacerdos post lapsum, dignè, ut supra dictum est, pœnitens ad honores pristinos redeat.

*Hic in * edit. inseritur* unum psalterium canendo, aut.

al * decimi.

al. * pœnitentia.

al. * depositionem eum inducunt.

Item Cælestinus *: Siquis Sacerdos cum filia spirituali fornicatus fuerit, sciat se grave adulterium commisisse. Idcirco femina si laica est omnia derelinquat, & res suas pauperibus tradat, & conversa in Monasterio usque ad mortem Deo serviat. Item *, non debet Episcopus aut Presbyter commisceri cum mulieribus, quæ eis sua fuerint confessæ peccata, si fortè, quod absit, hoc contigerit, sic pœniteat quomodò de filia spirituali; Episcopus quindecim annis, Presbyter duodecim, & deponatur, tamen si in conscientia populi devenerit. Item Nicolaus * Papa omnibus Presbyteris, Episcopis: Nullus Missam audiat Presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere aut introductam mulierem. Unde etiam ipsa Synodus * ob hoc capitulum sub excommunicatione statuit.

* *Papa primus cap.* 3.

* *Cap.* 3. *hic incipit.*

* *Ex decretis Nicol.* 1. *tit.* 11. *de Presbyteris cap.* 1.

Pictavensis 1. *an.* 1100. *sub Paschali* 2. *cap.* 10.

Item ex Concilio Hilerdensi *: Presbyter si à plebe sibi commissa mala opinione infamatus fuerit, & Episcopus legitimis testibus approbare non potuerit, suspendatur usque ad satisfactionem condignam, ne populus fidelium in eo scandalum patiatur. Digna verò satisfactio est, sicut à Majoribus constitutum esse docetur, quando sive secundùm Canones, sive secundùm arbitrium Episcopi septem sibi collegas adjungat

Ex fragmentis hujus Concilij cap. 10. *plura hic desunt quæ in editis inserta reperiuntur.*

& juret in sancto Evangelio coram populo, quòd sibi crimen illatum seu propositum non perpetravit; & hac satisfactione purgatus securè deinceps suum officium exequatur.

Item Beatus Gregorius omnibus Episcopis. Si qui sint Presbyteri Diaconi, vel Subdiaconi, qui in crimine fornicationis jaceant, interdicimus eis ex parte Dei omnipotentis & sancti Petri auctoritate Ecclesiæ introitum usque dum pœniteant & emendent. Si qui verò in peccato suo perseverare maluerint, nullus vestrum præsumat audire Officium, quia benedictio eorum vertitur in maledictionem, & oratio in peccatum, dicente Domino per Prophetam: *Maledicam*, inquit, *benedictionibus vestris*. Qui verò huic saluberrimo statuto obedire noluerint, idololatriæ peccatum incurrant, Samuele teste, & Beato Gregorio instruente, *peccatum ariolandi est non obedire*, *& scelus idolatriæ nolle acquiescere*. Peccatum igitur paganitatis incurrit quisquis dum Christianum se esse asserit, sedi Apostolicæ obedire contemnit. Item Bonifacius VIII. Is cui Ecclesiæ est interdictus ingressus, cùm sibi per consequens censeatur in ipsa divinorum celebratio *, irregularis efficitur, si contra interdictum hujus divinis in ea se ingerat, in suo agens officio sicut priùs: talis quoque si hoc interdicto durante decedat, non debet in Ecclesia vel cimiterio Ecclesiastico, nisi pœnituerit, sepeliri.

Malach. 2. 2.

1. *Reg.* 15. 23.

* interdicta.

Cùm igitur ex prædictis appareat evidenter Presbyteros, Diaconos & Subdiaconos fornicatores notorios, quoad se, & quoad alios, jure fore suspensos, & eis ingressum Ecclesiæ & per consequens etiam ipsam divinorum celebrationem interdictam, adeò quòd si tali interdicto durante in ea divinis officiis se ingesserint, agentes in suo officio sicut priùs, notam irregularitatis incurrant. Et nos, omnes & singulos Presbyteros, & Diaconos & Subdiaconos nostrarum civitatis & Diœcesis macula notoriæ fornicationis infectos, suspensos quoad se & quoad alios auctoritate Canonis,

tenore præsentium publicè nuntiamus, & eisdem ingressum fore Ecclesiæ interdictum. Inhibentes subditis nostris ne Missas talium, siqui sint in nostris prædictis civitate & Diœcesi, audire præsumant, seu ipsorum corpora hoc interdicto durante dum decesserint in Ecclesia vel cimiterio Ecclesiastico, nisi pœnituerint, sepelire. Item legatur & renovetur statutum juris, Sepelire. Item legatur & renovetur statutum, Juris remedia, & subsequenter quod sequitur adjungatur.

VT QVILIBET SACERDOS HABEAT statuta Synodalia & secum ea deferat ad Synodum, & ostendat Archipresbytero vel Decano, & qualiter procedatur contra inobedientem. Cap. 2.

CUm igitur sicut pro certo didicimus nonnulli Curatorum ipsorum statuti superiùs lecti temerarii transgressores dicta statuta Synodalia nondum adhuc habeant, & si qui habeant, illa tamen juxta præceptum nostrum ad Synodos nostras secum adferre, ac suis Archipresbyteris & Decanis hucusque neglexerint exhibere, adhuc ad eorum convincendam malitiam omnibus & singulis Curatis nostrarum civitatis & Diœcesis iterata præceptione injungimus, & in virtute obedientiæ præcipimus, quatinus quilibet ipsorum infra Synodum Pentecostes proximè venturum dicta statuta Synodalia habeat, & secum ad dictam diem seu Synodum adferat, ac exhibeat suo Archipresbytero vel Decano. Prædictis Archipresbyteris & Decanis sub eadem districtione mandantes, quatinus antequam de Synodo prædicta recedant, nomina Curatorum sibi subditorum, qui in præmissis defecerint, nobis non differant intimare; scituri quòd contra transgressores hujus tamquam contra inobedientes & perjuros, quatinus de jure poterimus sine remissione qualibet, parati cum Apostolo omnem inobedientiam ulcisci, procedemus, cùm nobis adscriberemus ad culpam in hoc casu relaxare vindictam.

Synodus XVII. Guillelmi.

IDEM IN SYNODO SANCTI LUCÆ,

Anno Domini M. CCC. XIV. Ut fiant Octabæ de festo Omnium sanctorum.

Caput 1.

DEus gloriosus & sublimis in sanctis suis mirabilis, qui semper est laudabilis, & tamen ineffabilis, juxta id Psalmi : *Magnus Dominus & laudabilis nimis :* In sanctis suis laudari desiderat & honorari in terris, ut accedat quod ait Psalmographus ; *Laudate Dominum in sanctis ejus :* Non quòd honorum nostrorum aut laudum præconiis egere noscatur, sed ut per merita gloriosa Sanctorum quos veneramur in terris, eorum intercessionibus adjuti propitiationem mereamur obtinere in terris *. Sancti enim carnis vinculis absoluti in illa æterna patria conversantes, qui videntem omnia semota jam caligine luce clariùs intuentur, & lumen in lumine revelata facie luculentiùs contemplantur, devota laudum præconia quæ sibi à terrigenis impenduntur, & pia supplicationum præconia quæ sibi à fidelibus in suis necessitatibus porriguntur ; in illo æternitatis speculo, in quo videntem omnia vident, scire & intelligere posse creduntur, vel quantum illis ad gaudium, vel nobis ad auxilium noscitur pertinere.

Psal. 47. 1.

Psal. 150. 1.

f. * Cœlis.

Cùm igitur sancti sint infiniti in illa æterna beatitudine jam conscripti, de quibus memoriam & festivitatem nullam facimus : non enim possemus omnium sanctorum festa peragere, tamen propter nostram infirmitatem, quia infirmi & debiles sumus, nec adhuc maximè propter rerum mundanarum occupationem sufficere possemus, cùm propter temporis brevitatem, quia etiam tempus non sufficeret ; nam sicut ait Hieronymus in quadam epistola, quæ in suo Kalendario præponitur, Nullus dies, excepto die Kalendarum Januarij, qui non intra quinque * millium Martyrum numerum reperiri possit ascriptus. Insuper licet paucorum Sanctorum festa agamus, adhuc tamen illa festa

al. * quingentorum Martyrum.

pauca


pauca negligenter agimus, & multa ibidem per negligentiam, vel ignorantiam, vel terrenorum sollicitudinem obmittimus. Igitur sancta Mater Ecclesia præmissa attentè considerans, congruentissima ratione & piissima devotione per quosdam devotos summos Pontifices Spiritu sancto repletos & inspiratos divinitus ordinavit, ut quia Omnium Sanctorum festa singulariter non possumus, saltem omnes generaliter propter obmissorum suppletionem & negligentiarum expiationem sub una celebritate annua insimul honoremus. Et hæc fuit potissima ratio quare Omnium Sanctorum festivitas à sanctis Patribus extitit jam elapsis multorum annorum curriculis instituta; licet & multæ aliæ causæ rationabiles institutionis hujus festi in Legenda aurea proferantur. Si ergo plurimorum Sanctorum singularium Octabæ ab Ecclesia peraguntur, multo magis per rationes superiùs prælibatas Omnium Sanctorum festivitatis Octabæ debent ab Ecclesiis devotiùs & solemnius celebrari.

Attendentes igitur rationes præmissas, & quòd in urbe Romana quæ est caput mundi & mater Ecclesiarum omnium & magistra, & in plerisque citramontanis partibus non tantùm dicta festivitas una die, sed etiam octabæ ipsius ab Ecclesiis introductum est ut rationabiliter celebrentur; diligenti deliberatione præhabita & tractatu, hæc sacra approbante Synodo, & nostri Andegavensis Capituli super hoc accedente consensu, statuimus & ordinamus, quòd deinceps octabæ festivitatis prædictæ cum devotione qua decet ab Ecclesiis civitatis & Diœcesis Andegavensis annis singulis celebrentur. Per hoc enim firmiter credimus, patriam & populum Sanctorum patrociniis adjuvari, & in suis necessitatibus, tribulationibus & angustiis apud Altissimum faciliùs exaudiri, & ipsorum Sanctorum intercessionibus quamcitius relevari.

Sanè ne propter præmissarum celebrationem octabarum aliquæ Dominicæ de historia, quæ incipit: *Vidi Dominum*, obmittantur, ordinamus quòd in

Dominicâ præcedente feſtum Apoſtolorum Simonis & Judæ, hiſtoria, *Vidi Dominum* inchoetur. Quòd ſi die Dominica evenerit celebratio ejus, ad diem craſtinam proteletur, & Dominicæ illius hiſtoriæ in diebus vacuis locis competentibus peragantur.

Si autem de Officio illarum Octabarum quæratur, reſpondemus quòd nos qui à principio Pontificatus noſtri dictas octabas facere conſuevimus, dictarum octabarum officium ordinamus in hac forma. Super ipſas octabas dicimus invitatorium ad Matutinas, *Regem Sanctorum Omnium venite adoremus.* Hymnus in matutinis & veſperis ſicut in die. Antiphona ſuper pſalmos, *Secus decurſus* ſola, pſalmi plurimorum Martyrum, vel de die; Verſus, *Iuſtorum animæ.* Lectiones accipimus de libro ſapientiæ cap. III. incipientes ibi: *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt*, proſequentes dictam lecturam uſque ad ultimum diem. Reſponſoria de Communi Martyrum ſubſequenter etiam ordinatè. Qui autem Bibliam non habent, facient lecturam de Communi Martyrum. *Te Deum Laudamus* per totas octabas. Verſus ante Laudes: *Iuſti autem in perpetuum vivent* &c. Ad Laudes antiphona, *Vidi turbam*, ſola. Capitulum, hymnus, Verſus ſicut in die. Ad *Benedictus* antiphona prima die, *Prædicantes*, & ceteræ ſubſequentes. Ad Magnificat antiphona prima die: *Omnes ſancti* de vig. &c. Antiphonæ ad alias horas, Capitula, Reſponſoria, Verſus de Communi Martyrum. In octava autem die conſuevimus totum facere ſicut in die. Si verò infra Octabas dies Dominica evenerit, conſuevimus facere novem lectiones de Communi, vel ſi malueritis totum ſicut in die. Officium autem Miſſarum in dictis octabis accipient de Communi ſanctorum eorum, ſicut voluerint.



VT BONA AD EXECVTIONEM testamentorum deputata in executores non transferantur: & de pœna facientium contrarium. Cap. 2.

PRIMÒ dudum in Provinciali Concilio apud Lengesium celebrato, fuit provida deliberatione diffinitum, executores testamentorum per se vel per alios non posse quidquam sumere, seu quoquo titulo retinere de rebus seu bonis deputatis executioni testamentorum quorum executores existunt, pœnis certis appositis in Concilio supradicto. Verùm quia ex hoc plerumque comperimus decedentium voluntates executioni debitæ non mandantes propter avaritiam multorum, qui à testatoribus executores inscripti quæstum proprium . . . . liberationem * animarum, qui de ipsorum dilectione & amicitia præ ceteris gerebant plenam fiduciam dum vivebant nequiter præferentes, onus executionum hujusmodi suscipere in se recusant, ut sic possint illa quæ de bonis testatorum sibi placent hinc habere & retinere emptionis titulo, vel alio quæsito colore contra mentem Concilij memorati. Nos his fraudibus obviare, & decedentium voluntates executioni debitæ volentes demandari, districtiùs inhibemus ne quis executor alicujus testamenti coexecutori suo in eodem testamento inscripto, sive executor prædictus onus testamenti in se susceperit, sive illud duxerit recusandum, aliqua de bonis ad executionem illius qui ipsos executores suos instituit, emptionis vel alio quovis titulo tradere, seu in ipsum transferre, seu traditioni sive translationi consentire præsumat. Decernentes contractus super hoc initos, & traditiones ac translationes bonorum ipsorum taliter factas non tenere; & executores ipsa bona tradentes & taliter transferentes, seu consentientes traditioni & translationi prædictis, ad restitutionem dupli pretij rei sic traditæ vel translatæ, in executionis utilitatem con-

l. * liberationi.

vertendi auctoritate præsentis statuti condemnamus.

Cap. 3. Gravi nimirum turbatione movemur, & cum cordis amaritudine recensemus, quòd nonnulli divinis officiis mancipati, qui vacationis suæ stabilitate pensata virtutis & honestatis fructus deberent producere potiores, per eorum actus improbos splendorem suæ professionis obnubilant, & gestus incompositionis exempla inhonestatis & lasciviæ subministrant. Certa quidem nuper probavimus experientia, & fide didicimus oculata, quòd quidam Clerici beneficiati, & quod censendum gravius est, Curati ac Religiosi nonnulli Clericali modestiâ projectâ, sine delectu lucris turpibus inhiant, ac inhonestis negotiationibus variis se immiscent: verba Evangelica, quibus Dominus ipse negotiatores de Templo verberatos asseritur expulisse; & Apostolica, quibus ait: *Nemo Deo militans implicet se negotiis sæcularibus*, dissimulantibus aure surda, & quod molestè non mediocriter est ferendum, dum deberent in Ecclesiis horis convenientibus, præsertim festivitatibus, debitas persolvere Deo laudes cum devotione animi & conscientiæ puritate, prætermissis loco & tempore opportunis discurrendo ad nundinas & mercata dicunt labiis horas canonicas syncopando, intermiscendo extranea colloquia & profana, ad negotiationes, quas corde sitiunt, penitus mente rapta. Dum verò sunt in nundinis & mercatis tabernas frequentant, comessationes sectantur vilium personarum, & quædam alia faciunt quæ ad præsens duximus silentio committenda; ex quibus se reddunt sæcularibus viles, contemptibiles & abjectos.

2. Tim. 2. 4.

Sunt autem alii qui laxatis honestatis habenis dum per decentiam habitus extrinseci deberent habere & ostendere morum intrinsecam honestatem, utuntur præter varietatem pannorum suo statui minimè congruentem factionibus vestium dissolutis cum ornatu & cultu indecentibus. Sicque circum amicti varietatibus incedunt more meretricio scapulis & pectore discoopertis, comam nutriunt & relaxant, longos

crines ad modum Laici absque coronæ vestigio & tonsuræ ad eorum ignominiam deferentes, dicente Apostolo: *Vir quidem si comam nutriat, ignominia.* Prædictis & similibus se multipliciter & sæpiùs involuendo. Quòd nec in qualitate negotiorum, nec in vestimentorum forma, nec in coronæ & tonsuræ modo quidquam prætendunt de militia Clericali. Cùm igitur, ut ait Augustinus, incompositio corporis inæqualitatem indicet mentis; & in Carthaginensi Concilio caveatur, quòd Clerici professionem suam probare debeant habitu atque gestu, ut gestus gravitas maturitatem mentis ostendat; I. Cor. 11. 14.

Nos attendentes quòd tales negligere famam suam, in cujus odore nos convenit delectari, & sacros Canones transgredi non verentur, transgressores hujusmodi & curiositates eorum periculosas & perniciosas exemplo pœnarum adjectione coarctare volentes, monemus tenore præsentium omnes & singulos Clericos nobis subditos, qui in nostra diœcesi beneficia obtinent, aut in posterum obtinebunt, ut deinceps abstineant à præmissis, alioquin ad excommunicationis pœnam contra ipsos procedemus prout justitia suadebit. Statuentes quòd Clerici nunc beneficia obtinentes infra Nativitatem Domini proximè venturam, & qui obtinuerint in futurum infra mensem à tempore sibi collati beneficij, assumant habitum Clericalem, & eum deinceps deferant ut tenentur. A festo Paschæ Domini usque ad festum Omnium Sanctorum singulis mensibus, nisi ipsos infirmitas seu alia causa probabilis excusaret, coronam sibi fieri, barbam & capillos radi seu tondi cum rotunditate debita; & ab inde usque ad festum Paschæ etiam binis mensibus semel coronam radi seu tondi annis singulis facientes. In eos verò qui quoad tonsuræ, coronæ & barbæ rasionem hujusmodi extiterint transgressores, seu qui cucupham post lapsum duorum mensium à die hujusmodi monitionis publicè deferent in capite, excommunicationis sententiam promulgamus.

Cap. 4. Sanè solent plerisque concedi quæ tunc fore utilia pro salute hominum videbantur, quæ demum tendere reperiuntur ad noxam, propter quod ea emendare & temperare studuimus in præsenti. Multas etenim litteras pluribus personis nobilibus & aliis tam à prædecessoribus nostris quàm à nobis concessas didicimus, quarum auctoritate quibuscumque diebus Missas & alia divina officia possent in suis domibus facere celebrari, & eo prætextu, nedùm parrochialibus in juribus earum grandia incommoda imminere noscuntur; sed etiam in aliis quæ pariunt pericula animarum: quia morum informatio non metitur, cùm sermo divinus populo seminatur in Ecclesiis parrochialibus, qui absentibus & non audientibus fructuosus esse non potest: ordinatio Ecclesiæ ignoratur, quæ ignorantia omnes ligat. Cùm festa quæ colenda sunt in honorem Dei & Sanctorum & eorum jejunia publicè solent indici, non servantur propter ignorantiam ab eisdem, vel eorum familia, qui dispensativè ad parrochialem Ecclesiam venire non tenentur; & cum excommunicatis participare non verentur, qui ab aliis evitantur qui mandatorum executionem noverint. Propter quæ & multa alia quæ ad tales gratias modificandas nos inducunt, in hac præsenti Synodo sancti Lucæ statuimus, quòd nullus de cetero auctoritate talium litterarum talem gratiam tam generalem & tam latam continentium, diebus Dominicis & festis novem lectionum Missas & alia divina officia in suis domibus vel oratoriis faciat celebrari, & hoc sub pœna excommunicationis, quam in contrarium venientes post mensem, ne fortè aliqui prætextu ignorantiæ se excusent, ipso facto volumus incursuros, & domos seu oratoria supponi ipso facto Ecclesiastico interdicto. Statutum autem hujusmodi ad Capellas ad Matricem Ecclesiam pertinentes trahi non volumus vel extendi.

Cap. 5. Item statuimus quod nullus Rector parrochialis Capellanias, Prioratus seu quævis alia pia loca in suis parrochiis existentes seu existentia affirmare &

attentare præsumat, ne unum beneficium propter aliud suis juribus defraudetur.

Præterea statuimus quod nullus de cetero diebus Dominicis & festivis novem lectionum in Capellaniis, Prioratibus simplicibus, Missas ante horam tertiam audeat celebrare. *Cap. 6.*

Item omnibus Archipresbyteris & Decanis nostræ Diœcesis præcipimus & mandamus, quatinus omnia beneficia ad nostram collationem pleno jure pertinentia, in suis Archipresbyteratibus & Decanatibus existentia, nominatim in scriptis infra duos menses nobis vel Officiali nostro transmittant. *Cap. 7.*

Et de istis statutis quilibet Rector parrochialis copiam habeat infra mensem, & exponat quilibet in sua parrochiali Ecclesia in generali, ut sic ad notitiam eorum pervenire possit qui per statuta ligarentur. *Cap. 8.*

Item cùm nullus falcem suam in messem ponere debeat alienam, inhibemus omnibus subditis nostris cujuscumque dignitatis aut status, ordinis seu religionis existant, ne jurisdictionem spiritualem contentiosam in quascumque personas religiosas, sæcularesve aut alias quoquomodo, nisi in casibus ad eos spectantibus, exercere præsumant. In contrarium verò facientes, excommunicationis sententiam promulgamus.

Quamquam omnes & singuli nostri subditi, qui ad nostram Synodum venire tenentur, debeant nostra statuta & prædecessorum nostrorum Synodalia penes se habere scripto tenus, ne tamen eorum quispiam hoc omittat, & statutorum hujusmodi ignorantiam prætendere valeat; subditis eisdem præcipimus & mandamus eos & eorum singulos, ad hoc canonicè præmonentes, quatinus statuta hujusmodi ad quamlibet nostram & successorum nostrorum Synodum de cetero in quaternis antiquis una cum novis eis additis fideliter & integre deferant, nobísque vel ei quem ad hoc deputabimus patenter ostendant, in virtute obedientiæ & sub pœna excommunicationis, ad *Cap. 9.*

quam contra rebelles mediante justitia procedemus; nec reputabuntur sufficienter in Synodo comparere hi qui ea non deferent, ut est dictum. Si qui verò ea vel eorum aliqua non habeant, faciant ipsa fideliter iterum transcribi suis sumptibus & expensis. Exemplaria verò recipient ad hoc ex parte nostra posita Andegavis in domibus Johannis Coillant & Thomæ Aprilis, Clericorum nostræ Andegavensis Curiæ juratorum.

Cap. 10. Præterea licet turbatores jurisdictionis Ecclesiasticæ ordinariæ cujuscumque status existant, auctoritate Provincialis * Conciliorum sint ipso facto excommunicationis sententia innodati, à qua nisi condigna priùs satisfactione præstita, cessante saltim mortis articulo, non sunt aliquatenus absoluendi. Prout tamen datur nobis intelligi, nonnulli Sacerdotes sæculares & Religiosi potestate sibi permissa damnabiliter abutentes, ac eam quam non habent nequiter usurpantes, excommunicatos hujusmodi de facto absolvere præsumunt, nulla satisfactione præstita de offensa, in deceptionem & grave periculum animarum, elusionémque & fraudem prædictorum Conciliorum, ac Ecclesiasticæ jurisdictionis depressionem immensam. Quapropter omnibus & singulis Ecclesiarum Rectoribus nobis subditis, & eorum loca tenentibus, sub pœna suspensionis præcipimus, quatinus diebus Dominicis & maximè in Quadragesimali tempore turbatores hujusmodi denuntient, ut præmittitur, excommunicatos. Intimantes quòd absque satisfactione læsis & Ecclesiæ præstita non merentur absolvi, nec eos reputavimus aliàs absolutos: absolutionem autem eorum nobis & quibus specialiter committimus, quatinus possumus, reservamus ex causa, eam quibusvis aliis interdicentes expressè.

f. * & aliorum *vel* & generalium.

Cap. 11. Injungimus vobis Presbyteris, Ecclesiarúmque Rectoribus & Capellanis, quatenus singulis diebus Dominicis & festis novem lectionum illos, qui sunt excommunicati quacumque auctoritate, excommunicatos

catos publicè nuntietis. Item similiter omnes turbatores jurisdictionis Ecclesiæ quomodo libet clam vel palam. Item omnes qui faciunt contra libertates, consuetudines & statuta Ecclesiastica, & hoc videlicet in duobus ultimis casibus auctoritate Canonum & Conciliorum. Item denuntietis publicè in Ecclesiis vestris, quòd aliquis à sententia excommunicationis prædictæ, videlicet in duobus casibus ultimis, non potest absolvere, nisi nos Andegavensis Episcopus dumtaxat, & inhibemus ne aliquis absolvat à sententia prædicta. Item quia vobis Ecclesiarum Rectoribus aliàs fuerat injunctum quod in ista Synodo afferretis vobiscum omnia statuta Synodalia & quaternum Synodalis, vobis & vestrum cuilibet iterum districtè præcipimus & mandamus, quatinus statuta & quaternum hujusmodi una cum Conciliis Provincialibus in prima Synodo in virtute obedientiæ afferatis vobiscum, & procuret quilibet qui non habet interim transcribi, & hoc sub pœna suspensionis. Item injungimus sub pœna suspensionis vobis Rectoribus prædictis & vestrum cuilibet, quatenus nomina excommunicatorum mittat quilibet de sua parrochia in septimana pœnitentiali Andegavis nobis, vel Officiali nostro, & inferioribus, prout ad quemlibet spectat.

Monemus vos omnes & singulos Archidiaconos, & Archipresbyteros & Decanos, Ecclesiarúmque Rectores & Capellanos, Curatos quoscumque nostræ Diœcesis hîc præsentes, & vestrum singulos, vobísque & vestrum singulis nihilominus inhibemus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna suspensionis, & quinquaginta librarum monetæ currentis nobis applicandarum, & in pios usus convertendarum, ne aliquis vestrum recedat ista die nec sequenti de villa Andegavensi, nisi petitâ licentiâ & obtentâ à nobis vel magistris Petro Vicario Archidiacono Andegavensi, & Mauritio de Syzuyat, Roberto Helye commissariis nostris in hac parte, quos in palatio nostro Andegavensi poterit quilibet invenire: cùm simus *Cap. 12.*

locuturi vobiſcum ſuper aliquibus tangentibus neceſſitatem Eccleſiæ noſtræ, quæ per nos vel commiſſarios noſtros prædictos vobis poterunt diebus prædictis Laicus * apparere.

*f. * an* Langes *aut* largiùs.

Cap. 13. Item vobis omnibus & ſingulis Rectoribus & Capellanis Curatis prædictis, in quorum parrochiis ſunt elemoſynariæ ſeu domus Dei ad receptionem ſeu hoſpitalitatem pauperum & infirmorum ſpecialiter deputatæ, injungimus ſub pœnis ſuperiùs declaratis, quatinus unuſquiſque veſtrum infra feſtum Nativitatis Domini proximè venturum nobis, vel Officiali noſtro Andegavenſi, referat fideliter & ſubdito juramento nomen & ſtatum domorum & rerum pertinentium ad eaſdem & Priorum ſeu Adminiſtratorum earum, ut auditis veſtris relationibus in præmiſſis ordinemus ſuper hoc, & faciamus quod juſtitia ſuadebit.

Cap. 14. Item injungimus ſub pœnis prædictis vobis omnibus & ſingulis Rectoribus & Capellanis Curatis prædictis, quatinus ſingulis diebus Dominicis feſtiſque novem lectionum cum Clero & populo congregato ad divina ex parte noſtra publicè in veſtris Eccleſiis * indicari, quòd ſi ſint aliqui cujuſcumque ſtatus ſeu conditionis exiſtant, qui juſtè conqueri voluerunt de quacumque perſona nobis ſubdita, & potiſſimè de procuratorum ſervientibus & aliis, qui tam noſtras quàm ſubditorum noſtrorum curias frequentant, ſeu frequentaverunt tempore retroacto, apud ſanctum Elemandum * in craſtino feſti Andreæ proximo cum diebus ſequentibus accedant, & ibidem fiet per nos vel Commiſſarios noſtros, quos faciemus ibidem propter hoc ſpecialiter intereſſe, etiam ſummariè & de plano cuilibet juſtè conquerenti, facient domino juſtitiæ complementum. Et ipſa die faciemus extra Synodum injungi Rectoribus, qui non apportaverunt ſtatuta Synodalia & provincialia Concilia, & quaternum Synodale, quòd ipſi in virtute obedientiæ ad aliam proximam Synodum adferant & exhi-

** ſupple* faciatis.

beant, alioquin ipsos sine spe veniæ puniemus.

Sanè rem cognoscentes non rectam fieri in hac Andegavensi Diœcesi, quam æstimavimus communi sanctione mederi, quoniam calumnias odimus, dolum & tergiversationem aversamur, propterea existimamus legitimis hujusmodi actus egere medelis. Didicimus enim quòd nonnulli Clerici parrochialium Ecclesiarum Andegavensis Diœcesis, aut quivis alii, de rotulis & registris, in quibus nomina excommunicatorum conscribuntur, seu conscribi debent ac tenentur, propter favorem, sordes, gratiam aut timorem scribere & inserere prætermittunt, aut scripta delent, removent, aut dum publicari debent, subticent seu non nominant, aut aliàs dolo vel negligentia obmittunt, aut ita citò legunt quòd non possunt audiri, ut sic propter censuram excommunicati non patiantur ruborem, & ita non timetur, immo potiùs vilescit Ecclesiastica censura, nec excommunicati à communibus actibus excluduntur. Quibus attentis nos volentes eorum prævaricationibus, versutiis ac malitiis obviare, in præsenti hac Synodo statuimus, ut quicumque nomen seu nomina cujuscumque excommunicati de registris seu rotulis in quibus scripta sunt deleverint, removerint, seu cancellaverint, nisi priùs de absolutione sibi constiterit, aut scriptum non legerit, seu apertè non nominaverit, aut scribere omiserit, ut præmittitur, postquam sibi de excommunicationis sententia constiterit, infra tres dies à tempore præsentationis sententiæ; si Rectori aut Capellano fuerit præsentata, si Presbyteri fuerint, in ipsos sententiam suspensionis in hoc scriptos * ferimus, ac ex tunc decernimus & volumus incursuros, si dolum vel culpam adhibuerint in præmissis, vel aliquo præmissorum. Et si Clericus vel aliàs litteratus fuerit, qui circa præmissa vel aliquod præmissorum dolum vel culpam, ut præmittitur, commiserint, in eos in hoc scriptos * excommunicationis sententiam promulgamus.

Cap. 15.

hoc iterum infra.

f. * in his scriptis.

* in his scriptis *ut infra.*

Præterea interdicimus omnibus Clericis parrochialium Ecclesiarum sub pœna excommunicationis, ne procuratoris officium publicè & communiter exercere præsumant, cùm in prædicto officio multas calumnias, dolos & fraudes ipsos cognoverimus & repererimus commisisse; qui si contrarium facere præsumpserint, ipsos privari volumus utroque officio perpetuò in Diœcesi Andegavensi, nec in aliqua Ecclesia parrochiali vel Curia esse ulteriùs admittendos.

Præterea sunt nonnulli Rectores, Capellani & Clerici parrochialium Ecclesiarum, qui monitiones auctoritate judicum ordinariorum & delegatorum, cum clausula prima, *Alioquin ipsos quos in his scriptis ex tunc &c.* eis directas executioni debitæ demandandas, qui circa executionem ipsarum interdum dolum & negligentiam committere non verentur, interdum propter favorem, sordes * aut gratias debitorum, & interdum in odium creditorum, quæ pessimè deducuntur in eorum præjudicium & jacturam, & in periculum animarum ipsorum debitorum; ipsas verò monitiones exequi differant & morantur, asserentes debitorum copiam se non posse invenire, qui si mallent de facili reperire valerent. Et interdum executione facta earumdem eas differunt sigillare, asserentes & credentes prædictos debitores excommunicationis sententiam non posse incurrere, donec litteræ monitionum fuissent redditæ sigillatæ; ex quorum dolo & negligentia creditoribus imminet damnum grande, & debitoribus periculum animarum, qui quamplurimùm excommunicati decedunt; qui revera excommunicationis sententiam incurrunt, postquam est eis monitio facta & nunciata, & mora adhibita in parendo mandatis ex parte ipsorum debitorum, quorum nomina obmittunt inter excommunicatos registrare, innitentes eorum erroribus & ignorantiis crassis & supinis, qui taliter excommunicatos non reputant innodatos donec littera fuerit sigillata.

f. * sortes *seu* sortem & gradum eminentiorem.

Propter quod nos in præsenti Synodo statuimus in

ipſos Rectores, Capellanos & Clericos, aut aliàs litteratos, qui circa monitiones prædictas faciendas dolum & negligentiam commiſerint in poſterum, quibus fuerint præſentatæ, aut qui factas elapſa die qua monitiones tales fuerint factæ & nuntiatæ diſtulerint ſigillare requiſiti, aut irregiſtrare inter excommunicatos, elapſa ſexta die, ſuſpenſionis & excommunicationis ſententiam in his ſcriptis promulgamus, & ipſos Rectores & Capellanos ſuſpenſionis Clericos & litteratos excommunicationis ſententiæ volumus ſubjacere.

Præterea cùm in ſtatutis Synodalibus prædeceſſorum noſtrorum caveatur expreſſè, quòd ſi qui excommunicati fuerint, & in excommunicatione perſtiterint per duos menſes aut per annum, auctoritate Concilii quòd uxor & familia ſunt Eccleſiaſtico ſuppoſiti interdicto: & licet tanto tempore plures in excommunicationis ſententia perſtiterint, ita quòd familia eſt interdicto ſuppoſita Eccleſiaſtico, volumus & mandamus quòd ad Eccleſiam & divinum officium non admittantur aliqui de familia durante interdicto, quamdiu principalis domus fuerit excommunicationis ſententia innodatus. Nec ſimiliter ad Eccleſiaſticam ſepulturam, niſi cùm eis per nos dumtaxat fuerit diſpenſatum. *Cap. 16.*

Præterea interdicimus omnibus Archidiaconis, Archipresbyteris & Decanis, ne ſuper interdicto valeant diſpenſare, cùm ſuper hoc non eſt eis permiſſa facultas.

Præterea ſunt nonnulli qui dant & paſſant memorialia quæ à quibuſdam *, niſi ab his memorialia cum executione recipiantur, & in eis contra debitores ſeu reos paſſantes feretur ſententia ſuſpenſionis ſeu excommunicationis, ſi termino inter partes convento & in memorialibus contento deficerent debitores vel rei in complendo vel ſolvendo quod in prædictis memorialibus reddere & ſolvere promiſerint; ita quòd elapſo termino ſunt excommunicati prædicti paſſan-

** deeſt hic nonnih. l.*

tes propter moram quam faciunt de reddendo & solvendo quod promiserunt in termino constituto. Verùm quia cognovimus quod multi tales & talia passantes, & non complentes modo & forma in prædictis memorialibus contentis, excommunicati sunt, nec prædictam excommunicationis sententiam verentur. Et qui dum post terminum satisfaciunt creditoribus, quibus talia memorialia passaverunt, absolutionis beneficium impetrare non curant, sed in excommunicatione quandoque moriuntur, credentes quòd postquam satisfecerint vel memorialia receperint, non sit eis beneficium absolutionis necessarium; propter quod volumus & mandamus quòd judices & passatores memorialium prædictorum recipiant juramenta ab eis creditoribus quibus dantur & passantur memorialia, quod termino elapso portabunt & exhibebunt Rectori Curato illius qui passavit ad registrandum ipsum inter alios excommunicatos, nisi ante terminum gratiam vel dilationem termino longiorem concesserint debitori; & volumus quòd Notarij qui scripserint dicta memorialia de juramento faciant & de modo.

Expliciunt Statuta Synodalia.



SERMO
IN NATALI DOMINI.

AUDIAT in præsenti dilectio vestra, fratres charissimi, quemadmodùm Esaias Propheta de Domino nostro JESU-CHRISTO adnunciavit, dicens; *Ecce Virgo in utero concipiet, & pariet filium, & vocabis nomen ejus* JESUM: *ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Ioseph fili David.* Videtis, Fratres, in persona genus vocari: videtis in unum totam prosapiam nuncupari: videtis in Joseph seriem Davidici stemmatis sanciri. *Ioseph fili David.* Vicesimâ octavâ generatione natus, quomodò David filius dicitur, nisi quia generis aperitur arcanum? Fides promissionis impletur? Superna conceptio cælestis partus virgineâ jam saginatur in carne? *Ioseph fili David.* Tali voce ad David prolata fuerat promissio Dei Patris: *Iuravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eum. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Bene, de fructu ventris; bene, de utero: quia cælestis hospes, supernus habitator, sic in uteri descendit hospitio, ut corporis claustra nesciret; sic de habitaculo ventris exivit, ut virginalis claustri janua non pateret, ut impleretur illud quod cantatur in Cantico canticorum; *Sponsa mea hortus clausus, fons signatus. Ioseph fili David, noli timere.* Sponsæ causas sponsus ne timeat admonetur: & verè pius animus dum compatitur, plus pavescit. *Ioseph fili David, noli timere;* ne qui de conscientiâ securus es, de sacramenti cogitatione succumbas. Joseph, fili David, noli timere quam vides: virtus est ista, non crimen: hîc non humanus lapsus, sed est divinus inlapsus: hoc præmium est, non reatus: hîc incrementum cæli est, non est corporis detrimentum: hîc non est proditio personæ,

An. Chr. circiter 500.

Isai. 7. 14.

Luc 1. 31.

Matth. 1. 20.

Psal. 131. 11.

Cant. 4. 12.

ſed judicis eſt ſecretum : hîc palma cognitoris eſt, non eſt ſupplicij pœna : hîc hominis ſcortum non eſt, theſaurus eſt Chriſti : hîc non eſt mortis cauſa, ſed vitæ; & ideò noli timere; quia quæ vitam parturit, non meretur occidi. *Ioſeph fili David, noli timere accipere* MARIAM *conjugem tuam.* Sponſam vocari conjugem, legis eſt hoc divinæ : ſicut ergo manente virginitate mater eſt, ita conjux dicitur permanente pudore.


Luc 1. 32. *Ioſeph fili David, noli timere accipere* MARIAM *conjugem tuam; quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.* Veniant, & audiant qui requirunt quis eſt, quem MARIA genuit. Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt. Veniant, & audiant qui Græco turbine Latinam nubilare niſi ſunt puritatem; anthropotocon, Chriſtotocon, theotocon ut tollant blaſphemantes. Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt : & quod de Spiritu ſancto natum eſt, ſpiritus eſt; quia Deus ſpiritus eſt. Quid ergo requiris quid ſit quod de Spiritu ſancto natum eſt, cùm tibi quia Deus eſt, Deus
Iohan. 1. ipſe reſpondeat? cùm tibi Johannes increpet : *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; & Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis; & vidimus gloriam ejus.* Johannes vidit gloriam, reſpice, infidelis, injuriam. Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt : & vidimus gloriam ejus. Cujus? Ejus qui natus eſt de Spiritu ſancto; ejus qui Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt. Virgo concepit, ſed de Spiritu ſancto : Virgo parturit, ſed eum quem prædixit
Iſai. 7. 14. Eſaias; *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuhel; quod interpretatur, Nobiſcum Deus.* Nobiſcum Deus, cum illis homo : & maledictus homo qui ſpem ſuam ponit in homine. Audiant qui
Luc 1. 31. requirunt quis eſt qui natus eſt de Mariâ. *Pariet*, in-
Philipp. 2. 10. quit Angelus, *filium, & vocabunt nomen ejus* JESUM. Quare JESUM? Apoſtolus dicit, *ut in nomine* JESU *omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* In nomine JESU jam omne genu flectitur, cæleſtium, terreſtrium,

terreſtrium, & infernorum : & tu, quid ſit JESUS, doloſus cognitor nunc requiris? Omnis jam lingua confitetur, quia Dominus JESUS in gloria eſt Dei Patris : & tu adhuc modò quid ſit JESUS nequiter perſcrutaris? Audi adhuc quid ſit JESUS; *Paries filium, & vocabis nomen ejus* JESUM *: ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Sed ſuum non alterius ſalvum faciet populum. Unde? *A peccatis eorum.* Eſſe Deum qui peccata donat, ſi Chriſtianis non credis, crede, infideliſſime, vel Judæis, dicentibus; *Cùm ſis homo, facis teipſum Deum :* Et, *Nemo poteſt peccata dimittere niſi ſolus Deus.* Illi enim negabant Deum, qui eum peccata dimittere non credebant : Tu ab eo peccata dimitti credis, & Deum dubitas confiteri? Verbum caro factum eſt, ut homo caro promoveretur in gloriam Dei, non ut Deus in carnis verteretur injuriam : ſicut dicit Apoſtolus; *Qui ſe jungit Deo, unus ſpiritus eſt.* Et quomodò non quando ſe jungit Deus homini, unus Deus eſt? Humanæ leges intra triginta annos litigioſas omnes interimunt quæſtiones : & Chriſtus circa quingentos annos, nativitatis ſuæ cauſas præſtat, ortus ſui lites patitur, ſtatus ſui ſuſtinet quæſtiones! Hæretice, deſine judicare judicem tuum : adora in cœlis Dominum, quem Deum Magus adoravit in terris.

Iohan. 10. 33.
Marc 2. 7.
1. Cor. 6. 17.
hic Neſtorium fortè intelligit.

Explicit.





MISCELLANEA EPISTOLARUM, CHARTARUM AC DIPLOMATUM.

Ex majori Chartulario Brivatensi à D. d'Herouval concesso.

GUILLELMUS DUX AQUITANIÆ decernit ut mensæ Canonicorum Brivatensium ablata restituantur.

AN. CHR. 919.



IN nomine Dei summi GUILLELMUS gratiâ Dei Aquitanorum Dux. Si justis petitionibus fidelium nostrorum aurem accommodamus, disciplinæ Domini nostri operam exercemus, & nobis & posteris nostris profuturum esse credimus. Igitur anno Incarnationis Dominicæ DCCCCXIX. Indictione VII. degentibus nobis apud Celsinamgas, & venatoriæ arti insistentibus, adiit serenitatem nostram Arlebaldus Ecclesiæ Brivatensi à nobis præpositus institutus, proclamans & dicens grave nos incurrisse delictum, eo quòd facultates terrenarum * Beati Juliani, ex quibus Canonici ejus vivere debent, communiter in proprios usus tam Clericorum quàm laicorum dispersæ tenerentur, & Clerici ibidem quotidie Deo famulantes aliquanti penuria torquerentur. Quod autem ut audivimus, grandi excitati scrupulo, quod factum erat penitus eradicare nequivimus, sed ne abhinc ampliùs fieret prohibuimus. Decrevimus itaque, ut quidquid modò ab illis possidetur quamdiu vixerint, teneant, & nihil ab eis aliquid impediatur, sed statim ut aliquis eorum spiritum exhalaverit, absque ulla contradictione omnia quidquid ex communi victu

l. * terrenæ.

Canonicorum poſſidebant, ad eumdem victum communem revertantur, ſive Præpoſitus ſit ſive Decanus, ſive Sacerdos aut Diaconus, aut ullus ex ordine Eccleſiaſtico, ſeu ullus laicus qui aliquid ullo ingenio à communi victu ſervientium ſancti Juliani ſubtraxit, nullo umquam modo ampliùs ad ſingularitatem redeat, ſed mox ut unuſquiſque obierit, communi integritate ad eorum victum communem revertantur. Si autem hanc noſtram definitionem aliquis tentando violare præſumpſerit, quod noſtrum eſt bannum componat: & quia Eccleſiam Salvatoris conculcare voluit, ab ipſo Domino ut præſumptor judicetur, & iram ejus incurrat, & cum his qui dixerunt, *hereditate poſſideamus ſanctuarium Dei*, *ponat illos ut rotam & quaſi ſtipulam ante faciem venti.* Erubeſcant & conturbentur in ſæculum ſæculi, confundantur & pereant.

Et ut hoc diffinitionis pactum veriùs credatur, manu propria ſubter illud firmavimus, & ut fidelium noſtrorum manibus roboraretur decrevimus. Datum hoc decretum x. Kal. Januarij anno XXI. Regni KARROLI Francorum & Aquitanorum Principis.

FUNDATIO CAPELLÆ S. Juliano dicatæ.

Ex majori Chartulario Brivatenſi à D. d'Herouval commodato.

II. ANNO Incarnationis Dominicæ DCCCCXXIV. Indictione XII. adiit JOHANNES Archidiaconus ſedem Matris Eccleſiæ Arvernorum, poſtulans humiliter & petens apud venerandum ARNALDUM ejus ſedis providum Præſulem ædificari ſibi in fundo ſancti Juliani & ſuo Eccleſiam ipſis in locis valde perneceſſariam: cujus preces cùm primùm abnuiſſet idem egregius Pontifex, tandem conſultu fidelium & precibus victus, comperta etiam veridica ratione adquievit poſtulanti. Inſuper ſciſcitans eumdem poſtulantem, ſi valeret ex rebus ſuis tantum ibi conferre, ex quibus Sacerdos in ipſo loco Deo militans pauperem vitam poſſit ſuſtentare; ad hæc cùm reſpondiſſet velle ſe AN. CHR. 924.

quamdam particulam ex suis facultatibus largiri totius Ecclesiæ, à præfato confestim illustri Episcopo Speculatore sancitum est eamdem dedicandam ædem.

Proficiscens itaque prætaxatus Pontifex secundùm sapientiam sibi à Deo collatam oves sibi creditas salubriter visitare, pervenit ad locum sibi crebris precibus & assiduis monitionibus exoratum, cernénsque contiguitatem loci, tempúsque aptum, dedicavit eamdem Capellam specie * septima mensis novissimi, & illustravit eam pignoribus beatissimi Martyris Juliani Brivatensis. Est autem ipse locus, quo eadem constructa est aula, in Comitatu Talamitense, in Vicaria Moysacense, in Villa quæ vocatur Canetus : & in die Dedicationis ejus datum est eidem loco à præscripto JOHANNE consultu Arlebaldi Præpositi Ecclesiæ sancti Juliani Martyris, & Cuneberti Pentaemtarchi ipsius loci, ceterorúmque Canonicorum in eadem Villa Caneto mansus, quem ISENBARDUS excolere videtur, & appendiciæ tres, & in *aice* Brivatensi in Vicaria Cheriacense, in loco nuncupato Illam Calmem quantum ibi visum est habere, & in *aice* Nonatense in Feveriaco vineam unam.

* f. die

Hæc omnia suprascripta data sunt eidem Ecclesiæ in honore Beati Juliani fundatæ, à Johanne & à ceteris sancti Juliani Canonicis perpetuo dono. Considerans etiam donnus Pontifex, & rem diligenter examinans, dedit præfixo altari à se dedicato, & Sanctorum reliquiis decorato, de ipsa villa Caneto decimam omnem tam annonarum quàm pecudum; & de villa quæ vocatur Adimarum similiter omnem decimam; & de villa, quæ vocatur Moden, medietatem decimæ; & de alio Moden similiter, & de villa quæ nuncupatur Concas omnem decimam; & de Betel omnem decimam. Et de villa quæ cognominatur Nueliaco cum suis appendiciis omnem decimam ; & de villa quæ dicitur Alto-Cerenno medietatem decimæ; & de Burzaniis omnem decimam. Et de villa quæ vocatur Cunuliis medietatem decimæ, & de Rabariliis me-

dietatem decimæ, & de omnibus quæ idem Johannes habere videtur modò, vel in posterum Deo auxiliante adquirere poterit; in villa quæ vocatur Severiacus sive Sorziacus, seu in illo monte, duas partes decimarum similiter dedit, & in *aice* Brivatensi de villis, his nominibus, Tropennaco, Vendagra, Pinatense, Valilia, & illa Spinatia & Cabrogilo duas partes decimarum, de illa Calme & de Puxogilo medietatem decimarum, & in Vicaria Calariense de villis, his nominibus plebis Caleziis, Illabetia, Massum, Girunij medietatem decimæ.

Hæc omnia suprascripta dedit venerabilis ARNALDUS Præsul Arvernensis Ecclesiæ in die dedicationis Basilicæ in Caneto fundatæ, ut habeat, teneat, atque possideat, & justo ordine gubernet ea rector ipsius Cellæ, ea scilicet ratione ut quamdiu idem Johannes advixerit, eamdem Capellam teneat, & annis singulis Canonicis sancti Juliani sol. V. in censum incunctanter exsolvat, & post obitum ejus si nepos ejus Girbaudus supervixerit, simili modo eam teneat. Post amborum autem obitum in communi victu Canonicorum sancti Juliani revertatur. Et ut firmiorem per succedentia tempora hæc paginola obtineret vigorem, idem sapientissimus Præsul Arnaldus manu propria subter illam corroborare dignatus est, & ut primatum Matris Ecclesiæ manibus insigniretur decrevit. ARNALDO Papa, & SALOMONE Decano, & BERNARDO Abbate, ADALARDO Levita testibus. Regnante Karolo Rege Francorum charta ista facta fuit.

FUNDATIO CANTIOLI Monasterij facta ab Stephano Claromontano Episcopo.

Ex majori Chartulario Brivatensi à D. d'Herouval concesso.

III. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, STEPHANUS divina annuente misericordia AN. CHR. 945.

Præsul eximius Claromontensis Ecclesiæ, vita & moribus dignissimus, innotescere volo omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ curam amministrantibus, præsentibus videlicet & futuris, necnon & terræ * inclitis; f. * incolis. quia ego STEPHANUS Episcopus servus servorum Dei humillimus, considerans casum fragilitatis humanæ, ut pius & misericors Dominus de immanitate facinorum meorum aliquid relaxare dignetur, tam pro me ipso quàm pro seniore meo LUDUVICO Rege & conjuge sua, proléque illorum, & pro absolutione animæ, genitori meo ROBERTO, & uxori suæ ALDEGARDI, & genitrice mea ADALGARDI nomine, quæ fuit quondam, & avunculis meis HIUSTORGIO, MAFREDUM videlicet & GUIDONEM, nec non STEPHANUM consobrinem meum, fratribúsque meis, EUSTORGIO & *Rotbertum* avunculum quoque meum, ARMANDUM & filium suum AMBLARDUM, Eustorgiúmque filium Eustorgij & Rotberti Abbatis, & fratribus suis & cunctis propinquis & fidelibus nostris atque amicis, cunctísque scilicet inimicis.

Reddo Creatori meo Regi Regum & Domino dominantium, & tribuo beati Juliani Ecclesiæ Brivatensis, qui propter Christum capitalem sententiam subire non rennuit, locum vel villam, cujus vocabulum est Liziniacus, cum mansis, campis, pratis, vineis, verdiganis, & tribus Ecclesiis, quarum una dedicata est in honore sancti Germani, alia verò in honore sancti Johannis Baptistæ, tertia quoque in honore sancti Clementis Martyris Christi, cum servis & ancillis qui modo vivunt, & in antea * nati & procreati * *id est* postea. fuerint, cum farinariis & omnibus decimis ad easdem Ecclesias pertinentibus, & quantum Deo donante ibi ad præsentem diem habeo, vel in antea ego STEPHANUS Episcopus, & ROTBERTUS Abbas justè adquirere potuerimus totum & ad integrum reddo Creatori omnium Domino, & sub dominatione & potestate libenti animo committo beati Juliani, Canonicorúmque suorum, & de mea potestate in illo-

rum trado dominatione, trado, transfundo, ut habeant, teneant atque possideant, ut sicut Monasterium quod dicitur Cantojolus * quod est constructum in honore beati Marcellini, & beati Juliani, & beati Saturnini sub tuitione Ecclesiæ beati Juliani à die præsente subjectus esse videtur; ita & villa Lizimacus, cum Ecclesiis & omnibus illorum appendiciis post meum obitum, in tuitione & dominatione sit Ecclesiæ beati Juliani.

* *Chanteuil.*

Ego verò STEPHANUS Episcopus, quamvis indignus, cupio si Dominus spacium vitæ mihi dederit in prædicto loco Monasteriolum construere, & disponente divina gratia in suprascripto locello in honore Regis æterni & duodecim Apostolorum, duodecim Monachos ibi constituere cupio, ut ipsi Monachi diebus vitæ illorum Deo serviant, Deum timeant, Deum diligant, præceptum beati Benedicti & illorum Abbatis secundùm vires illorum & possibilitatem observent, & pro me & statu sanctæ Dei Ecclesiæ diebus & noctibus indesinenter Dominum exorent, ita duntaxat ego prædictus STEPHANUS jam dictas res tenere volo diebus vitæ meæ sub potestate & tuicione mea, & annis singulis in censum tempore vindemiæ in cellario beati Juliani modios x. recondere faciam usque ad illud tempus, quod in prædicto loco, Deo disponente, Monachos XII. constituam; postquam verò duodecim Monachi ibi constituti fuerint, nullum alium censum solvant, nisi legitimis diebus ad Matutinas postquam orationem dixerint, & à terra surrexerint, unusquisque duos psalmos prostratus decantet, quorum initium sit, *Beati omnes qui timent Dominum*, pro salute vivorum, & alter: *Lauda anima mea Dominum*, pro requie defunctorum. Ad Primam, ad Tertiam, ad Sextam, ad horam Nonam, ad Vesperas similiter faciant, tam illi quàm successores illorum. Post mortem verò meam hoc volui inserere, ut nullus Rex, nullus Comes, nullus Episcopus, nullus Abbas, neque pater, neque fratres, neque avuncu-

lus, neque ullus meus propinquus, auſu temerario ſurgere præſumat. Qui contra hanc paginam, vel contra illos Monachos, qui Deo diſponente in hoc loco venturi erunt, ire, agere, vel ulla calumnia inquietare præſumpſerit, niſi reſipuerit, & ad emendationem venerit, inprimis iram Dei omnipotentis incurrat, & Sanctorum offenſam, & cum Datan & Abiron, Anania & Saphyra, & cum Juda proditore Domini in profundum inferni demergatur: & inſuper qui hoc facere præſumpſerit, auri mundiſſimi libras XX. coactus componat, & quod petit non vindicet.

Placuit itaque mihi ut poſt diſcurſum vitæ meæ in manu & dominatione ROTBERTI Abbatis, filij Iozberti, remaneat, ut ipſe diebus vitæ ſuæ pro Dei amore & remedio animæ meæ & omnium fidelium Chriſtianorum, hunc locum regat, ædificet & gubernet, quatenus in futuro ſæculo illam vocem deſiderabilem audire merear, quam Dominus dixit fideli ſuo: *Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.*

Ut autem hæc Chartula per ſuccedentia tempora firma ſit & vera, ego STEPHANUS Epiſcopus libentiſſimo animo ſcribere vel firmare rogavi, & nobilium virorum manibus firmare rogavi. Si autem hoc evenerit, quod minimè credo, ut aliquis ex filiis Belial ſurrexerit, qui contra hanc reditionem Dei omnipotentis, & donationem beati Juliani Martyris auſu temerario, de poteſtate Dei & tuitione beati Juliani in ſuos uſus retorquere voluerit, & tam fortis perſona fuerit ut nullus ei reſiſtere valeat, omnis ei præſumptio in vacuum fruſtret, & inſuper ad parentes meos per ſucceſſiones illorum revertantur hæ res ſupraſcriptæ.

Signum STEPHANI Epiſcopi, ſignum ROTBERTI genitoris domini Epiſcopi, qui hoc conceſſit, & manu propria firmavit: ſignum ALDEGARDI, ſignum EUSTORGII avunculi Domini Epiſcopi: ſignum ROTBERTI: ſignum EUSTORGII, ſignum DESIDERII, ſignum ARMANDI: Data ceſſione iſta IX. Id. Octobris apud

apud Lithiniacum vicum, anno x. regnante LUDWICO Rege Francorum, Aquitaniámque regente.

FUNDATIO ECCLESIÆ Liziniacenſis pro XII. Canonicis ab Stephano Arvernenſi Epiſcopo.

Ex majori Chartulario Brivatenſi à D. d'Herouval commodato.

IV. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, STEPHANUS divina annuente gratia Præſul eximius Arvernenſis Cathedræ, vita & moribus præclarus, conſiderans caſum fragilitatis humanæ, ut pius & miſericors Dominus immanitatem criminum meorum miſericorditer minuere dignetur in præſenti ſæculo, & vitam æternam tribuere in futuro, ſeu etiam pro ſeniori meo CLOTARIO * Rege, & anima genitoris ejus CLUDOVICI Regis, & pro animabus genitorum meorum ROTBERTI & ALGARDIS, & novercæ meæ HILDEGARDIS & avunculis meis AUSTORGIO videlicet MATFREDO, ac UUIDONE & STEPHANO conſobrino meo, necnon & fratribus meis AUSTORGIO & ROTBERTO, avunculo quoque meo ARMANNO & filio ejus AMBLARDO, ſive AUSTORGIO auunculo meo & filiis ipſius AUSTORGIO & Villelmo, ac ſcilicet ROTBERTO Abbate, genitoribúſque & fratribus ſuis, cunctíſque propinquis & parentibus noſtris, amicis quoque & inimicis, atque fidelibus noſtris, omnibúſque fidelibus Chriſtianis vivis atque defunctis. Reddo Creatori, omnium Domino, Regíque Regum & Domino dominantium, necnon & cedo glorioſiſſimo Martyri Juliano, & ſacroſanctæ Dei Eccleſiæ Brivatenſi vico fundatæ honorabiliter quieſcenti, aliquid ex meis rebus, quæ mihi jure propinquitatis legitimo ordine ſucceſſerunt, hoc eſt vicus qui vocatur nomine proprio *Liziniacus*, cum Eccleſiis in eodem vallato ſive vico dicatis in honore ſanctorum Johannis Baptiſtæ, ſanctíque Germani Antiſtitis & Confeſſoris, ſeu &

An. Chr. 962.

* *Iſte Clotarius Cludovici Regis filius, eſt Lotharius Ludovici Tranſmarini filius.*

ſancti Martyris Clementis atque Pontificis, cum omnibus decimis & donariis, ſive oblationibus ibidem collatis, cum vineis & campis, ſimúlque & pratis, cunctíſque rebus ad eumdem locum pertinentibus, vel quantumcumque ibidem nunc poſſideo ac dominari videor, aut in poſterum ego STEPHANUS Præſul & ROTBERTUS Abbas ad eumdem locum adcreſcere vel adquirere juſtè potuerimus, cum omni ſua integritate omnipotenti Domino reddo, ut ſub tuitione ac poteſtate ſanctiſſimi Martyris Juliani & Canonicorum ibidem Chriſto militantium, ſit omni tempore, ita dumtaxat, ut à die præſenti & deinceps Canonici prædicti Martyris Juliani omnibus donariis & ſepulturis, ſive de fructibus per omnia medietatem accipiant, eo tenore,ut poſt fructum collectum & à Domino perceptum in eodem prædicto loco Liziniaco, in honore Domini noſtri & ſanctæ Dei genitricis MARIÆ, & ſancti Archangeli Michaelis, & ſancti Petri Apoſtoli, omniúmque Apoſtolorum, & ſancti Martyris Juliani, ſanctíque Præſulis Germani, omniúmque ſanctorum, duodecim conſtituantur Canonici cum noſtro pari conſenſu Domino jugiter militandi, ipſi quoque ex prædicta medietate Canonici victum accipiant cotidianum; ex hoc quod exinde ſupererit in communi victu ſeu uſu Canonicorum Brivatenſium ſit ſine ulla controverſia: poſt meum igitur ac ROTBERTI Abbatis ſive Præpoſiti ex hoc ſæculo diſceſſum, reliqua medietas ex ſupradicto loco, quam nunc & in diebus vitæ noſtræ in uſus noſtros tenere videmur, ſicuti ſuperiùs ſcriptum eſt, in communi juſſione Canonicorum ſeu poteſtate inclyti Martyris Juliani Brivatenſis vici, abſque ullo contradicente.

Sanè ſi quis ullâ aliquando ſuperbiâ, quod minimè fore creditur, ullo umquam tempore ſurrexerit, ſive Rex, aut Comes, ſive Epiſcopus vel Abbas, ſive aliquis Præpotens, nobilis aut ignobilis, omnis ſexus utriuſque ordinis, qui contra hæc ſtatuta à nobis facta, ſive adverſùs Canonicos prædicti Martyris

propter hanc cessionem aliquam calumniam inferre aut excitare voluerit, nisi resipuerit, & ad satisfactionem venerit, iram Dei omnipotentis incurrat, & Sanctorum omnium intercessionibus careat, & quandiu vixerit in hac vita de malo in pejus semper attenuetur, & petitio ipsius nullum habeat effectum; sed insuper auri puri libras C. coactus persolvat, & postquam indignam vitam digna morte finierit, cum superbo divite & cum Juda proditore Domini, ac cum Datan & Abiron in inferno particeps in omnibus pœnis efficiatur.

Placuit itaque mihi STEPHANO Pontifici, ut quandiu ROTBERTUS Abbas & Præpositus supervixerit, pro Dei amore & remedio animæ meæ omniúmque fidelium Christianorum prædictum locum regat, ædificet & gubernet, & postquam ex hac vita migraverit, jam dictus locus nullum habeat Rectorem aut Dominatorem nisi Dominum Deum omnipotentem, & sanctum Julianum Martyrem, omniúmque Sanctorum merita & intercessiones, atque Canonicos prædictæ Ecclesiæ Brivatensis, ut sicuti superiùs prædictum est, Præpositus ac Decanus, omnésque Canonici antedicti communi consilio & dominatione prædictum locum Liziniacum in honore Domini nostri JESU-CHRISTI, & omnium Sanctorum teneant ac prævideant, ut unà cum eis ad æternam vitam pervenire valeamus.

Hæc autem cessio ut per succedentia tempora firmiorem obtineat vigorem, ego STEPHANUS Episcopus manu propria subter eam signavi, & ut aliorum nobilium virorum manibus roboretur rogare studui. Signum * hoc quod exaratum est manu propria firmavit & designavit. Rotbertus Abbas ac Præpositus quod ratum est consensit. Signum ROTBERTI Vice-Comitis : Signum Austorgij fratris sui, qui pariter consensit : Signum AMBLARDI : S. VILLELMI S. ARBERTI : S. Austorgij : S. AMBLARDI. Acta sunt autem hæc anno DCCCC. LXII. Nativitatis Do-

* Supple Stephanus.

minicæ, indictione V. Mense Febr. die Sabbato, sub Imperio Clotharij clarissimi Regis Francigeni seu Aquitanigeni.

Ex Chartulario Brivatensi à D. d'Herouval commodato.

PONCIUS GABALITANENSIS & Forensis Comes fundat Ecclesiam Canonicorum Colidensium.

An. Chr. 1010.

Istius chartæ fragmentum inseruit Christophor. Iustel in suis probat. ad hist. Comitum Aruerniæ.

V. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Poncius divina annuente gratia Comes eximius Gabalitanensis telluris, necne Forensis patriæ, vita & moribus præclarus, ingenio excellentissimus, considerans casum fragilitatis humanæ, ut pius & misericors Dominus immanitatem criminum meorum misericorditer minuere dignetur in præsenti sæculo, & vitam æternam tribuere in futuro, seu etiam pro animabus genitorum meorum Stephani & Alaiz & uxoris meæ Theotberganæ, & filiis meis Stephano & Poncio, vel fratribus meis Bertrando & Villelmo, & nepotibus Rotberto atque Villelmo, cunctísque propinquis & parentibus nostris, amicis quoque & inimicis, vel fidelibus nostris, omnibúsque fidelibus Christianis vivis atque ab hac luce subtractis; Reddo Creatori omnium Domino Regi Regum & Domino dominantium, necnon & cedo gloriosissimo Martyri Juliano in sacrosancta Dei Ecclesia Brivatensi honorabiliter quiescenti, aliquid ex meis rebus, quæ mihi jure propinquitatis legitimo ordine successerunt, hoc est Ecclesiam quæ vocatur proprio nomine *Langat* cum omni decima, vel appendiciis suis: in Comitatu Gabalitanense aliam Ecclesiam, quæ nominatur Favairolas * cum omni integritate, vel quantum ad ipsum aspicit vel aspicere videtur, cum omnibus decimis & donariis, sive oblationibus, vel sepulturis ibidem conferentibus, cum campis simúlque & pratis, cunctísque rebus ad eamdem Ecclesiam pertinentibus, & in Vicaria Brivatense

* Vulgò *Faverolles.*

non longè ad locum prælibati Martyris villam, quæ nominatur *Colide**, cum omni sua integritate, cum campis & pratis, cunctísque adjacentiis ad ipsam respicientibus, omnipotenti Deo reddo sanctóque Juliano, ut à die præsenti & deinceps omnes res suprascriptas sub tuitione ac potestate sanctissimi Martyris Juliani, & Canonicorum ibidem Christo militantium, sint omni tempore & in communi victu seu usu Canonicorum Brivatensium sine ulla controversia.

* Vulgò *Coalde.*

Sanè si ulla aliquando persona, quod minimè fore creditur, ullóque tempore surrexerit, sive Rex, Comes, sive Episcopus, vel Abbas, seu aliquis Præpotens, nobilis aut ignobilis omnis sexus utriusque ordinis, qui contra hæc statuta à nobis facta, sive adversùs Canonicos prædicti Martyris propter hanc cessionem aliquam calumniam inferre aut excitare voluerit, nisi resipuerit, & ad satisfactionem venerit, iram Dei omnipotentis incurrat, & Sanctorum omnium intercessionibus careat, & quamdiu advixerit, in hac vita de malo in pejus jugiter attenuetur, & petitio ipsius nullum habeat effectum; sed insuper auri optimi libras C. coactus exsolvat: & postquam indignam vitam digna morte finierit, cum superbo divite & cum Juda proditore Domini, & cum Datan & Abiron, & cum eis qui dixerunt Domino nostro JESU CHRISTO, *Recede à nobis*, in inferno particeps in omnibus pœnis efficiatur. Insuper etiam si ullus Præpositus, vel Abbas aut Decanus, aut qualiscunque homo de stipendio Canonicorum beati Martyris Juliani aliquo ingenio voluerit abstrahere, cum supradictis nequissimis valeat in infernum teterrimum particeps esse.

Hoc quod exaratum est manu propria firmavit & designavit THEOTBERGA Comitissa pro anima Senioris sui Poncij Comitis, & pro animabus filiorum suorum; STEPHANUS Vice-Comes quod ratum est consensit; Signum ROTBERTI Vice-Comitis

S. *W.* fratris sui, S. *Amblard*, S. W. S. Giraldo Præpositi S. Beraldo Præpositi. Acta sunt autem hæc anno jam pene finito x. pòst millesimo, indictione ix. Epacta xiv. mense Februarij, Feria ii. Luna xx. sub Imperio Rotberti Clarissimi Regis Francigeni sive Aquitaniani.

DONATIO ECCLESIÆ S. Machuti facta Majori-Monasterio à ROTBERTO *de Sabulio & uxore ejus* HADULSA.

An. Chr. 1067. VI. NOtum esse omnibus volumus, quòd ego Rotbertus de Sabulio & uxor mea Hadulsa dedimus S. Martino Majoris-Monasterij & Monachis ejus Ecclesiam S. Machuti, cum ceteris omnibus Ecclesiis ejusdem castri pertinentibus ad prædictam Ecclesiam Canonicalem, ita ut quando aliquis de Canonicis morietur, aut Monachus fiet, veniant paulatim præbendæ eorum in potestate Monachorum, donec ablatis illis quatuor Canonicis, quatuor pro eis Monachos Abbas Majoris-Monasterij ibidem constituat. Dedimus quoque supradictis Monachis unam mediaturam terræ cum pratis quæ ad illam pertinent, & exemplationes boscj de Boëria quæ erant meæ propriæ. Dedimus etiam illis terram ad burgum faciendum solutam & quietam sine ullis consuetudinibus, præter has quas hic memoramus.

In die mercati mei quamcumque rem vendiderit homo Monachorum sive in burgo illorum, sive in meo mercato, præter panem & vinum & carnem mortuam, dabit mihi inde teloneum. De pane autem vel de vino, vel carne mortua si vendiderit ea domi suæ, nihil habeo. Si mercator cursorius fecerit venditionem aut emptionem in burgo Monachorum cum homine illorum, habebo ego teloneum de mercatore: illi verò de homine suo nisi in die mercati. Sed si ille

mercator fecerit mihi aliquam injuriam vel de ipso teloneo, vel de quacumque re, non tamen repetam eum in burgo eorum, nec faciam ei quidquam molestiæ dum in eo manebit. Similiter si homo Monachorum fecerit qualecumque forisfactum cuilibet homini, faciet homo ille clamorem inde ad Præpositum Monachorum, qui si noluerit inde rectum facere, veniet ille ad Monachum, per quem si non potuerit rectum consequi, referetur causa ad me. Quòd si nec ego potuero impetrare à Monacho vel de homine suo ut rectum faciat: non tamen faciam ullam vim consistenti in burgo Monachorum aut in aliqua re illorum. Extra autem si invenero injuriosum, compellam eum stare ad justitiam. Si verò aliquis homo qui non sit mercator cursorius vendiderit aliquid aut emerit in burgo Monachorum aliis diebus præter diem mercati, dabit illis teloneum, non mihi.

Dedimus quoque supradictis Monachis in Losdunensi Ecclesiam de Anglario, & omnia quæ ego propria habebam pertinentia ad illam Ecclesiam, & quod alius habet in ipsa Ecclesia, si aliquo modo vel dono vel pretio potuerint adquirere, concedimus nos & filij nostri.

Dedimus etiam illis sex arpennos vineæ sitos in Losdunensi & decimum denarium, & decimum porcum pasnagij de Brionensi: & præter hæc pastionem ad quingentos porcos in perpetuum.

Hanc eleemosynam fecimus ego & uxor mea pro animabus nostris, & pro anima Comitis GAUFREDI, & pro animabus parentum nostrorum & filiorum nostrorum ac filiarum, & pro anima GAUFFRIDI fratris meorum HADVISÆ uxoris meæ, & pro animabus fratrum HAINRICI & Guidonis. Et ut hæc eleemosyna pro qua perpetuam quærimus mercedem, ipsa quoque perpetua & inviolabilis permaneret, fecimus eam confirmari auctoritate PHILIPPI Regis Francorum, dum esset Rex in obsidione castelli Calvimontis, & BALDUINI cognati ipsius Regis filij Balduini Comitis

Flandriæ & Comitis Gauffridi, de cujus casamento erat, & uxoris ejus nomine JULITTÆ, & fratris ejus FULCONIS, tum etiam BARTHOLOMÆI Turonensis Archiepiscopi, in cujus erat Archiepiscopatu & ad quem singulariter cura tunc pertinebat Cenomanensis Episcopatus, in quo post WLGRINUM Episcopum nondum erat alius substitutus. Affuerunt huic auctoramento Regali, Principali & Pontificali GAUFFRIDUS Episcopus Parisiacensis, ADHERICUS Episcopus Aurelianensis, IVO Episcopus Sagiensis; BALDRICUS Equilibrator Regis, INGENULFUS Magister Pincerna, RADUFFUS Dapifer, Walerannus-Camerarius, FULCO filius Gervisi, & GERVISIUS frater ejus, ROTBERTUS Bifardus. PETRUS Cancellarius subscripsit, EUSTACHIUS firmavit Cappellanus, GAUFFREDUS Capellanus similiter firmavit. Signum GAUFREDI Comitis Andegavensis. Signum BALDUINI Comitis Flandriæ.

Signum PHILIPPI *gloriosissimi Regis.*

Data VII. Iduum Augustarum anno IX. PHILIPPI gloriosissimi Regis. Actum apud castellum Calvimontis in Dei nomine feliciter. EUSTACHIUS Notarius ad vicem BALDUINI recognovit Indictione V. anno ab Incarnatione Domini M. LXVII.

GERVASIUS DAT MONACHIS Majoris-monasterij Ecclesiam S. Guingaloei, amotis Canonicis.

Circ. ann. 1070. VII. AD sananda variorum vulnera peccatorum, quæ cùm mortalibus universis, tum maximè surrepunt occupatis sæculi negotiis; congruentem bonitas Divina providit eleemosynarum medicinam, ut quæ curis terrenorum damna accidunt cœlestium, compensentur terrenarum largitate facultatum,

tatum; & unde præcessit obligatio, sequatur absolutio. Bonum autem eleemosynæ non tantùm abolet mala, verùm etiam adauget merita bona, & quod datur in abolitionem delictorum, provehit incrementa virtutum: Sicque studiosus misericordiæ duplum in sua lucrum convectat anima, dum & pœnas vitiis debitas redimit, & præmia virtutibus proposita conquirit.

Hac consideratione permotus ego GERVASIUS homo militiæ sæculari deditus, curam gerens de salute animæ meæ, & perpendens me jejuniis & orationibus meis ad Deum pervenire non posse, cogitavi aliquo modo me illis commendare qui Deo in talibus die ac nocte deservirent, ut eorum intercessionibus, quia per me non poteram, salutem illam mererer invenire. Cùm igitur aliquid hujusmodi hominibus ad subsidium vitæ presentis istius rei gratiâ vellem impendere, nec mihi de rebus meis suppeteret quod eis dignè possem offerre, subiit spes de misericordia Dei, quòd si ea quæ à majoribus meis Deo ad usum servorum ejus collata fuerant, sed modò deserta sunt & vastata, in pristinum statum revocare possem; & peccatorum meorum consequerer veniam, & animæ meæ salutem perpetuam.

Est ergo in pago Cenomanensi in Castello-Ledi Ecclesia in honorem sancti GUINGUALOEI constructa, cui multa majores mei contulerunt ad usum Deo inibi servientium, ad quod Dei servitium Canonicos constituerunt: orto autem bello inter Comitem GAUSFREDUM & dominum illius Castelli, cùm idem Comes cuncta per circuitum castelli ferro & flamma disperderet, res quoque hujus quam dicimus Ecclesiæ ipsas rapere ac vastare sicut & cetera minimè formidavit, ita ut plerique de Canonicis inopia coacti diffugerent, & Ecclesiam cui deserviebant desererent. Ex eo jam tempore & Divinum Officium cœpit negligentiùs in ipsa Ecclesia celebrari, & res ejus quotidie decidere & in deterius devenire. Quod ego conside-

rans, & maximè dolens non ea qua dignum erat honestate ac reverentia famulatum Deo in sæpedicta Ecclesia exhiberi, cœpi mecum anxius pertractare si fortè possem invenire tales homines, qui & honestè divinum cultum in ipsa Ecclesia frequentarent, & res ad eam pertinentes jam pene annullatas in pristinum vigorem repararent, quorum etiam suffulti orationibus ego scilicet GERVASIUS, & pater meus ROTBERTUS, & mater mea ELISABETH, & uxor mea AREMBURGIS, necnon & avus meus AMELINUS & avia mea HILDEBURGIS, & GERVASIUS Remorum Archiepiscopus, qui locum illum fundaverunt, peccatorum veniam à Domino consequamur & salutem.

Itaque adhibito Procerum meorum & amicorum, necnon & Episcopi Cenomanensis domini ERNALDI consilio, rogavi venire ad me dominum BARTHOLOMÆUM Majoris-Monasterij Abbatem, eúmque multis precibus oravi, ut susciperet à me in dominium sancti Martini hanc de qua loquimur Ecclesiam cum omnibus ad eam pertinentibus, constitueretque in ea Monachos, qui ibi die ac nocte divino cultui diligenrer deservirent. Quod cùm Deo donante apud illum obtinere meruissem, tradidi ei sæpedictam Ecclesiam cum omnibus sibi subjectis rebus, de quibus dotata usque tunc temporis erat, sicuti illius Canonici loci in die illa tenebant, & cetera cuncta quæ priùs in sua habuit potestate, ex quibus per malorum tyrannidem despoliata erat; promittens quoque me ei vindicaturum, & sicut antea habuit in jus suum traditurum.

Omnia hæc concessi libera & quieta ab omni consuetudine exactionis vel vicariæ, seu ceterorum vectigalium, quemadmodum majores mei eidem Ecclesiæ legitimè contulerunt, ita ut eam sine ulla mea vel cujusquam successorum meorum contradictione Congregationi Majoris-monasterij suísque successoribus, cum Abbatibus qui eis pro tempore præerunt, liceat jure perpetuo possidere. Et quidquid inde agendum

decreverint, liberam poteſtatem habeant faciendi, ordinandi, & qualitercumque eis placuerit, meliúſque viſum fuerit diſponendi, tam præſentibus quàm futuris temporibus, & in arbitrio ſupradicti Abbatis, & eorum qui ei ſucceſſuri ſunt, qui Abbates Majorismonaſterij fuerint, pendeat de numero & quantitate illorum Fratrum, qui ad prædictum locum ſunt tranſmittendi.

Hanc autem donationem feci conſenſu & auctoritate matris meæ, omniúmque fratrum meorum, & Canonicorum ipſius loci omnium. Quæ ut ſtabilis & inconvulſa in perpetuum exiſteret, nec deinceps ſibi ab aliquo calumniam inferri pertimeſceret, ego GERVASIUS IV. millia ſolidorum, mater mea ELISABETH C. ſolidos, ADAM X. libras, ROTBERTUS X. libras, Gervaſius Clericus C. ſolidos, urſus Canonicus XL. ſolidos Haimo Canonic. XXX. Ranulfus Canonic. XL. ſol. Odricus Canon. XXX. ſol Guido Canon. XL. ſol. Fulcodius Canonic. XL. ſol. Galterius Canonic. XX. ſol. Herbertus Canonic. XL. ſol. Jeduinus Canonic. XL. ſol. Witernus Canonic. XV. ſol. Guarnerius Canonic. XX. ſol. Hoc autem notum ſit omnibus quod de denariis domini Gervaſij, quos ei dedimus, ſuos Canonici denarios acceperunt.

Nomina Monachorum qui locum receperunt, BARTHOLOMÆUS Abbas, Fulchardus Monachus, Gualterius Mo. Ernaldus Mo. Adraldus Mo. Anſegiſus Mo. Guillelmus Mo. Girulfus de Relliaco Clericus, Guarinus Clericus, Doſelinus Clericus.

Teſtes hujus rei:
Hilduinus Drudis.
Drogo de Semuro.
Suavis Calvus.
Hamelinus Eſpinard.
Robertus de Acriſilva.
Gilduinus Miles.
Drogo de Curtiran.
Guillelmus de Mangiaco.
Bencelinus Seneſcalcus.
Guarinus filius Ainerij.
Hugo de Flaciaco.
Girardus Camerarius.
Rotbertus Picellus.
Giraldus Cellarius.
Rodulphus Toetus.

Belinus de Marson.
Hubaldus Vicarius.
Testes de auctoramento.
AREMBURGIS uxor GERVASII.
Bencelinus Senescalcus.
Hugo Frigidacoralia.
Gualterius filius Arburgis.
Guarnerius Camerarius.

GVILLELMVS DVX AQVITANIÆ fundat Monasterium S. MARIÆ *in suburbio Pictaviensi pro Cluniacensibus Cœnobitis.*

AN. CHR. 1076. VIII. IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu-Christi, GUILLELMUS Dux Aquitanorum & Wasconum. Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei ejúsque servos in eisdem sibi famulantes beneficia oportuna largimur, præmium nobis apud Dominum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quàm futurorum sollertia, quia nos HUGONEM venerabilem Abbatem ex Monasterio sanctorum Apostolorum Petri & Pauli Cluniacensi, ubi eorum memoria dignè recolitur, unà cum congregatione ibidem Deo famulante, necnon successoribus eorum, concedo Monasterium quod facio ædificare juxta civitatis sedem Pictavensis cum propriis constructuris, quas ad præsens licitum mihi non est differere, sed Dei auxilio gubernante, futuro advenientis temporis spatio opportunè vel decenter concessurum me adfirmo. Et cùm expleverim omnia, ita ut Abbas & Congregatio regulariter & honestè vivere possint, supradictus Abbas Hugo regulariter secundùm præceptum Domini & S. Benedicti Abbatem ordinet cum Monachorum catervis, ob redemptionem animæ meæ, & parentum meorum, omniúmque fidelium.

Quapropter volumus, & per hoc nostræ auctoritatis decrevimus præceptum atque jubemus, ut nullus

Judex publicus, vel quilibet ex judiciaria potestate in Ecclesias aut loca vel agros, seu aliquas possessiones memorati Monasterij, quas moderno tempore infra ditionem imperij nostri justè & rationabiliter possidet, vel quæque deinceps in jure ipsius Monasterij voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas, vel freda aut tributa exigenda, aut paratas faciendas, vel mansiones aut fidejussores tollendos, aut homines ejusdem Monasterij tam ingenuos quàm servos super terram ipsius commanentes distringendos, nec ullas redhibitiones, aut illicitas occasiones requirendas, nostris & futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra commemorata sunt penitus exigere præsumat, sed liceat memorato Abbati suísque successoribus res prædicti Monasterij sub immunitatis nostræ defensione quieto ordine possidere, & quidquid exinde fiscus sperare poterat, totum nos pro æterna remuneratione præfato Monasterio concedimus, ut in alimonia pauperum & stipendia Monachorum ibidem Deo famulantium proficiat perennibus in augmentis.

Hæc verò immunitatis nostræ auctoritas, ut per diuturna tempora inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, & ut à fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris veriùs certiúsque credatur, & diligentiùs conservetur, manu propria firmavimus, anno MLXXVI. præsidente Domno Gregorio Romanæ sedis Papa, regnante Philippo Rege Francorum.

PHILIPPUS TRECENSIS Episcopus instituit Canonicos Regg. S. Quintini Belvacensis in Ecclesia S. Georgij.

IX. PHILIPPUS Dei gratiâ Trecensis Episcopus præsentibus & posteris salutem. Quoniam apud nos Ecclesia Beati Georgij apta erat divino ser- AN. CHR. 1085. circiter.

vitio, placuit Fratribus sancti Petri ponere in ea Regulares Canonicos, quatenus & Deo devotiùs servirent, & alios exemplo bonæ conversationis incitarent. Illis ergo attendentibus diversas congregationes istius Ordinis, refulsit Ecclesia beati Quintini Belvacensis, ex cujus veneranda Religione locus sancti Georgij posset illustrari. Domno itaque Yvone Abbate Trecis in Capitulo beati Petri residente, hæc ratio approbata est ex utraque parte, ut Fratres sancti Georgij à sancto Petro sua teneant, à Beato autem Quintino Regulam; in qua quidem si offenderint, illius sit Ecclesiæ aut aliquid in eis corrigere, aut aliquem ex eis transmutare: si autem aliquis aliquod terrenum adversus eos proclamaverit, ad justitiam veniant in manu Petri eos undique patrocinantis. Verumtamen si fortè evenerit eam Ecclesiam ad aliam transire Regulam, ista illi nullam ex tunc habeat subjectionem.

Huic autem conventioni interfuerunt Fratres JOHANNES Decanus, GOISBERTUS Archidiaconus, GUIDO Archidiaconus, THEODERICUS Archidiaconus, ARNULFUS Cantor, HUBERTUS Sacerdos, BERLANDUS Sacerdos, BERCHARDUS Sacerdos, PETRUS Levita, CONSTANTIUS Levita, GIRARDUS Levita, HILDRADUS Levita, FRODMUNDUS Subdiaconus, ODO Subdiaconus, HILDUINUS Subdiaconus, HUGO Subdiaconus, ANSELLUS Subdiaconus: JOSCELINUS Cancellarius manu propria scripsit.

PHILIPPUS TRECENSIS Episcopus Canonicis Regularibus confert præbendam in Ecclesia Cathedrali, & Ecclesiam S. MARIÆ.

AN. CHR. 1090. X. PHILIPPUS Dei gratiâ Ecclesiæ Tricassinorum Episcopus totius Ecclesiæ filiis regula-

riter viventibus & victuris futuræ perfrui gloria beatitudinis. Est, Fratres charissimi, inæstimabilis meriti nos ea quæ Dei sunt construere, quia nimirum immensi est periculi ea nos, quod absit, destruere. Habet etiam se ad utrumque justitia ut bene agentibus reddantur præmia, malè autem operantibus debita supplicia. Operemur bonum ergo ad omnes, maximè autem ad eum qui omnium Dominus est, quatenus ad utrumque fervens dilectio ei, qui facit utraque unum, copulet nos charitatis obsequio. Et quoniam Redemptor redemptionis nostræ pretium non aliud misericorditer dedit quàm semetipsum, à nobis quidem est ei reddendum non aliud magis quàm nos ipsos ad tantæ pietatis commercium, quatenus redempti pretioso sanguine, ipsi pretiosa Redemptio mereamur per ipsum divinæ Majestati assistere. Verumtamen quia nimium nos premit mortalis infirmitas, perfectos etiam terrena habitatio multum adgravat, curandum est unicuique summopere pro viribus sanctorum patrocinia conquirere, ut qui diffidimus ex nostro merito, ad spem misericordiæ sublevemur eorum interveniente auxilio.

Quapropter ego PHILIPPUS Dei omnipotentis, cujus nutu sum Trecensis Episcopus, horrendo judicio vehementer perterritus, duxi maximè mihi necessarium in cælesti palatio procurare patronum, illum scilicet Martyrem Martyrum, Beatum inquam Georgium. Ejus itaque cuidam Ecclesiæ, quam pluribus miraculis Dominus ad laudem gloriosi Martyris dignatus est sublimare, ego quidem ad ejus promerendam gratiam, & ad ejusdem loci Fratrum utilitatem, in Ecclesia Sancti Petri concedo præbendam integram atque perpetuam, ut sicut filia allactatur à matre, sic Ecclesia illa consoletur ab uberibus consolationis nostræ.

Et quoniam quæ ab Episcopo fiunt in Ecclesia, assensu Clericorum stabilienda sunt, ne fortè perversa posteritas aliquid contra hoc malignetur in posterum,

auctoritate sigilli nostri, sigilli etiam Capituli B. Petri, collaudantibus quod feceram communi favore Canonicis, confirmo & corroboro. Servitium autem hujus præbendæ ita reddetur; ut ipsi apud nos septimanam suam faciant, vel fieri faciant ab aliquo Sacerdote ex parte nostra. Confirmo etiam eis nominatim Ecclesiam Beatæ MARIÆ de Druto, & ut quæcumque seu ab antecessoribus meis, sive ab aliis benefactoribus suis, vel in futurum justè & canonicè possessuri sint, firma & illibata eis permaneant. Super adversarios autem hujus privilegij immitto anathema nostri officij, anathema, inquam, maranata, quod non dissolvetur per infinita sæcula.

Actum est hoc anno MLXXXX. indictione XIV. regnante Rege Francorum PHILIPPO, & me Philippo Trencensi Episcopo, IV. Nonas Martij residente in Capitulo B. Petri. Nomina Fratrum qui adfuerunt & laudaverunt hæc, sunt NORMANNUS Præpositus, GOISBERTUS Archidiaconus, PETRUS Archidiaconus, GUIDO Archidiaconus, JOSCELINUS Archidiaconus, HUGO Archidiaconus, Johannes Presbyter atque Camerarius, BERLANNUS Presbyter atque Decanus, BOCHARDUS Presbyter, HUBERTUS Presbyter, ODO Cantor, CONSTANTINUS Diaconus, PETRUS Diaconus, RAINERUS Diaconus, HILDUINUS Diaconus, GIRARDUS Diaconus.

Communicavit Illustris. Iohan. Robertus D. de Rebeque.

DIPLOMA FUNDATIONIS Abbatiæ Hamensis Ordinis sancti Benedicti, vulgò Ham *in Artesia inter Lillerium & Ariam, ab* INGELRANO *nobili viro factæ, & à* ROBERTO *Flandrensi Comite confirmatæ.*

AN. CHR. 1093.

XI. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filij & Spiritus sancti, amen. Ego ROBERTUS

ROBERTUS Dei gratiâ Flandriæ Comes universis Christi fidelibus tam futuris quàm præsentibus notum fieri volo, quòd nobilis vir INGELRANUS homo meus terrenus, castri Lilleriensis dominus, & nobilis uxor ejus EMMA, de consilio, licentia, assensu & voluntate mea propria Cœnobium Monachorum construxerunt & ædificaverunt Ordini Monastico congruum, in loco qui vocatur *Ham*, & Abbatem in eo ordinari fecerunt, & omnem terram totius territorij dicti loci cultam & incultam, aquas & aquarum piscationem, prata, marescum, nemus, paludes & palustria, census, redditus, justitias, relevationes, & omnia quæ ad præfatam Hamensis villæ possessionem pertinebant in perpetuam eleemosynam integerrimè contulerunt & dederunt, quatenus Ordo Monasticus sub Abbate Deo militans ibidem perpetuò vigeat, atque pro sua salute & mea, & pro prædecessoribus successoribúsque suis & meis Deum incessanter studeant exorare.

Concedentes prædictis Abbati & Monachis, ut homines Hamensis villæ & famuli ipsius Ecclesiæ de omnibus, quæ ad victum vel vestitum suum emerint in Lillerio, teloneum non persolvant. Statuentes etiam ut homines Abbatis & Monachorum nusquam vadant molere nisi ad molendina Ecclesiæ, & à nullo cogantur ire ad alia molendina. Dederunt & concesserunt similiter liberam potestatem, ut si qui hominum suorum Domino largiente aliquid de suis possessionibus prædictæ Ecclesiæ in eleemosynam conferre voluerint, absque omni reclamatione vel contradictione, aut impeditione ipsius Ingelrani aut suorum successorum liberè id facere poterunt.

Præterea ad sustentationem Abbatis & Monachorum qui ibidem Deo servierint, ut & habeant unde hospitalitatis & charitatis suæ necessaria subministrent, dederunt & quamdam villam, quæ vulgò dicitur *Mankavilla*, cum omnibus appendiciis & dominatu atque justitia. Dederunt etiam terram quæ

dicitur *Del Tailleio*, & quidquid habebant in villa de Hanclines in terris, silvis, in aquis, & molendinis, in piscationibus, & pratis, in censu, & redditibus, in justitiis, relevationibus, & in omnibus omnino rebus, tali modo quòd omnia quæ prænotata sunt per legem & documentum hominum meorum tam dictus INGELRANUS quàm nobilis EMMA uxor ejus, & SARRA eorum filia & heres legitimus ad opus dicti Monasterij & Monachorum ibidem Deo famulantium in manu mea vuerpiverunt, & à se penitus abdicarunt.

Et ego prædictas possessiones, & omne dominium, libertatem, & omnem prorsus justitiam, & quidquid etiam juris habebam vel habere poteram in prædictis quoquomodo, Abbati & Monachis dicti loci ad opus dicti Monasterij dedi, tradidi & deliberavi perpetuò possidenda. Ut autem idem locus & possessiones dicti Monasterij quæ nunc habent, & quæ in futuro, Domino largiente, possidebunt & habebunt in meo Comitatu quoquomodo, in pace penitus, quiete & summa libertate semper permaneant; ipsius Ingelrani prece concessi pro salute animæ meæ & prædecessorum successorúmque meorum, ut omnis præfatæ Ecclesiæ possessor præsens & futurus liber ab omni successorum suorum, ac meorum, videlicet Flandriæ Comitum, seu hominum nostrorum subjectione efficiatur, ut non sit de omnibus qui in ea de cetero quidquam reclamet, vel hominem capiat, vel bannum aut quamlibet rapinam vel saisinam aut captionem faciat, vel loca seu justitiam dicti Monasterij quacumque ex causa violare, molestare aut conturbare præsumat. Si fortè quilibet famulorum vel hominum ad præfatam Ecclesiam appendentium, ubi ubi degentium, quolibet pro facto increpatus fuerit, nisi sit de homicidio, furto vel latrocinio ipso actu probabili & patente, nullo modo vel in foro vel alicubi judicium sive præjudicium patiatur; sed res in præsentia Abbatis delata & audita, erit hominum & Curiæ Abbatis judicio discutienda.

Insuper volo & statuo, ut nullus successorum meorum, Flandrensium videlicet Comitum, seu aliorum quorumcumque, exactionem, tailliam, expeditionem, equitationem aut servitium exercitus, seu manuperationem super homines Ecclesiæ de cetero habeat; sed tantummodò Abbati & Ecclesiæ Hamensi in omnibus, & non aliis subjecti erunt. Homines etiam extranei undecumque advenerint si alicujus advocationis extiterint, quamdiu in terra Ecclesiæ commorati fuerint, præter censum capitalem in omnibus Abbati & Monachis subjacebunt. Si verò Milites vel homines qui possessiones suas tenent ubi ubi in meo Comitatu quoquomodo, de suis possessionibus aliquid in eleemosynam prædictæ Ecclesiæ conferre voluerint, absque omni reclamatione, vel contradictione, vel impeditione liberè facere poterunt. In quibus & in omnibus quæ de cetero adquisierint quoquomodo, omne dominium, libertatem & omnem prorsus justitiam prædicti Abbas & Monachi ex mea perpetuò mera donatione possidebunt & habebunt.

Ut autem firmiùs & securiùs omnia quæ prædicta sunt in perpetuo maneant; & ne supradicta Hamensis Ecclesia & Monachi de suis personis, famulis, hominibus & temporalibus bonis jam quidem sibi datis, seu in futuro sibi dandis, aut acquirendis aliquando, detrimentum seu injuriam cujuslibet oppressione vel inquietudine patiantur; ad preces similiter & instantiam ipsius INGELRANI & nobilis EMMÆ uxoris ejus, & SARRÆ eorum filiæ & heredis prædictorum, advocationem & defensionem ipsius Ecclesiæ, personarum, famulorum, hominum & omnium rerum ad eamdem Ecclesiam pertinentium in mea meorúmque successorum Comitum videlicet Flandriæ tutela suscepi, quatenus eorum in omnibus advocati & prompti contra omnes defensores existamus, atque eorum beneficiis & orationibus participes simus. Et est sciendum quòd advocationem memoratam amore Dei sub hac delibera-

tione suscepi, ut nec mihi nec successoribus meis Comitibus videlicet Flandriæ eam cuique dare liceat, sed ipsi propriè eam sibi retineant. Ac ne aliquis ejusdem Ecclesiæ possessiones, dominium, justitiam aut libertatem invadere aut imminuere, usurpare quoquomodo sibi aut vindicare præsumat, solius amoris divini intuitu, pij in omnibus defensores & prompti contra omnes adjutores existant. Hujus ergo iure advocationis prædicti Abbas & Monachi de Ham cùm necesse habuerint ad nos liberè ingredientur, & querimonias suas fidenter exponent, & nos eos tamquam prompti & pij advocati & defensores, tam ipsos quàm eorum Ecclesiam, homines, familiam & res eorum defendere tenebimur & tenemur.

Ut autem nos successores & prædecessores nostri participes simus omnium eleemosynarum & spiritualium bonorum, quæ à modò in prædicta Hamensi Ecclesia fient, centum solidos publicæ Flandrensis monetæ eidem Ecclesiæ in eleemosynam contradidi, singulis annis apud sanctum Audomarum, in officio Simonis dispensatoris mei accipiendos quolibet anno, duobus terminis, videlicet quinquaginta solidos in Natali Domini, & quinquaginta solidos in Pascha.

Præmissa autem omnia sicut sunt prælibata concedo, statuo & confirmo, abdicans à me & meis successoribus potestatem reclamandi quidquid juris, justitiæ, dominii, exactionis, libertatis, servitii seu etiam exercendi habueram in præmissis, decernens omnia dictæ Ecclesiæ ad præsens concessa, acquisita, aut etiam imposterum concedenda vel acquirenda, dictam Hamensem Ecclesiam cum omni prorsus justitia, dominio ac summa libertate, pace & quiete perpetuò possidendam. Advocatione verò memorata amore Dei, ac etiam pro mea meorúmque prædecessorum, successorúmque salute, penes me meósque successores, sicut superiùs est narratum, solummodò retenta.

Ut igitur hæc mei successores sciant, & ejusdem

Ecclesiæ jura perpetuò inviolata conservent, præsentem paginam inde conscriptam sigilli mei & testibus subscriptis roboravi. Acta sunt hæc apud opidum Broburgh anno Dominicæ Incarnationis M. XCIII. 1093.
Testes ARNULFUS sancti Audomari Præpositus, MANASSES Comes Gisnensis, ROTBERTUS Advocatus Bethuniæ, BERNARDUS de Ballol, HUGO Albiniensis, GUALTERUS Duacensis, HUGO Haveth, ROTBERTUS Pincerna, ONULFUS Dapifer Ariæ, JOHANNES Attrebati, WENEMARUS de Isel, ODECHIN, Elbodo Marescal. Ipse INGELRAMNUS & homines ipsius, EUSTACHIUS Scofflez, JOHANNES Berhe, WALANDUS, HERMANNUS, SYERIUS, EURARDUS, ARDO, EBROINUS, ROTBERTUS Tervanniæ, HELGOTUS filius Alqueri, BERNARDUS filius Hileberti, CLARBARDUS Morel, EUSTACHIUS Bornine, WENEMERUS Stempels, TIRRICUS de Nivo, WARINUS Nidels.

CHARTA CONFRATERNITATIS inter Ecclesias S. Nicolai & S. Laudi in civitate Andegavensi sitas.

XII. CHARITAS siquidem præceptis Dei principatum probatur obtinere, sine cujus per- circ. ann. 1095.
fectione, ut Apostolus Paulus testatur, nihil Deo potest placere: nihil enim Martyrium, sive sæculi contemptum, sive elemosynarum largitionem sine charitatis officio proficere posse ostendit in epistola ad Corinthios dicens: *Si distribuero in cibos pauperum om-* 1. Cor. 13.
nes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut 3.
ardeam; charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Item ipse alibi: *Plenitudo legis est dilectio.* Unde Rom. 13.
ipsa veritas ad Discipulos loquens ait, *In hoc cognos-* 10.
cent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem adhibueri- Iohan 13.
tis ad invicem. Et beatus Johannes Evangelista: *Hoc,* 35. 1. Iohan. 4.
inquit, *mandatum habemus à Deo, ut si quis diligit Deum,* 21.

diligat & fratrem suum. Quod Monachi beati Nicolai Andegavensis paritérque Canonici sancti Laudi diligenter attendentes, cujusdam mutuæ dilectionis fœdus Spiritu sancto intimante unanimiter inierunt; & ne ullatenus cassari sive annullari posset, litterali memoriæ illud, velut in sequentibus apparet, veraciter tradiderunt, & communis chirographi testimonio in perpetuum confirmarunt.

Proinde ab utraque parte stabilitum est, ut in hyemali festo beati Nicolai sive & æstivali, ad ejus Ecclesiam totus Conventus sancti Laudi cum ordinata processione servitio solemniter ire non moretur. Idémque honor vice versa à Conventu beati Nicolai Ecclesia sancti Laudi ejus festo, sive festo sancti Juliani, ac sanctæ Crucis unoquoque anno affectuosè compensetur. Abbas verò sive Prior, aut alius de Ecclesia Monachus in Ecclesia sancti Laudi: Decanus verò aut alius Canonicus in Ecclesia beati Nicolai Missam celebrare aut officium aliquod facere tenebitur, non solùm his diebus, sed & aliis quibuscumque alter Conventus ab altero fuerit requisitus.

Nec reticendum, quòd si quilibet Canonicus vel Monachus prædictarum Ecclesiarum aliqua occasione justa vel injusta à sui Conventus communione depulsus fuerit, aut etiam injuriatus in aliquo, ad alterum Conventum refugium petiturus venerit, fraterno affectu ab ipsis statim recipietur, victum ibi canonicum ac vestitum, communionémque Capituli & Ecclesiæ indeficienter habiturus, donec eorum interventu benignè reconcilietur.

Stabilitum est præterea, quòd si quilibet eorum ingruentibus alicujus contumeliis sive calumniis, etiam gravaminibus rerum suarum inquietatus fuerit, fraternam ei consilii & auxilii compassionem invicem ostendent, juxta præceptum Apostoli: *Alter alterius onera* ferentes, propiciíque Salvatoris & Redemptoris nostri legem misericorditer adimplentes. Quod etiam in defensione rerum, proventuum ac pos-

Galat. 6, 2.

fessionum aut libertatum Conventuum obſervabitur, cum patrocinio conſilio & præſentia Abbatis ſancti Nicolai, Prioris, Cellerarij aut Obedientiarij in negotiis Conventus ſancti Laudi obſervabitur. Et quod Eccleſiæ beati Nicolai à Decano, Priore ac Præpoſito ſancti Laudi recompenſabitur, & in hoc alter Conventus alteri tenebitur etiam propriis ſuis ſumptibus, ſi evidens urget neceſſitas, in toto Andegavorum Conſulatu.

Defunctis inſuper Monachis aut Canonicis, idem per omnia nocte & die ſupremi muneris, ſcilicet exequiarum & proceſſionum honor, quibus conſueverant, & eleemoſynarum ſuffragia, trigintáque continuis diebus ab utroque Conventu Miſſæ perſolvantur, & eorum anniverſaria in Martyrologiis ſuarum Eccleſiarum & Capitulorum memoriter annotata, in utraque Eccleſia eodem affectu paríque devotione ſingulis annis recolentur.

Statutum eſt nihilominus inter eos, quòd ſi fortè cuilibet eorum duorum Conventuum à Canonico, vel Decano, vel Abbate, aut Monacho, ab aliquo ſive à pluribus Concanonicis ſuis aut Monachis aliqua contumelia aut injuria illata fuerit, nullus inde clamor ad aliquem perferetur, ſed ab altero Conventu quid ſibi ſuper hoc agendum ſit priùs inquiretur, ut eorum interventu & conſilio, ſi fieri poteſt, quidquid malè in eum ſive in eos actum fuerit, digna ſatisfactione celeriter emendetur.

Dignum etiam memoratum eſt, quòd ſi qui Eccleſiæ Canonici ſancti Laudi ante ſui obitus diem nutu divino ad Religionis aſylum confugerint, quæcumque ſi Canonici morerentur eleemoſynarum orationúmque, anniverſariorum ſuffragia habituri erant, ab utriuſque prædicti Conventus fraternitate inter religioſos mortui nihilominus recipiant.

Nec ſilendum eſt, quòd quicumque tam abſentes quàm præſentes die præfatæ confœderationis ſupra memoratarum Eccleſiarum Monachi aut Canonici

erant, prætaxata mutuæ dilectionis beneficia qualibet occasione, sive etiam præbendarum suarum dimissione facta, post obitum nequaquam amittant.

Si verò alter Conventus contra hanc concordiam quoquomodo venire præsumpserit, nomine pœnæ ccc. solidos alteri Conventui persolvet, nihilominus verò ad confœderationem redire compelletur. Si verò sit Canonicus qui contra hæc venire præsumat, à præbenda sua ac fraternitatis beneficio spolietur. Si verò sit Monachus, pœnâ jejuniorum in pane & aqua multabitur, & hæc quousque Canonicus vel Monachus ab utroque Conventu reconcilietur: humiliter tamen petenti veniam non denegabitur.

Scient autem omnes quòd FULCO Andegavorum Comes præsentem confœderationem feliciter commendavit, & propter hanc multa privilegia prædictis Ecclesiis ac libertates concessit. G. verò Meduanensis Andegavorum Episcopus hanc confraternitatem feliciter confirmavit. Nos verò Abbas sancti Nicolai, totúsque ejusdem loci Conventus in ejusdem Festo & Capitulo unanimi voluntate istam fraternitatem fecimus in Capitulo generali præsente jam dicto patrono nostro bono Fulcone Andegavorum Consule, cum G. prædicto Andegavorum Episcopo. Nos verò GUIDO Decanus sancti Laudi totúmque ejusdem Capitulum in nostro generali Capitulo in festo beati Laudi huic Fraternitati consensimus: & uterque Conventus Ecclesiarum nostrarum prædictarum ad hanc observandam sub fide sanctæ Religionis nos & successores nostros astringere in perpetuum volumus. Ego verò FULCO Andegavorum Comes ob istam sanctam confœderationem Canoniam Ecclesiæ beati Laudi LAMBERTO Abbati ejúsque successoribus concessi, & de cetero Abbates & Monachi beati Nicolai Ecclesiæ sancti Laudi Canonici vocabuntur. Ita tamen quòd nisi in articulis supradictis Abbas aut Monachi ratione præbendæ Ecclesiæ sancti Laudi aliquid corporale exigere non valebunt. Canonici verò beati

beati Laudi Fratres, ac participes bonorum Ecclesiæ sancti Nicolai, & etiam orationum, prout suprà scriptum, perpetuò vocabuntur.

Nec silendum est, quamdam discordiam inter dictos Conventus ante ea per multa tempora agitatam super decimis de Marec & de Lineriis, & super pasnagio illius boschi qui Connumalis seu Fulliosus * nuncupatur, à me Fulcone Comite eo modo diffinitum esse, videlicet quòd Monachi medietatem earum, Canonici verò alteram medietatem in perpetuum possideant: ita tamen quòd si Ecclesiæ ibidem construantur, Presbyteri in decimis tertiam partem habebunt. Ecclesiæ verò una vice à Conventu beati Nicolai conferri poterunt, & alia vice similiter à Conventu beati Laudi. De pasnagio verò supradicto cùm dicti Conventus in dicto nemore quartam partem habeant, & nemoris, & pasnagij, medietatem ipsorum quilibet Conventus possidebit. De decima verò villæ Laneriæ, de qua erat contentio similiter inter ipsos, prout in aliis, ordinavimus & in ipsa.

* *le bois de Foüillous.*

Nos verò ROLO beatorum Cosmæ & Damiani Diaconus Cardinalis, tunc Apostolicæ sedis Legatus, ad rogatum dilecti filij Fulconis Andegavorum Comitis, ac dilectorum filiorum Abbatis & Conventus beati Nicolai, ac etiam Decani & Capituli beati Laudi, istam fraternitatem ac concordiam auctorisavimus & etiam confirmavimus, eo videlicet tenore ut quicumque in futurum hoc beneficium violaverit, monitione tamen trina præmissa, Canonicæ excommunicationis ac anathematis vinculo se noscat innodatum.



ADELA VIRMANDENSIS Comitissa præbendam Ecclesiæ S. Quintini confert Canonicis Regularibus Belvacensibus.

circ. ann. 1103.

XIII. ADELA memorabilis Virmanduorum Comitissa concessit Ecclesiæ S. Quintini Belvacensis præbendam, quam habebat in Ecclesia ejusdem sancti Quintini Virmandensis, pro anniversario conjugis sui HUGONIS, & sui ipsius, & filiorum suorum: videntibus & laudantibus eisdem filiis RADULFO *; præsentibus ROBERTO Mischinno, ADAM Rabie, ODONE Britone Militibus suis; Galone Præposito, RADULFO de Biarra Clericis, ODONE Abbate, BRICTIONE Canonico, ERNALDO.

* hic deest nomen alterius filij,

DONATIONES FACTÆ ROBERTO de Arbricello * Fundatori Monialium Fontis-Ebraldi.

al. * de Arbricellis.

AN. CHR. 1115.

XIV. EGO GUILLELMUS de Birontio, & ALPAYDIS uxor mea, filiis nostris concedentibus GUILLELMO & BERTRANDO, pro nostri nostrorúmque salute immobiliter concedimus Deo & sanctæ MARIÆ de Cadunio, dominóque Roberto de Arbresello & servis Dei medietatem unius mansi in sylva quæ Cadunensis appellatur, & locum qui Vallis-Seguini nuncupatur. Concedimus etiam per totam sylvam pabulum omnium pecorum, & quidquid de prædicta sylva ejusdem loci ædificiis vel usui fuerit necessarium. Damus præterea locum qui Passa-Calderia vocatur, ubi stagnum cum molendinis, domus cum horto spatiosè construatur. Testibus Guillelmo Gauterij, Begone Decimato, Guidone de Salis,

Geraldo Priore sancti Aviti, Geraldo Guillelmi Canonico sancti Aviti.

Similiter Ebrardus & Brochardus de Madelano cum uxoribus suis medietatem unius mansi, eodem modo & in eodem loco quo Guillelmus de Birontio tribuit, irrevocabiliter tribuerunt. Testibus Raymondo Bernardi de Calniaco, Oliverio fratre suo. Idem circa eumdem locum Mainardus de Bainaco & uxor ejus Alpaydis, filia Poncij de Gordone, unum mansum dederunt & pabulum quorumlibet animalium, & insuper locum qui Fons de Bassa-Calderia dicitur, sicut Guillelmus de Birontio tribuerunt. Testibus Aymerico de Synaco, Reginaldo de Fagid, Hugone de Fagid Priore S. Cypriani, Guillelmo Eblonis. Hoc autem donum firmavit Guillelmus de Gordone, testibus Guillelmo Petragoricensi Episcopo, Mainardo de Bainaco.

Similiter Algerius de Moysidano, concedente Anna uxore sua, & Arnaldus de Monteincenso, Almoyde uxore illius concedente, unum mansum dederunt: testibus Geraldo Capellano de Moysidano, Geraldo de Carioso.

Sed quoniam præfata sylva Cadunensis inter prædictos Proceres est communis, noluimus occupare vel percalcare totum mansum quem dederat Mainardus, vel illum totum quem dederant Algerius de Moysidano & Arnaldus de Monteincenso, non *f. tantùm medietates, donec Guillelmus de Birontio & Ebrardus atque Brochardus de Medelano, & eorum posteri tantum tribuant quantum isti. Harum autem medietatum percalationem jussu prædictorum Procerum nobis ostenderunt Guillelmus Gautu, Bego Vicarius, Bego de Cunaco, Bernardus de Gorgosono, Guillelmus Eblonis; Ugo de Fagis Prior S. Cypriani, & Guido de Salis.

*sed

Hæc autem prædicta dona concesserunt nobis hujus sylvæ Forestarij, unusquisque dando partem suam, sicut prædicti eorum dudum dederant Bego Vicarius,

Bego de Cunaco, Bernardus de Podio-jactato, consensu uxoris suæ Berengarii filiæ : Testibus Guillelmo de Birontio, & Guillelmo Gauterii. Eodem modo ceteri Forestarii dederunt, Grimoardus Beronis, Raymundus Bernardi, Guillelmus Bernardi : testibus Gerardo de Limolio, Grimoardo de Argarno, Geraldo de Nemore. Bernardus Bero similiter dedit, testibus Rogerio de Miliaco, Helia de Salis. Idem Rogerius de Miliaco similiter dedit, concedente uxore sua matre Bernardi Beronis : testibus Helia de Clarentio S. Frontonis Canonico, Gaufrido de Landa. Hæc autem prædicta omnia concessit ac confirmavit Guillelmus Talerandi Consul Petragoricensis : testibus Rudello fratre suo, Stephano Iderii. Eadem dona concessit Aldebertus Comes Petragoricensis : testibus Helia Belino, Geraldo de Salis, Broleto.

Rudellus concessit similiter eodem die eisdem testibus quidquid in valle Seguini Algerius de Moysidano, & Arnaldus de Monteincenso, eorúmque uxores dederant, postea firmaverunt apud Moysidanum coram domino Roberto. Dederunt etiam vallem quæ exit à valle Seguini usque ad Bassam-Calderiam, & quamdam partem terræ in eadem valle ad ædificandum aliud molendinum, & pratum : testibus Geraldo de Salis, Geraldo de Briva, Geraldo Jugerio. Hæc eadem dona concesserunt apud Gordonem Mainardus de Bainaco, & Guillelmus de Gordone in manu Reoildi Prioris de Salis : testibus Roberto de Albarupe, & Bosone, Aimardo de Malaterra, Pontio de Tolnio. Item eadem dona concessit Alpaydis conjux Meinardi de Bainaco : testibus Petro Capellano, & eodem Mainardo & Everardo fratre ejus & Arnaldo Gaufridi. Stephanus Lamberti dedit quidquid habebat in Bassa-Calderia : testibus Guillelmo de Birontio, Gauterio de Poido, Petro Capellano de Molleanis, Gerardo de Salis. Hebrardus de Madelano concessit in sylva Cadunensi quantum Guillelmus de Birontio & filii ejus Guillelmus & Bertrandus de-

derant, vel deinceps daturi erant : teſtibus Amaneu de Berferii, Gauberto de Belens, Guillelmo mancipio, Begone de Conacho.

GUILLELMUS EPISCOPUS Petragoricenſis & Canonici S. Frontonis concedunt eidem Roberto & Monialibus Fontis-Ebraldi locum qui dicitur in Sylva Caduni Salvitas.

XV. CONSUETUDINEM ſanctæ Eccleſiæ ſequentes volumus univerſis fidelibus de loco qui dicitur in Sylva Cadunii ſalutaris certitudinem veritatis relinquere, ut hujus rei memoria per litteras poſſit in perpetuum manere. Dum venerabilis ROBERTUS de Abrecello Petragoricas partes adveniſſet, & Capitulum ſancti Frontonis intraſſet, ibique Canonicos ejuſdem ſancta prædicatione reficeret, rogaverunt eum iidem Canonici ut ad ſuſtentationem Sanctimonialium in Eccleſia Fontis Ebrardi omnipotenti Domino ſervientium, unum de locis ſancti Frontonis dignaretur accipere & ad victum ſanctarum feminarum ædificare. Qui precibus eorum quandoque devictus unum de minoribus locis eorum, & eo tempore jam pene deſertum accepit, & ad honorem ſancti Frontonis, & ad recognitionem huius noſtræ donationis unam libram incenſi, quæ in eius feſtivitate reddatur, ibi impoſuit. Itaque ego GUILLELMUS Petragoricenſis Eccleſiæ Epiſcopus, & Canonicorum S. Frontonis Abbas, & iidem Canonici hunc locum qui dicitur in Sylva Cadunii Salvitas domino Roberto & Sanctimonialibus Fontis-Ebrardi dedimus manſuras, & omnia quæ ibi poſſidebamus; & noſtris propriis manibus ſubſcripſimus, & ad confirmationem huius donationis hanc chartulam ſigillavimus : teſtibus Helia Præcentore de Eodem anno.

Cassent, Bernardo Sacrista de Pairac, Iterio Archidiacono de Salis, Arnaldo de Favars, Stephano Iterii, Raymundo Demur, Iterio de Sauret, Helia Sciro, Helia de Clarent, Helia Vicario, Guillelmo de Bordella, Guillelmo magistro Nanclarensi, & Aldoino sancti Stephani Canonico, & Arnaldo Capellano de Pabancelos, & aliis quam pluribus. Guido de Salis & Helias frater ejus dederunt quidquid in Salvitate clamabant: testibus Geraldo Priore de Salis, Arnardo Richardi. Iterius Archidiaconus similiter dedit: testibus Iterio Stephani, Geraldo Priore de Salis.

ALIA DONATIO GUILLELMI de Birontio eisdem facta.

Eodem anno.

XVI. GUILLELMUS de Birontio dedit quamdam partem terræ prope molendinum de Bassa-Calderia, in qua ædificaretur aliud molendinum & pratum, concedente uxore sua Alpayde, & Guillelmo & Bertrando filiis suis: testibus Gerardo Priore de Salis, Guillelmo Gauterij. Hoc autem similiter concessit Brocardus de Madelano & uxor ejus, & insuper quantum Guillelmus de Birontio dare vellet: testibus Geraldo Priore de Salis, Geraldo de Nitecent, Geraldo de Teirac.

ROBERTUS DE ARBRICELLO omnia præfata dona tribuit Gerardo de Salis, confirmantibus Petronilla Abbatissa Fontis-Ebraldi, & aliis.


Eodem anno.

XVII. EGO ROBERTUS de Arbecello concedo & irrevocabiliter tribuo nullo pacto, nisi solo charitativæ germanitatis amore retento, domino Gerardo de Salis venerabili Magistro socio meo, inter necessarios amicissimo, ejúsque filiis immo con-

servis, tam extemporaneis quàm successuris utrumque locum in Sylva Cadunensi situm, videlicet tam eum de Seguini-valle, quem ipse Gerardus cum suis commilitonibus tamquam sibi sub mei persona acquisierat, & acquisitam ædificaverat, quàm illum qui Salvitas vocatur, & universaliter quidquid mei vel aliis vice mei præfatum infra nemus concessum est, atque ut ibidem sub dominicæ clientelæ norma Deo militent, eorum arbitrio & affectui relinquo. Hanc autem donationem authenticam & solemniter actam coram generali Sanctimonialium Capitulo, collaudante & concedente earum fidelissima matre PETRONILLA, immo Dei ancillarum ancilla, inconvulsam & inviolabilem persistere decerno, omnísque calumniæ querelam sive controversiam hinc funditus excludo, hinc radicitus evello & penitus interdico. Est prædictorum concessio facta locorum apud Fontem-Ebraldi beati Benedicti die festiva quinto Idus Julij, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo decimo quinto, anno præsulatus domini Papæ PASCHALIS octavo, Indictione octava, in tempore viduatæ Pictaviensis Ecclesiæ, viam ingresso universæ carnis PETRO Antistite, LUDOVICO Francigenarum Rege, Guillelmo Aquitaniæ Duce. Talia testantur qui taliter intitulantur, FULCO Andegavensium, Consul. PAGANUS de Claris-vallibus, ARCHILOSIUS, SIMON Enfandi, AYMERICUS filius ARBEATI * Vicecomitis Toarcensis, BARTHOLOMÆUS Boslope, BERNARDUS de Saponariis Clericus, PAGANUS Sacerdos, RAVENNUS de Troiea, RAINALDUS de Salmonea, AYMERICUS Caheus, PAGANUS pædagogus filius Arbeati Vicecomitis supra.

1115.

f. * Aiberti.



ITEM DONATIO GUILLELMI de Biron.

XVIII. EGO GUILLELMUS de Biron & ALPAYS uxor mea, filiíque mei GUILLELMUS & BERTRANDUS, laudamus & firmamus donum quod fecit dominus ROBERTUS Geraldo de Salis de loco Cadunensi, concedente PETRONILLA Abbatissa in Capitulo universali, & sicut domino Roberto & ancillis Dei dederamus, pari tenore paríque vigore Geraldo de Salis ejúsque commilitonibus tam præsentibus quàm futuris firmiter concedimus, immobiliter donamus, testibus RAYMUNDO Galterij, ROBERTO de Magnamaco, GUILLELMO de Nemore, GUILLELMO Galterij.

ITEM DONATIO AINARDI de Bainaco.

XIX. AINARDUS de Bainaco & uxor ejus ALPAYDIS domini Roberti laudantes & firmantes donum Geraldo de Salis, sicut Guillelmus de Biron similiter concesserunt : & insuper prope Pegayoeam in Dordonia . . . . & molendinum ubicumque vellet dederunt : testibus RAGINALDO de Fagis, GUIDONE de Casnaco, RAYMUNDO Galterij.

ITEM DONATIO ITERII de Moysidano.

XX. ITERIUS de Moysidano & uxor ejus & filia, Anna scilicet, & Alinodis & Algerius filius Arnaldi de Monte-Incenso similiter dederunt : testibus BERNARDO de Beurona, GUILLELMO de Flaviaco, BERNARDO de Caulas, RELIA Rabin.

ITEM

ITEM DONATIO ARNALDI de Monte-Incenso.

XXI. EODEM modo ARNALDUS de Monte-Incenso dedit; testibus Arnaldo de Falgeiraco, Guillelmo de Alanis, Seguino de Lasterna, Helia de Peldoizo. Omnes autem isti prædicti dederunt unum mansum extra Cadunum in qualibet terra, ubicumque Mainardus dare vellet in terra cum eis communi.

ITEM DONATIO EBRARDI de Madelano.

XXII. EBRARDUS de Madelano domini Roberti donum, quod de loco Cadunensi Geraldo de Salis fecerat, sicut ceteri prædicti laudavit atque firmavit, & quidquid Guillelmus de Birontio ejúsque filij dederunt & daturi sunt dedit: testibus Amanerio Debrifer, Guillelmo de Berontio juniore, Begone de Conaco, Grimoardo de Macmonte, Gauberto Debelens.

CONFIRMATIO DONATIONum ab GUILLELMO *Petragoricensi Episcopo facta.*

XXIII. EGO GUILLELMUS Petragoricæ sedis Antistes atque Frontaniani Collegij Abbas, locum qui Salvitas appellatur coram universali Capitulo Gerardo de Salis ejúsque condiscipulis tam modernis quàm posteris immobiliter concedo, inviolabiliter dono, omnémque querelam sive controversiam ab hujusmodi donatione authentica, non in angulo sed solemniter acta, Pontificali vigore removeo, immo qui obviare præsumptivè tentaverint, si AN. CHR. 1116.

pertinaci animositate incorrigibiles extiterint, æternaliter anathematizo. Hoc etiam donum horum consensus * nutus præsentia roborat, quos sequens pagina explanat. Helias de Cassens, Bernardus de Paizaco, Icterius de Salis, Stephanus Iterij, Arnaldus de Pavancellis, Petrus Picij, Helias de Rallano, Stephanus Sallati: testibus Airaldo Talacorij, Gaufredo Catuelli, Bordelia, Arnaldo de Gaures; anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo decimo sexto, anno præsulatus domini Papæ PASCHALIS decimo septimo, Indictione nona, LUDOVICO Francigenarum Rege, GUILLELMO Petragorico Præsule, ALDEBERTO & RUDELLO Consulibus *.

al. * consensu.

1116.

* id est Comitibus.

CONSTITUTIO LUDOVICI VI. *Regis Francorum, quæ leges pacis ab ipso constitutas in civitate Laudunensi continet.*

Eruit D. d'Herouval.

An. Chr. 1128.

XXIV. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. LUDOVICUS Dei gratiâ Francorum Rex. Notum fieri volumus cunctis fidelibus tam futuris quàm præsentibus institutionem pacis, quam assensu & consilio Procerum nostrorum & Laudunensium civium Lauduni instituimus: hanc scilicet quòd ab Ardone usque ad Brolium, ita ut villa Luillaci inter hos terminos contineatur quantum ambitus vinearum & montis tenet.

I. Nullus quempiam liberum vel servum pro aliquo forisfacto sine justitia capere possit. Quòd si justitia præsens non fuerit, liceat ei sine forisfactura tamdiu eum tenere quousque justitia veniat, vel ad justitiarij domum adducere, & prout judicatum fuerit, de forisfacto illo satisfactionem accipere.

II. Quòd si aliquis quoquomodo alicui Clerico, Militi, Mercatori, indigenæ vel extraneo injuriam fecerit, si de ipsa civitate sit is qui injuriam fecit, infra

quartum diem submonitus ante Majorem & Juratos ad justitiam veniat, & se vel de objecta culpa purget, vel sicut ei judicatum fuerit emendet. Si verò emendare noluerit, cum omnibus qui de peculiali ejus familia sunt, exceptis mercenariis (qui si noluerint cum ipso exire non compellentur) de civitate ejiciatur, nec redire permittatur, quousque forisfacturam digna satisfactione emendaverit. Si autem infra ambitum civitatis possessiones domorum aut vinearum habuerit, à domino sive à dominis si plures fuerint, in quorum districto possessiones ejus sunt, vel si in allodio fuerint, ab Episcopo Major & Jurati de malefactore illo justitiam requirant. Et si à dominis vel Episcopo submonitus infra quindecim dies culpam suam emendare noluerit, nec vel per Episcopum, vel per dominum in cujus districto possessiones ejus sunt, de eo justitia haberi potuerit, liceat Juratis omnem malefactoris illius substantiam destruere. Quòd si malefactor de civitate non fuerit, re ad Episcopum perlatâ, si per ejus ammonitionem infra quintum decimum diem forisfactum non emendaverit, liceat Majori & Juratis prout poterunt de eo vindictam quærere.

III. Si quis autem malefactorem de civitate ejectum infra terminos pacis institutæ ignoranter conduxerit, & ignorantiam sacramento probare poterit, eumdem malefactorem illa sola vice liberè reducat. Si verò non potuerit, usque ad dignam satisfactionem malefactor retineatur.

IV. Si verò fortè, ut sæpe evenire solet, aliquibus altercantibus alter alterum pugno vel palma percusserit, vel turpe improperium ei dixerit, legitimo testimonio convictus, ei in quem peccavit, lege qua vivit emendet, & Majori ac Juratis violatæ pacis satisfactionem faciat. Si verò is, quem læsit, emendationem ejus suscipere dedignatus fuerit, non liceat ei ultra de eo vel intra terminos pacis vel extra aliquam requirere ultionem. Et si eum vulneraverit, expensas

in medicos ad vulnus sanandum vulnerato persolvat.

V. Si quis in alium mortale odium habuerit, non liceat ei vel euntem de civitate prosequi, vel venienti insidias tendere. Quòd si vel venientem vel recedentem interfecerit, aut quodlibet ei membrum truncaverit, aut de prosecutione, aut de insidiis appellatus fuerit, divino se judicio purget. Quòd si eum aut verberaverit aut vulneraverit extra terminos pacis, ubi per homines pacis legitimo testimonio, vel de prosecutione, vel insidiis potuerit comprobari, sacramento se purgare licebit. Quòd si reus inventus fuerit, caput pro capite, membrum pro membro reddat, vel ad arbitrium Majoris & Juratorum pro capite aut membri qualitate dignam solvat redemptionem.

VI. Si quis in aliquem de aliquo capitali querelam habuerit, ad justitiam in cujus districto inventus fuerit, primùm de eo clamorem faciat, & si per justitiam jus suum obtinere non potuerit, ad dominum ejus si in civitate fuerit, vel ad ministerialem ejus si in civitate dominus ipse non fuerit, de homine suo clamorem faciat. Et si per dominum vel per ministerialem ejus justitiam de eo habere non potuerit, ad Juratos pacis veniat, eísque se de homine illo nec per dominum ejus, nec per ministerialem ipsius justitiam posse habere ostendat. Jurati autem ad dominum si in civitate fuerit, vel si non fuerit ad ministerialem ejus veniant, & ut vel dominus vel Ministerialis homini clamanti de homine suo justitiam faciant, diligenter requirant, & si de eo justitiam facere vel non potuerint vel neglexerint, Jurati quærant qualiter is qui clamat jus suum non perdat.

VII. Si fur quilibet interceptus fuerit, ad illum in cujus terra captus fuerit, ut de eo justitiam faciat, adducatur, quam si dominus terræ non fecerit, justitia in furem à Juratis perficiatur. Antiqua enim forisfacta, quæ ante urbis destructionem vel hujus pacis institutionem facta fuerunt, penitus sunt condonata,

exceptis tredecim, quorum nomina hæc sunt, Fulco filius Bomardi, Radulphus de Capritione, Hamo homo Leberti, Paganus Seill. Rotbertus, Remigius Bnt. Mainardus Drag. Reimaldus Sucss. Paganus filius hoste Lup. Ansellus Quatuor-manus, Radulfus Wastins, Johannes de Molrem, Ansellus gener Leberti. Præter istos si quis de civitate ejectus pro antiquo forisfacto redire voluerit, de omnibus suis in vestiatur, quæcumque habuisse nec vendidisse vel in vadimonio posuisse poterit ostendere.

VIII. Statuimus etiam ut homines capite censi dominis suis censum capitis sui tantùm persolvant, quem si statuto tempore non persolverint, lege qua vivunt emendent, nec nisi spontanei à dominis requisiti aliquid eis tribuant, liceat tamen Dominis pro forisfactis suis eos in causam trahere, & quod judicatum fuerit de eis habere.

IX. Homines Pacis, exceptis familiis Ecclesiarum vel Procerum, qui de pace sunt, cujuscumque generis potuerint uxores accipiant. De familiis autem Ecclesiarum, quæ sunt extra terminos Pacis, vel Procerum, qui de pace sunt, nisi dominorum voluntate uxores accipere non licebit.

X. Si qua vilis & inhonesta persona honestum virum vel mulierem turpibus convitiis inhonestaverit, liceat alicui probo viro de pace, si supervenerit objurgare illum, & illum uno aut duobus vel tribus colaphis sine forisfacto ab importunitate sua compescere. Quòd si eum pro antiquo odio percussisse criminatus fuerit, liceat ei juramento se purgare quòd pro nullo odio eum percusserit, sed tantùm pro pacis & concordiæ observatione.

XI. Mortuas autem manus omnino excludimus.

XII. Si quis autem de pace filiam vel neptem sive cognatam maritans, terram vel pecuniam ei dederit, & illâ mortuâ sine herede fuerit, quidquid terræ vel datæ pecuniæ adhuc comparentis de ea remanserit, ad eos qui dederunt, vel ad heredes eorum redeat.

Similiter vir si sine herede mortuus fuerit, præter dotem quam uxori dedit, tota possessio ad propinquos suos redeat, dotem autem in vita sua mulier tenebit; post mortem verò ipsius, ipsa dos ad propinquos viri sui redibit. Si verò nec vir nec mulier hereditates habuerint, sed de mercimoniis quæstum facientes, substantiâ fuerint ampliati, & heredes non habuerint, altero eorum mortuo, alteri tota substantia remanebit. Si autem propinquos non habuerint, duæ partes substantiæ pro animabus eorum in elemosynam dabunt, tertia verò ad muros civitatis ædificandos expendetur.

XIII. Præterea nullus extraneus de capitecensis Ecclesiarum vel Militum civitatis, in hanc Pacis institutionem nisi annuente domino suo recipietur. Quòd si per ignorantiam absque domini voluntate aliquis receptus fuerit, infra quindecim dies sine forisfacto cum tota substantia sua salvus abire quò voluerit permittetur.

XIV. Quicumque autem in pace ista recipietur, infra anni spatium aut domum sibi ædificet, aut vineas emat, aut tantum suæ mobilis substantiæ in civitatem afferat, per quæ justitiari possit, si quid fortè in eum querelæ evenerit.

XV. Si quis bannum civitatis se audisse negaverit, aut per scabinos tantùm comprobetur, aut propria manu juramento se purget.

XVI. Consuetudines autem quas Castellanus in civitate se habere asserit, si in Episcopi curia disrationare legitimè potuerit, prædecessores suos antiquitus habuisse, liberè eas obtineat, & si minùs fecerit, minùs habeat.

XVII. Consuetudinarias autem tallias ita reparavimus, ut unusquisque hominum ipsas tallias debentium singulis terminis, quibus tallias debet, quatuor denarios solvat. Ultra autem, nullam aliam talliam persolvet, nisi fortè extra terminos pacis aliquam terram talliam debentem tenuerit, quam ita caram

habeat, ut pro ea talliam ſolvat.

XVIII. Homines pacis extra civitatem placitare non compellentur. Quòd ſi ſuper aliquos eorum cauſam habuerimus, judicio Juratorum nobis juſtitiam exequentur. Si autem ſuper univerſos cauſam habuerimus, judicio Epiſcopalis curiæ nobis juſtitiam proſequentur.

XIX. Si quis Clericus intra terminos pacis aliquod forisfactum fecerit, ſi Canonicus fuerit, ad Decanum clamore perlato per eum juſtitiam exequetur. Si Canonicus non fuerit, per Epiſcopum vel Archidiaconum, aut eorum miniſteriales juſtitiam facere compelletur.

XX. Si aliquis Procerum regionis in homines pacis forisfecerit, nec ſubmonitus eis juſtitiam facere voluerit, ſi homines ejus intra terminos pacis inventi fuerint, tam ipſi quàm eorum ſubſtantiæ, in emendationem factæ injuriæ per juſtitiam illam in cujus diſtricto inventi fuerint capientur. Ita ut & homines pacis jus ſuum habeant, & ipſa juſtitia itidem jure ſuo non privetur.

XXI. Pro his igitur & aliis beneficiis quæ prædictis civibus regali benignitate contulimus, ipſius pacis homines hanc nobis conventionem habuerunt, quod exceptâ curiâ coronatâ, ſive expeditione, vel equitatu, tribus vicibus in anno ſingulas procurationes ſi in civitatem venerimus nobis præparabunt. Quòd ſi non venerimus, pro eis viginti libras nobis perſolvent.

XXII. Totam autem hanc Conſtitutionem ſalvo noſtro pariter & Epiſcopali jure & eccleſiaſtico, necnon & Procerum, qui intra terminos pacis diſtincta ſua legitima jura habent, ſtabilivimus, ita ut ſi vel de noſtro, vel Epiſcopali jure, aut Eccleſiarum, aut Procerum civitatis aliquid fortè interceperint, infra quintum decimum diem ſine forisfactura quod interceperunt, liceat emendare.

Ut igitur hæc pacis Inſtitutio firma in perpetuum & inconcuſſa permaneat &c. præcepimus roborari.

S. LUDOVICI Regis, S. PHILIPPI filij ejus &c. Actum anno Dominicæ Incarnationis M. C. XXVIII. Regni LUDOVICI Regis XX. Data Compend. per manum SIMONIS Cancellarij.

D. de Rebeque conceſſit.

al. * Cervicampi. *al.* * *Chercamp.*

QUÆ ABBATIÆ CARICAMPI * *Ordinis Ciſtertienſis, vulgò* Cercamp *, in *Arteſia prope Dullendium, contulerat* HUGO *Candavenæ, rata habent* THEODERICUS *Ambianenſis &* MILO *Morinenſis Epiſcopi.*

AN. CHR. 1137.

XXV. IN nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, Amen: Ego THEODERICUS Ambianenſium, & ego MILO Morinorum Dei gratiâ Epiſcopi tam præſentibus quàm futuris in Chriſto fidelibus in perpetuum. Sæpe longiturnitas temporum auferre ſolet notitiam rerum; labilis enim & caduca naturæ humanæ conditio dum juxta morem deperit, ſubſequentem nimirum ſe à certitudine transducit. Eapropter, fili HUGO Abba venerabilis Caricampi, collatas à devotis viris eleemoſynas tibi Monaſterióque tuo in perpetuum poſſidendas, ſcripto & memoriæ commendare curavimus, quarum eleemoſynarum nomina condonatoribus ſuis ſubſcripſimus.

* *Comes S. Pauli & Beatrix uxor ejus fundatores Caricampi. Vide Annales Ciſtert. ad ann. 1137. c. 6. n. 5. 6. an. 1141. c. 10. n. 5. 6. 1142. c. 10. n. 6. Tom. 1.*

Noverint igitur omnes homines tam præſentes quàm futuri, quòd cùm diu HUGO Candavene * propter combuſtionem villæ ſancti Richarij ſub anathemate manſiſſet, tandem concedente Domino Papa Innocentio meruit ut pœnitentiam in terra ſua ageret, & de ſuis poſſeſſionibus Abbatiam quamdam conſtrueret. Eccleſiam itaque Ciſtertium, quæ de Carocampo dicitur, conſtituit, quam terris & poſſeſſionibus dotavit. Hæc ſunt nomina poſſeſſionum, tertia pars Haiæ atque Caricampi, terra ad duas carrucas, & quidquid juris in eodem territorio habebat. Hoc

laudaverunt

laudaverunt filij ejus ENGELRANDUS & HUGO, ANSELMUS, RADULFUS, & WIDO. Hujus rei teſtes ſunt BALDUINUS Sacerdos ſancti Hilarij, ARNULFUS Clericus de ſancto Paulo, ANDREAS de Baldemento, & BONA-FIDES Monachi, ADAM Chareth, & HUGO de Heſtruz, & multi alij.

ANSELMUS de Paz dedit Beatæ MARIÆ medietatem Caricampi. Hoc laudaverunt HELFRIDUS frater ejus & ſorores AELIDIS, GISLA & EMMA. Huic rei interfuerunt HUGO Comes Candavene, & BALDUINUS Sacerdos ſancti Hilarij, ARNULFUS Clericus de ſancto Paulo, ANDREAS de Baldemento, & BONA-FIDES Monachi, BALDUINUS & GOSSELINUS de Ortevilla, HUGO de Heſtruz & ADAM Chareth.

MAINARDUS de Maritania dedit ſe Beatæ MARIÆ, & quidquid habebat in territorio Caricampi. Hoc conceſſit MIRIADOIL & uxor ejus CLEMENS & filij eorum ENGELRANDUS, BALDUINUS, MIRIADOIL, & ARNULFUS, & filia CLEMENS.

RADULFUS Luvel dedit Beatæ MARIÆ medietatem terræ Caricampi, & nemus. Hujus rei teſtes ſunt HUGO Comes Candavene, & ENGELRANDUS filius ejus, ANDREAS de Baldemento, & BONA-FIDES Monachi, BALDUINUS Sacerdos ſancti Hilarij, ARNULFUS Clericus de ſancto Paulo, BALDUINUS & GOSCELINUS de Ortevilla, ROBERTUS de Durlez, & HIBERTUS frater ejus, ROBERTUS Waſtavene & ODO frater ejus, & HUGO de Heſtruz, NICOLAUS de Erin, ADAM Chareth, ROBERTUS de Halli, BACHELER de Heſeche, & multi alij.

ENGELRANDUS de Vaccaria, & ROGERUS dederunt quidquid habebant in territorio Caricampi, quod laudaverunt filij eorum PETRUS, MAINARDUS, BALDUINUS, ENGELRANDUS, RADULFUS Luvel, ROGERUS Spinoe, VIVIANUS de Pas.

LAMBERTUS de Arbruviis dedit Beatæ MARIÆ

quidquid habebat in territorio Caricampi: BURNEL & filij ejus VIVIANUS de Pas & LANDRICUS frater ejus. RAINELMUS concesserunt Beatæ MARIÆ quidquid habuerunt in territorio Caricampi. Hujus rei testes sunt ANSELMUS de Pas, BALDUINUS Sacerdos sancti Hilarij, RADULFUS Luvel, HIBERTUS Desalteus, ROGERUS Spinoe, & BALDUINUS filius ejus. GALTERUS Gohart, & HUBERTUS de Vaus & uxores eorum, filij & filiæ eorum concesserunt Beatæ MARIÆ quidquid habebant in territorio Caricampi. Hujus rei testes sunt ROGERUS Spinoe, & BALDUINUS filius ejus, GIRARDUS Sacerdos de Balli, AMISARDUS, ODO & JOHANNES filius eius. Hoc factum est anno ab incarnatione Domini MCXXXVII.

Idem communicavit.

DIPLOMA FUNDATIONIS Abbatiæ Monialium ordinis Cistertiensis in Blendeca, vulgò Blendeque *prope sanctum Audomarum in Artesia, ab Desiderio Morinensi confirmatæ.*

AN. CHR. 1186.

v Annal. Cistertienses Tom. 2. ad an. 1156. c. 6. n. 10.

XXVI. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego DESIDERIUS Dei gratiâ Morinorum Episcopus universis fidelibus in perpetuum. Cùm omnes retrò sancti Patres præventi & adjuti gratia Spiritus sancti, in id modis omnibus elaboraverint, ut amplificarent nomen sanctitatis, nos à longe eorum sequentes vestigia, adiuvante eo qui vocat ea quæ non sunt tamquam ea quæ sunt, concurrentibus votis filiorum nostrorum, & instantiâ postulationis magnorum virorum circummanentium, statuimus in Blendeco vico dioceseos nostræ Congregationem feminarum Deo regulariter servientium collocare. Ne verò in tanto negotio aliquid de nostro sensu præsumtione temeraria cœpisse videremur, dominum Metropolitanum WILLELMUM sanctæ Romanæ Ecclesiæ titulo sanctæ Sabinæ Cardinalem Apostolicæ

ſedis Legatum, virum videlicet altioris conſilii, dignum duximus ſuper hoc eſſe conſulendum. Quo conſulto, & propoſitum approbante, & congratulatione ſua ad id quod propoſueramus ampliùs provocante; Principem quoque terræ illuſtrem Comitem PH. unà cum M. nobiliſſima conjuge ipſius ſuper eadem cauſa adivimus, qui & unanimem aſſenſum cum multa hilaritate præbuerunt, & ſe auxilio & conſilio affuturos promiſerunt. Hinc ergo majore fiducia nec immeritò aſſumpta propoſitum aggredientes; communicato conſilio cum Capitulo noſtro, & partes ſuas aſſenſibus implente, Perſonatum Eccleſiæ ſanctæ Columbæ de BlendeKA, cum omnibus pertinentiis ſuis, & obuentionibus, Capellam quoque de Soieca ad eumdem Perſonatum ſpectantem, inibi Deo ſervituris, ſalvo jure parrochiali & Epiſcopali, liberaliter contulimus. Hanc libertatem & immunitatem eidem Eccleſiæ de communi conſilio Fratrum decernentes & indulgentes, ut in eadem Eccleſia Deo ſervientes, liberam electionem habeant, & nulli perſonæ niſi nobis & ſucceſſoribus noſtris de ordine ſuo, vel de quacumque alia re extra Capitulum ſuum habeant reſpondere, ſalva in omnibus auctoritate ſedis Apoſtolicæ.

Ita ergo in nomine Domini inchoato negotio, acceſſerunt ad nos dilectus filius noſter BOIDINUS ejuſdem parrochiæ Presbyter in præſentia Capituli noſtri, donationem eidem Eccleſiæ faciens centum marcarum & ampliùs, & fidelis vir GHISO filius Everardi de Aria, ſimiliter ſexcentarum marcarum & ampliùs. Nos verò providentiam ejuſdem domus in temporalibus, duobus prænominatis, tamquam induſtriis & primis in ejuſdem loci fundatione coadjutoribus noſtris, commiſimus. Prædictas igitur donationes tam noſtras quàm illorum ſigilli noſtri appenſione, CLAREMBALDI quoque Morinenſis Decani, & LAMBINI Morinenſis Archidiaconi, & JOHANNIS Cantoris, ceterorúmque Canonicorum aſſenſu, cum eorumdem ſigilli atteſtatione, in perpetuam poſſeſſionem


eidem Eccleſiæ confirmamus. Si qua verò Eccleſiaſtica ſæcularíſve perſona præfatas donationes, vel quidquid devota largitio fidelium Eccleſiaſticarum ſæculariúmve perſonarum contulit, vel in futurum contulerit, ſeu quidquid alio modo legitimè acquiſitum fuerit, ſubtrahere ab eodem loco vel imminuere tentaverit, cum Domino JESU-CHRISTO, & Matre ipſius Judicis, & Beata Columba virgine & Martyre, cujus patrociniis idem locus munitur, in die Judicij rationem deducat, & ab Angelis Dei de medio juſtorum ſeparetur. Quiſquis verò ad ſuſtentationem inibi Deo ſervientium piam donationem intulit vel intulerit, menſuram bonam & confertam & coagitatam & ſupereffluentem remetiatur ei Dominus noſter JESUS CHRISTUS, Amen. Actum anno ab Incarnatione Domini M. C. LXXXVI.

PETRUS VENERABILIS *Abbas Cluniacenſis pro Rodulfo de Perrona benefactore ordinat Miſſas ac preces tum Cluniaci tum in toto Ordine celebrandas.*

AN. CHR. circ. 1140. XXVII. EGO frater PETRUS humilis Cluniacenſis Abbas nota facio legentibus ea quæ ſequuntur. Comes RODULFUS de Perrona, filius HUGONIS Magni fratris Philippi Regis Francorum, magnus amicus & benefactor extitit hujus in qua omnipotenti Deo ſervire optamus ſanctæ Cluniacenſis Eccleſiæ. Hic poſt reliqua bona opera ſua, quibus Deum ſibi propitiare dum incolumis viveret, laborabat, jam infirmus & morti proximus præcedentibus aliquid majus adjunxit. Nam Monaſterio de Creſpeio, quod antiquitus in eodem Creſpeij caſtro conſtructum fuerat, & Cluniacenſi Eccleſiæ ſubditum erat, tam in terris quàm in terrarum redditibus, tanta largitus eſt, ut redditus annui terrarum

illarum, mille solidorum quantitatem excederent. Præter hæc & multa alia quæ diversis ad Cluniacum pertinentibus Monasteriis delegavit, etiam ipsi Cluniacensi Monasterio quingentas argenti marcas jure testamentario donavit. Quæ ipso jam vita exempto paucis pòst diebus Cluniacum allatæ sunt, & Cluniacensi Conventui publicè in Capitulo præsentatæ.

Nolentes ergo immo vitantes tantis beneficiis ex toto apparere ingrati, communi consilio & precibus præcipimus ei duo tricenaria fieri, tres Missas ab unoquoque Sacerdotum cantari, ter septem pœnitentiales psalmos à cunctis aliis non Sacerdotibus dici; per universa Monasteria ad Cluniacum pertinentia, ubi ordo tenetur, tricenaria celebrari, ab aliis Sacerdotibus tricenaria non facientibus duas Missas absque exceptione aliqua celebrari. Super hæc omnia, quod rarò cuilibet conceditur, datum est ei & anniversarium solemne, sicut uni post Imperatores & Reges de majoribus amicis & benefactoribus nostris. Ut autem sciatur cujusmodi sit hoc anniversarium, die qua illud celebrandum est, fiet pro eo generale officium in Conventu cum Missa similiter publica fratres universi Sacerdotalis ordinis Cluniaci morantes, eadem die Missam pro ipsius salute celebrabunt, alij psalmum *Miserere mei Deus* dicent, & tredecim pauperes reficientur. Annuale insuper Missarum, hoc est anno integro quotidiana Missa pro eo celebrabitur. Facta sunt ista ut omnipotens miserator per immensam misericordiam suam ejus misereatur, & à sorte impiorum ereptum, eum numero suorum associet, & felicis ac sempiternæ vitæ participem facere dignetur, Amen, Amen.



CHARTA FUNDATIONIS
S. Bartholomæi Apoſtoli in Alnienſi pago ſub Hyenſi Prioratu.

An. Chr. 1151. XXVIII. TEMPORIBUS LUDOVICI Regis minoris, filij LUDOVICI Magni Regis Francorum, qui mortuo GUILLELMO Pictavorum Comite apud ſanctum Jacobum, filiam ipſius conſilio & voluntate patris cum Conſulatu Pictavienſi, & Aquitanorum Ducatu ſibi conjugio copulavit. Inſurrexerunt in Pago Alnienſi duo viri conſanguinei Elbo de Maleone & Gofridus de Rupeforti cum filiis ſceleratis, filiis, inquam, Belial, diſperdentes totam terram & interficientes homines, & caſtrum Julii ſupra mare poſitum cum viris & munitionibus nihilominus poſſidere cupientes. Hoc igitur caſtrum cum adiacenti patria dominus ISAMBERTUS vir per omnia pacificus iure paterno poſſederat, quoadusque prædictus Comes invidiæ ſtimulo agitatus clandeſtina obſidione exinde quaſi idem illum expulerat. Et quoniam præfati duo viri Elboſius & Gofridus videbantur eſſe de genere & familia ipſius Iſamberti, adeuntes Ludovicum Regem impetraverunt ab eo tam verbis pacificis, quàm armis dominium totius terræ, retenta ab eo dumtaxat munitione caſtri Julii, cum medietate redituum Rochellæ.

Deinde duobus his pacificatis, qui priùs diſcordiam inter ſe propter eandem poſſeſſionem habuerant, ſiluit terra in conſpectu eorum à præliis. Et dum pacificè dominarentur in territorio Abaiſienſi, multitudo hominum tam indigěnarum, quàm advenarum ex diverſis orbis partibus illuc per terram & mare applicantium poſtulaverunt à prædictis dominis ad habitandum campum Guillelmi de Syre, qui erat villæ & portæ contiguus. Quia enim grave erat eis propter viæ longitudinem adire parrochialem Eccleſiam

sanctæ Mariæ de Connia, in superiori parte ipsius villæ sitam, postulaverunt sibi in Campo prædicto Ecclesiam fieri in honore sancti Bartholomæi Apostoli. Prænominati igitur duo viri eorum petitioni acquiescentes convenerunt Priorem Ayensem, Guillelmum videlicet, póstque & alios fratres suos ad quorum jus spectabat Parrochia matris Ecclesiæ totius Rochellæ, precantes ut commodam, ubi dictum est, ædificarent Ecclesiam: Et ad ædificium operis urgendum, largiti sunt Monachis viginti cubitos terræ in longitudine & totidem in latitudine, ubi Guillelmus Prior instantibus fratribus cœpit ædificare Ecclesiam per manum Petri de Mogono Monachi sui, cui hoc opus pro remedio animæ suæ injunxerat. Unde iratus BERNARDUS Xantonensis Episcopus, in cujus Diœcesi est Rochella, prædictum opus Guillelmo Priori interdixit. Qua de causa Guillelmus Prior consilio fratrum suorum cum Domno Abbate Cluniacensi perrexit, & Papæ Eugenio apud Signiam civitatem tunc constituto, rem gestam exponens, licentiam & concessum & libertatem ædificandi Ecclesiam sicut volebat ab eodem Papa obtinuit. Insuper ad confirmationem rei litteras Apostolicas ad Xantonensem Pontificem destinatas revexit, datas anno M. C. LII. Signiæ X. Kal. Martij.

IUDICIUM LUDOVICI VII. *Regis Francorum, quo* GODEFRIDO *Lingonensi Episcopo ablata ab* HUGONE *Burgundiæ Duce restituuntur.* Ernii D. d'Hionval.

XXIX. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Amen. Ego Ludovicus Dei gratiâ Rex Francorum & Dux Aquitanorum. Regiæ sublimitatis est officium eos qui justitiam subterfugiunt humiliare, subditos & obedientes exaltare, & eisdem ad integrum conservare jus suum. Notum igitur fieri volu- AN. CHR. 1153.

mus tam præsentibus quàm futuris, qualiter GODEFRIDUS Lingonensis Episcopus & ODO Dux Burgundiæ in curia nostra placitaverint, & ad quem finem res perducta fuerit. Igitur ad præfixum illis à nobis diem apud Moretum venientes, congregatis multis Archiepiscopis, Episcopis atque Baronibus in præsentia nostra, Episcopus sic exorsus est:

In primo quæro à Domino Duce quare cùm casatus sancti Mammetis homo noster esset, & bona in feodum inde haberet, placuit ei hominium nostrum derelinquere, quatenus feodum reddat, & quidquid præterea de eo accepit. Quæro etiam quæ mihi abstulit in Castellione capiendo Presbyteros aliósque homines nostros, & res nostras, incendendo etiam villam quæ vocatur OCE. Quæro etiam quidquid forisfecit mihi HUGO Dacels & socii ejus, eamdem villam & alias incendendo, homines nostros occidendo, aliáque multa mala inferendo. Quia illud se mihi redditurum per manum Domini Abbatis Clarevallis promisit, quando ei homines suos quos captos tenebam reddidi. Quidquid etiam ipse HUGO & complices ejus infra respectum quem dominus Dux mihi de eis dederat, forisfecerunt. Quæro dimidium pedagii quod accipit in Castellione, quia sine me ibi nihil debet habere; molendina etiam quæ super terram sancti Mammetis violenter & sub excommunicatione fuerunt, sunt, & tenentur. Varennas quoque & alia multa, quæ contra me exercent in ipso castro ipse & ministri ejus in nos contumelias, capitalia damna, & hæc in præsenti nominamus. Quæro etiam villam Brasi, & aliam quæ dicitur sanctus Johannes, quas in vadimonio tenet sine assensu nostro, cùm sint de nostro feodo. Quæro etiam ut novos muros Divioni destruat, quia Abbatias nostras nobis excludunt, & super terram nostram fiunt, & contra castella nostra scilicet Sals & Tilicastrum, turrim etiam villaris, quia nociva est nobis, & super casamentum nostrum fundata, & contra castrum Burgi. Quæro etiam

capitalia

capitalia quæ aufert Canonicis nostris in pago Divionensi, & in exitu portarum ejus, & damna quæ infert Abbatiis nostris.

E contra Dux : Ista, inquit, respondere volo, tum quia quædam facta sunt antequam homo suus essem, & postea me in hominem recepit, tum quia cùm essem homo ejus rectum mihi facere denegavit, unde & hominio ejus abrenunciavi ; sed quæro ut destruat mihi calmam & fossatum quod factum est apud Mussi.

Ad hæc, Episcopus : Quoniam homo meus, inquit, factus est bonam fidem promisit mihi, & ego bona fide recepi eum, nec ideò auferre mihi debet quæ aufert. Quòd si opus est aliquid addere, dico, quia salvis justitiis meis recepi eum. Quod verò dicit me ei rectum denegasse, non cognosco, sed veritatem dicam. Designavi ei diem in curia nostra jus faciendi & recipiendi, veni ad diem, ipse autem non venit, sed nuncios misit ut eis responderem. Mandavi iterum ut veniret in domum domini sui, renui & ego nunciis respondere. Calmam destruere nolo, tum quia frater meus eam ædificavit ipso Duce juvante : & iturus Jerosolymam in pace ab eo discessit, ut pote homo suus, tum quia in vagio * sancti Mammetis facta est, & ad eum nihil pertinet, & alia munitio in finagio ejus priùs fuit & propior Castellioni.

* *Id est,* vadio.

Ad hæc Dux : In curia Episcopi nec ego, nec antecessores mei placitaverunt, sed per nuncios, & illis solis respondere fuit consuetum.

Ad hæc Episcopus : Istud totum nihil est, quia nec ego, nec prædecessores mei numquam nunciis Ducum responderunt in placitis nisi Ducibus præsentibus, & antecessores ejus in domo ipsorum vocati multociens placitaverunt, & hîc præ manibus sunt qui avum suum in domo Episcopi Lingonensis atque aliàs placitare viderunt, & duellum in manu ejus firmare & Lingonis deducere. Similiter patrem ejus bis & ter Lingonis & Castellioni & alibi multociens. Iste

etiam Dux qui præsens est placitavit in domo mea semel & bis.

E contra Dux : Ob amorem, inquit, factum est. Ad hæc Episcopus. Non ob amorem tantùm, sed ob reverentiam dominii, & debitum hominii.

His dictis, itum est ad judicium. Sed Judices de judicio alium diem quæsierunt, & nos præfiximus alium diem. Episcopus venit, Dux commandavit. Iterum dedimus alium diem. Episcopus venit, Dux rursus commandavit. Dedimus & tertium. Episcopus venit, Dux venire contempsit : habito adhuc consilio, nuncium nostrum misimus ad Ducem qui eum reperit incolumem & equitantem, & ipsi de parte nostra nominavit quartum diem, ad quem venit Episcopus, sed Dux non veniens suum misit nuncium, qui in eo solo excusabat dominum suum non venisse, quia tantas dietas facere non poterat. His de causis iudicio Curiæ abjudicavimus Duci querelas suas, Episcopo suas reddi debere judicavimus.

Quod ut ratum sit in posterum, sigilli nostri auctoritate confirmari præcepimus. Actum Moreti anno Dominicæ Incarnationis M. C. LIII. Adstantibus in palatio nostro, quorum subtitulata sunt nomina & signa. S. GUIDONIS Buticularii, S. MATTHÆI Constabularii, S. MATTHÆI Camerarii. Testes qui affuerunt HUGO Archiepiscopus Senonensis; Episcopi, Lingonensis, THEOBALDUS Parisiensis, ALANUS Autissiodorensis, BERNARDUS Archidiaconus Parisiensis, THEODORICUS, GALERANNUS, ADAM Camerarius, & alii quamplures. Data per manum HUGONIS Cancellarii nostri.



PACTUM MATRIMONII Inter GUILLELMUM de Turre, & SEBELIAM ARNALDI de Villis-Passantis filiam.

Eruit D. d'Herouval.

XXX. NOTUM sit hominibus hæc audientibus, quòd ego BERNARDUS de Turre de Celiano, dono tibi GUILLELMO filio meo quidquid juris habeo in villa de Ciliano, vel habere debeo infra muros vel extra tam in ermis * quàm in directis, tam in hominibus quàm in feminabus, & omne jus quod pertinet ad Senornium, excepto uno locale, cum exitibus suísque regressibus, qui affrontat de circio & meridie in honore PETRI de Crucio, de Altano in honore BERNARDI sancti Johannis, qui fuit ab Aquilone in La Rocha. Præterea dono tibi tres partes totius mei honoris, quem modò habeo, & habere debeo, undecumque vel qualitercumque ad me pertineat, scilicet in terris, vineis, hortis, hortalibus, arboribus, pratis, guarricis, aquis, ductibus, & deductibus, eremis, & condirectis, tam in quæsitum, quàm ad inquirendum, & in omnibus aliis quæ nominari possunt, quæ hîc nominata non sunt, & cum hac præsenti charta, omnia supradicta tibi trado, & de meo jure in tuo dominio transmitto, & te in possessionem omnium prædictorum mitto, & in his omnibus donationem propter nuptias tibi constituo, quam tu & ego pro te facimus filiæ ARNALDI de Villis-Passantis, nomine SEBELIÆ, quam tibi in uxorem adjungo.

An. Chr. 1172.

id est *, eremis.

Et ego prædictus GUILLELMUS medietatem omnium prædictorum, quia te SEBELIA in uxorem habere cupio, in donationem propter nuptias tibi Liberísque tuis ex me progenitis dono, & si fortè te mori contigerit antequam mihi nubas, alteram sororem tuam, si tempore mortis tuæ non erit nata, per

quinquennium expectabo, cui eamdem donationem facio, quam tibi ſuperiùs feci.

Et ego BERNARDUS de Turre, ſi filius meus morietur antequam aliquam filiarum Arnaldi de Villis-Paſſantis in uxorem ducat, filiam meam in uxorem trado uni filiorum prædicti Arnaldi, quem Arnaldus voluerit, cum omni meo honore, ubicumque ſit. Et ſi fortè me, vel filios meos pœniteat, quòd Guillelmus filius meus nolit habere filiam prædicti Arnaldi, vel Guillelmo mortuo, filia mea unum filiorum prædicti Arnaldi, quem ipſe elegerit, dono tibi Arnaldo nomine pœnæ quadraginta marcas argenti, & ſi quo jure defendi poſſem, ne hanc pœnam tibi præſtarem, illi renuntio juri, & pro hac pœna omnem meum honorem jure pignoris tibi obligo.

Hæc omnia ſupraſcripta per hæc ſancta quatuor Evangelia tibi attendam. Actum eſt hoc tertio Idus Aprilis, anno Domini M. C. LXXII, regnante Rege LODOICO. Hujus rei teſtes ſunt, ADALBERTUS de Crucio, FROTARDUS de Villis-Paſſantis, PONTIUS de Villis-Paſſantis, BERNARDUS de Ciliano, PETRUS de Crucio, PETRUS Amblardi, JORDANUS de Ciliano, RAIMUNDUS Rogerii : PETRUS ſcripſit rogatus.

Eruit D. d'Herouval.

CONSUETUDINES COMMUNIÆ Urbi Sueſſionenſi conceſſæ à LUDOVICO *Craſſo Rege Francorum, confirmatæ à Ludovico Juniore, & à* PHILIPPO *Auguſto.*

AN. CHR. 1181.

XXXI. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex. Noverint univerſi quòd quondam chariſſimus avus noſter LUDOVICUS Burgenſibus Sueſſionenſibus Communiam inter ſe habendam conceſſit, & ſigilli ſui auctoritate confirmavit. Poſt cujus deceſſum pater noſter LUDOVICUS bonæ memoriæ eis eam manu-

tenuit & custodivit. Nos verò priorum patrum nostrorum vestigiis inhærentes, chartam super Communia eis à memorato avo nostro concessam, & Communiæ consuetudines sicut pater noster eas eis tenuit, concedimus & confirmamus : has videlicet :

I. Infra civitatis Suessionensis firmitates alter alteri rectè secundùm suam opinionem auxiliabitur, & nullatenus patietur quòd aliquis alicui eorum aliquid auferat, vel ei talliatam faciat, vel quidlibet de rebus ejus capiat, excepto hoc quòd homines civitatis Episcopo per tres menses de pane & de carnibus & piscibus creditionem facient. Et si Episcopus post tres menses quod ei creditum fuerit non reddiderit, nihil ei credetur, donec illud ab Episcopo persolvatur. Piscatores autem forenses nonnisi per quindecim dies ei creditionem facient, & si post quindecim dies non reddiderit, tantum de rebus Communiæ ubicumque potuerint capient, quoad quidquid Episcopo crediderint habeant.

II. Omnia forisfacta, exceptis infractione urbis, & veteri odio, quinque solidis emendabuntur : & si ab aliquo teloneum requiratur, & requisitor diem, quo illud & unde illud habere debuit minimè nominaverit, numquam ei respondebitur, & si diem nominaverit, & ille dictum ejus sola sua manu infirmare non poterit, quinque solidis emendabit.

III. Si quis sacramentum alicui facere debuerit, & ante arramitionem sacramenti se in negotium suum iturum dixerit, propter illud faciendum de itinere suo non remeabit, nec ideò incidet, sed postquam redierit convenienter submonitus sacramentum faciet.

IV. Si autem Archidiaconus aliquem implacitaverit, nisi clamator ante venerit, vel forisfactura apparuerit, non ei respondebit. Si tamen testem habuerit, contra quem accusatus defendere se non potuerit emendabit.

V. Homines etiam Communionis hujus uxores

quaſcumque voluerint, licentiâ à dominis ſuis requiſitâ, accipient, & ſi domini hoc concedere noluerint, & abſque conſenſu & conceſſione domini ſui aliquis uxorem alterius poteſtatis duxerit, & ſi dominus ſuus in eum implacitaverit, quinque tantùm ſolidis illi inde emendabit.

VI. Capitales homines cenſum debitum dominis ſuis perſoluent, ſed ſi in die conſtituto non reddiderint, quinque inde ſolidis emendabunt.

VII. Et ſi aliquis aliquam injuriam fecerit homini, qui hanc Communionem juraverit, & clamor ad Juratos inde venerit; ſi illum hominem, qui injuriam fecerit, capere potuerint, de corpore ſuo vindictam accipient, niſi forisfactum emendaverit illi cui illatum fuerit, ſecundùm judicium virorum illorum qui Communionem cuſtodierunt. Et ſi ille qui forisfactum fecerit ad aliquod receptaculum perrexerit, & homines Communiæ ad ipſum receptaculum tranſmiſerint, & domino receptaculi, vel primatibus ipſius loci queſtionem fecerint, ut de eorum inimico faciant eis rectitudinem, ſicut ſuperiùs dictum eſt, ſi ſatisfacere voluerint, rectitudinem accipient; quòd ſi facere noluerint, homines Communiæ auxiliatores erunt faciendi vindictam de corpore & pecunia ipſius qui forisfactum fecit, & hominum illius receptaculi in quo inimicus eorum erit.

VIII. Si mercator in iſtam villam ad mercatum venerit, & aliquis ei aliquid fecerit infra loricam iſtius villæ; ſi Jurati inde clamores audient, & mercator in iſta villa eum invenerit, homines Communiæ ad vindictam faciendam ſuper hoc rectè ſecundùm opinionem ſuam auxilium parabunt, niſi mercator ille de hoſtibus ſæpedictæ Communiæ fuerit. Et ſi ad aliquod receptaculum ille adverſarius perrexerit, ſi ipſe mercator vel Jurati ad eum miſerint, & ille hoſtis ſatisfaciat mercatori ſecundùm judicium eorum qui Communionem ſervaverint, vel probare & oſtendere poterit ſe illud forisfactum non feciſſe, Communiæ

sufficiet. Quòd si ille facere noluerit, si postmodùm villam intraverit, & capi poterit, de eo vindictam facient Jurati.

IX. Nemo autem præter nos & Dapiferum nostrum poterit conducere in villam Suessionensem hominem, qui forefactum fecerit homini qui hanc Communiam juraverit, nisi forisfactum emendare venerit secundùm judicium eorum qui Communiam servaverint.

X. Si Episcopus Suessionensis ignoranter adduxerit in civitatem Suessionensem hominem qui forisfactum fecerit, homini istius Communiæ postquam sibi ostensum fuerit illum esse de hostibus Communiæ, nullo modo eum postea adducet, nisi assensu illorum quibus Communia servanda incumbit, & ea vice eum reducere poterit.

XI. Pecuniam illam quam homines istius Communiæ crediderant antequam Communiam hanc jurassent, si rehabere non poterint, postquam inde justum clamorem fecerint, quærent quoquo modo poterint quomodò creditam pecuniam rehabeant. Pro illa verò pecunia quam crediderint postquam hanc Communiam juraverint, nullum hominem capient, nisi sit debitor aut fidejussor.

XII. Si extraneus homo panem aut vinum suum in villam Suessionensem causâ securitatis adduxerit, si postea inter dominum ejus & homines Communiæ discordia emerserit, quindecim dies habebit ille vendendi panem & vinum in eadem villa, & deferendi nummos & aliam pecuniam suam præter panem & vinum, nisi ille forisfactum fecerit, vel fuerit cum illis qui fecerint.

XIII. Nemo de villa prælibata, qui hanc Communiam juraverit, credet pecuniam suam vel commodabit hostibus Communiæ quamdiu guerra duraverit. Et si quis probatus fuerit credidisse aliquid hostibus Communiæ, justitia de eo fiet ad judicium eorum qui Communiam servabunt.

XIV. Si aliquando homines Communiæ contra

hostes suos exierint, nullus de Communia loquetur cum hostibus Communiæ, nisi licentiâ custodum Communiæ. Ad hoc statuti homines jurabunt, quòd neminem propter amorem seu propter odium deportabunt, seu gravabunt, & quod rectum judicium facient secundùm suam æstimationem. Omnes alij jurabunt quòd idem judicium quod prædicti statuti super eos fecerint, & patientur & concedent, nisi potuerint probare quòd de censu proprio nequeant persolvere.

XV. Universi homines infra murum civitatis, & extra in suburbio commorantes, in cujuscumque terra commorentur, Communionem jurent : qui verò jurare noluerit, illi qui juraverunt de domo ipsius & de pecunia justitiam facient.

XVI. Si quis etiam de Communione aliquid forisfecerit, & per Juratos emendare noluerit, homines Communiæ exinde facient justitiam.

XVII. Si quis verò ad sonum factum pro congreganda Communia non venerit, duodecim denariis emendabit.

XVIII. Præter has consuetudines à patribus nostris eis concessas & indultas concedimus, ut nullus infra ambitum villæ Suessionum aliquid possit capere, nisi Major & Jurati quamdiu de eo justitiam facere voluerint. Et si aliquis de Communia nobis aliquid forisfecit, oportebit ut nos in Curia Episcopi Suessionensis per Majorem villæ ad judicium Juratorum justitiam de eo capiamus, nec eos extra prædictam Curiam vel placitare, vel chartam monstrare compellere poterimus, nec cuiquam licebit ab aliquo vel ab aliqua de Communia manum mortuam exigere.

Has itaque consuetudines prætaxatas, & eas quæ ab avo nostro eis concessæ fuerunt, & confirmatæ salvo jure nostro & Episcopi, & dominorum & Ecclesiarum, quæ in prædicta villa aliquid juris habent, concedimus & confirmamus. Quæ omnia ut perpetuum robur obtineant &c. præcepimus confirmari.

Actum

Actum Suession. anno Incarnationis Dominicæ M. C. octogesimo Primo, Regni nostri secundo. Data per manum HUGONIS Cancellarij.

USUS ET CONSUETUDINES *Tornacensis Communiæ à* PHILIPPO II. *Rege Francorum ordinatæ.*

Eruit D. d'Herouval.

XXXII. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex. Quoniam Regum interest ad ea quæ pacis sunt intendere, id quod in bono zelo gerimus litterarum apicibus duximus annotandum, & vivacis scripti memoriæ commendandum. Noverint itaque universi præsentes pariter & futuri, quoniam Burgensibus nostris Tornacensibus pacis institutionem & Communiam dedimus & concessimus ad eosdem usus & consuetudines, quas dicti Burgenses tenuerant ante institutionem Communiæ. Hæ autem sunt consuetudines. AN. CHR. 1187.

I. Si quis aliquem hominem de Communia Tornacensi infra civitatem Tornaci vel extrà occiderit, & captus fuerit, capite plectetur, & domus ejus, si aliquam habuerit diruetur, quidquid residuum habet interfector infra justitiam Communiæ Tornac. debet Communia habere, & si interfector evaserit, civitatem Tornac. intrare non poterit, quousque parentibus interfecti fuerit reconciliatus, & emendationem decem librarum Communiæ fecerit.

II. Si aliquis super alicujus morte fuerit accusatus, & per legitimos testes illum occidisse probari non poterit, judicio aquæ frigidæ innocentiam suam purgabit.

Si aliquis aliquem percusserit, & querimonia inde facta fuerit, quocumque modo eum percusserit, si constans fuerit, centum solidis emendabit, percusso XLVIII. Communiæ XLII. & si constans non

fuerit, tertia manu se purgare debebit.

III. Si verò aliquis de nocte, sive de die armis molutis aliquem vulneraverit, & vulneratus testes super hoc habuerit, percussor decem libras dabit, centum solidos percusso, & centum solidos Communiæ; si autem testes non habuerit, & de die factum fuerit, septima manu se purgabit, si verò de nocte, judicio aquæ frigidæ.

IV. Si aliquis propter odium aut rancorem aliquem habuerit suspectum, & Præposito Communiæ hoc intimaverit, Præpositus ei securitatem fieri faciet juramento accepto ab eo; & si suspectus coram Præposito non fecerit securitatem, ipse & omnia sua in voluntate Communiæ debent remanere, & si nihil habuerit, inimicus erit civitatis.

V. Si aliquis extraneus, qui de Communia non fuerit, homini de Communia fecerit assultum, vicini sui eum juvare debent; quod nisi fecerint, Præpositus super eos clamare debet dedecus civitatis, & quidquid de eo fecerint, nullum debent adversùs civitatem incurrere forisfactum.

VI. Si homo alij homini infra justitiam Communiæ fecerit assultum, Præpositus accedens utrimque pacem teneri jubebit, & si neuter eorum pacem tenere voluerit pro ipso, & hoc duobus Juratis, vel duobus hominibus de Communia constiterit, uterque decem libras dabit Communiæ. Similiter quilibet qui assultui intererit, & Præpositi præceptum non fecerit, emendationem decem librarum dabit Communiæ. Si verò Præposito in Legem villæ incedenti aliquis turpia fecerit, emendationem decem librarum ad opus Communiæ dabit.

VII. Si quis alicujus domum assilierit, & ille cui fit assultus assiliendo *, defendendo se, assultúmque repellendo, occiderit, nihil super hoc emendabit Communiæ.

i. * assilientem.

VIII. Si aliquis convicia dixerit alicui, & per testes legitimos fuerit convictus, quadraginta solidos

dabit contumeliam paſſo XVIII, & Communiæ XXII.

IX. Si aliquis aliquem pulſaverit iracundè aut traxerit, & ſuper hoc teſtibus convinci potuerit, quinquaginta ſolidorum faciet emendationem, tracto vel pulſato XXIII, Communiæ XXVII. Et ſi non fuerit convictus, tertia manu ſuam faciet purgationem. Qui per iram enſem ſuper aliquem in villa traxerit, ſi Præpoſitus de eo querimoniam faciens teſtes legitimos habuerit, quadraginta ſolidos de illo habebit Communia, & ſi Præpoſitus teſtes non habuerit, tertia manu ſe purgabit accuſatus.

X. Si aliquis alicui ponens inſidias, ipſum cœno vel luto involuerit, Præpoſitus & Jurati veritate intellecta à viris ſive à feminis, ipſum ad ſolutionem decem librarum Communiæ compellent pro emendatione forisfacti, ſi convictus fuerit, & illas decem libras infra quindecim dies perſolvere, aut villam relinquere oportebit, & ſi villam interim intraverit & captus fuerit, uno membro truncabitur : ille autem cui hoc dedecus factum eſt, ſi voluerit querimoniam facere, poterit, & juſtitia fiet illi.

XI. Si verò aliquis alicui unum membrorum ſuorum abſtulerit, & captus fuerit, tale corporis ſui membrum amittet, ſi verò priùs parentibus reconciliari potuerit, centum ſolidos Communiæ perſolvet.

XII. In emendationibus forisfactorum habebunt Caſtellanus & Advocatus portionem ſuam ad judicium Juratorum.

XIII. Si aliquis cum latrocinio in villa captus fuerit, Communia de eo faciet juſtitiam. Qui verò per veram famam de latrocinio fuerit accuſatus, per tres annos inbannitus villam relinquet, & ſi interim redierit, juſtitiam de eo Communia faciet.

XIV. Si aliquis puer aliquem puerum caſu occiderit, conſiderationi Præpoſiti & Juratorum debet relinqui, utrum puer debeat ſolvere pœnas, aut immunis delicti remanere.

XV. Si homo Communiæ fuerit ſuper falſo convictus teſtimonio, Communiam debet amittere, quouſque per voluntatem Præpoſiti & Juratorum poſſit eam ſibi recuperare.

XVI. Si miles alicui civium Tornac. debito obligatus tenetur, & civis Præpoſito ſuper hoc querimoniam fecerit, Præpoſitus militem ad diem citare debet, quòd juſtum de milite fecerit clamorem, & ſi ſuper hoc duorum Juratorum habuerit teſtimonium, querelam ſuam adverſùs militem obtinebit, & ſi teſtimonio caruerit, miles tertia manu militum ſe nihil ei debere juramento purgabit. Poſtquam autem civis clamorem ſuum obtinuerit, ſi miles infra villam manens ſit, Præpoſitus res ipſius militis pro debito ad opus civis debet ſaiſire, & donec ſatisfecerit detinere: ſi verò extra villam manſerit, villæ communio ipſi debet interdici. Ex tunc autem civis ubicumque poterit de ſuo tantum accipiat, quod ſuum poſſit debitum recuperare. Si verò miles ad diem nominatum occaſionem prætendens rationabilem venire non poterit ad diem prænominatum, ante diem ſibi præfixum ſuam excuſationem Præpoſito inſinuabit, à quo alius ei dies præfigetur, & poſt illum diem, tertius, ad quem, vel eum, vel pro eo reſponſalem venire oportebit. Præpoſitus autem militem infra villam conducere poterit, quouſque coram Juratis à cive ei inhibitum fuerit.

XVII. Si miles hominem feodatum in civitate habuerit, ipſe homo eum in hoſpitio ſuo de jure recipere poterit, ſed ei nec creditionem nec vicinagium faciet.

XVIII. Si fortè Caſtellanus, ſive Advocatus, aut eorum ſervientes res civium violenter abſtulerint, Præpoſitus eos ad diem citabit, ſi ad diem venire noluerint ſatisfacturi, Præpoſitus eorum res, quæ ad Communiam pertinent, ſaiſire debet, quouſque ſatisfactionem fecerint condignam.

XIX. Si quis Crucem, Dominicum viſitaturus ſe-

pulcrum acceperit, occasione crucis non remanebit, quin eum oporteat jura civitatis & consuetudines observare secundùm omnes divitias suas, propter has quas secum deferet ad servitium Dei.

XX. Quislibet homo legitimus de quacumque terra fuerit, si in civitatem venerit, & ibi manere voluerit, licitum erit ei, ut consuetudines civitatis observet.

XXI. Nemo civium alium civem ad duellum provocare poterit.

XXII. Quicumque uxorem alicujus hominis infra civitatem manentis abduxerit, inbannitus civitatem per septem annos relinquat, si postea reconciliatus redeat, res illius hominis quas cum muliere asportavit ex integro ei restituat.

XXIII. Quicumque puellam vi oppresserit, si constans fuerit, per septem annos inbanniri debet, & si de voluntate ipsius & parentum suorum eam uxorem ducere voluerit, ei liceat.

XXIV. Quicumque hominem occiderit, & ad Ecclesiam confugerit, Ecclesia ei garandiam conferre non poterit.

XXV. Quicumque fecerit injuriam in aqua Tornac. viæ ipsius aquæ catena debent recludi, quousque injuria fuerit emendata.

XXVI. Cùm Præpositus & Jurati, & ceteri homines Communiæ propter negotia civitatis per civitatem ïerint, quicumque alicui eorum convicia dixerit, & convictus fuerit, quadraginta solidis illud Communiæ emendabit. Ille verò cui convicium dictum est si clamorem fecerit, justitia fiet ei.

XXVII. Emendationes forisfactorum de Communia debent custodire per annum quatuor Jurati, & quatuor qui nec sint Jurati nec Scabini, super hoc sacramentum facientes, & utraque pars suum habeat clericum. Illos verò qui nec Jurati sunt nec Scabini, eligant homines de Communia, Juratos instituant Jurati.

XXVIII. In Communia Tornac. debent haberi

triginta Jurati, de quibus duo erunt Præpositi, & cùm unus vel duo, vel plures ex illis triginta decesserint, superstites Jurati numerum de aliis suppleant supradictum.

XXIX. Charitatem beati Christophori, & calidos furnos, & excubias debent custodire quinque homines legitimi, qui nec Scabini, nec Jurati, & duo Scabini, quorum alter citra aquam, reliquus ultra aquam esse debet, & quidam Præpositus qui de triginta Juratis erit assumptus. Prædicti quinque homines legitimi jurare debent, quòd de emendationibus charitatis, calidorum furnorum & excubiarum ultra quinque solidos non expendent nisi ad usus villæ communes, & isti quinque emendationes, & eorum scripta debent custodire.

XXX. Si tallia debeat in villa fieri ultra quadringentas libras secundùm valentiam cujusque hominis quam habet, accipi debet id quod excedit quadringentas libras, si summa talliæ non excedit quadringentas libras, ad arbitrium proborum hominum villæ imponetur. Hanc autem talliam colligere debent legitimi viri parrochiarum, qui nec sint Scabini nec Jurati, & cum eis sex Jurati, & sint in parrochia & omnes similiter parrochiæ Scabini. Numerus autem colligentium talliam, scilicet, inter legitimos homines & Scabinos & Juratos, debent esse viginti, de qualibet parrochia quatuor homines, qui nec sint Scabini nec Jurati, debent talliam custodire.

XXXI. Homines de parrochia sancti Bricij debent esse de Communia Tornac. & de consuetudinibus Tornac. exceptis hominibus de Brolio, & de Romegnies.

Has itaque prænominatas consuetudines, & si quas alias obliviosè omisimus, quas Tornacenses habere soleant & debeant, ipsis in perpetuum inviolabiliter & in pace observandas, sicuti hucusque dignoscuntur observasse, concedimus ad recordationem Juratorum, salvo jure Ecclesiarum, Castellani, & Advocati,

& Dominorum Monetæ & *Maeriæ* *, & nobilium virorum circummanentium, & easdem eis per Droconem de Vilon militem nostrum assecurari fecimus. Propter hoc autem quotiescumque servientes Communiarum nostrarum in nostrum mittemus servitium, homines de Tornaco mittent in nostrum servitium trecentos pedites bene armatos, si Præcepto nostro vel successorum nostrorum Regum Franciæ fuerint inde requisiti.

* *Id est* Majoriæ *sive* Majoratus, *Mairie.*

Si verò versùs Artesiam cum exercitu venerimus nos vel successores nostri, tota Communia Tornaci ùsque ad eumdem locum vel usque ad æque remotum locum citra Tornacum nobis occurrere debet, si absque impedimento illuc usque potuerit pervenire; & hoc servitium nobis faciendo homines Tornaci erunt quitti & liberi ab omnibus aliis consuetudinibus à nobis & heredibus nostris Regibus Franciæ, & nos eos in jure suo adjuvare tenebimur.

XXXII. Præterea eisdem hominibus concessimus, ut campanam habeant in civitate in loco idoneo ad pulsandum ad voluntatem eorumdem pro negotiis villæ.

Quæ omnia ut rata permaneant & inconcussa, præsentem chartam &c. præcepimus confirmari. Actum Parisius anno Domini M. C. LXXX. VII. Regni IX. Adstantibus &c. Data Vacante Cancellaria.

PHILIPPUS FLANDRIÆ & Viromandensis Comes confirmat leges & consuetudines amicitiæ Ariensium in Artesia.

Communicavit D. de Rebeque.

XXXIII. IN nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Ego Philippus Flandriæ & Veromandiæ Comes præsentibus & futuris. Peregrinaturi ob terram sanctam in qua nos Filius Dei pretio sanguinis sui de potestate diaboli liberavit, ministerio

AN. CHR. 1188.

noſtro ſi dignabitur, ſed virtute ſua ab immunda gente liberandam; dignum duximus hominibus terræ noſtræ libertatem & immunitatem, quam eis anteceſſores noſtri retro Principes indulſerunt, conſervare & confirmare. Super hac igitur re adeuntibus nos burgenſibus Ariæ ut legibus & conſuetudinibus approbatis liberè uterentur, quas ob injurias hominum perverſorum propulſandas illuſtris Comes Robertus, & Clementia Comitiſſa, & Carolus Comes, & Guillelmus ſucceſſor ejus, & piæ memoriæ Theodoricus Comes pater meus eis indulſerant: Nos quoque eiſdem, ut pote quos erga nos devotiores æſtimamus, eaſdem leges vel conſuetudines tenendas & obſervandas libentiſſimè indulgemus.

I. In amicitia igitur ſunt duodecim ſelecti Judices, qui fide & juramento firmaverunt, quoniam in judicio non accipient perſonam pauperis, vel divitis, nobilis vel ignobilis, proximi vel extranei. Omnes autem ad amicitiam pertinentes villæ per fidem & ſacramentum firmaverunt, quòd unus ſubveniet alteri tamquam fratri ſuo in utili & honeſto.

II. Quòd ſi unus in alium aliquid admiſerit verbo vel facto ſuâ illius qui læditur culpâ, non accipiet ultionem per ſe vel per ſuos qui læſus eſt, ſed apud Præfectum domini Comitis conqueretur, ſi negotium ad eum attinet, ne domino Comiti jus ſuum depereat; & reus arbitriò duodecim Judicum ſelectorum admiſſum emendabit.

III. Et ſi unus in alium aliquid admiſerit verbo vel damno, ſimiliter non accipiet ultionem per ſe vel per ſuos qui læſus eſt, ſed apud Præfectum amicitiæ conqueretur, ſi negotium ad eum attinet, & reus arbitrio duodecim Judicum ſelectorum admiſſum emendabit. Quod quidem arbitrium ſi lædens, vel læſus, ſequi tertiò admonitus noluerit, ipſe & qui eum in hac pertinacia foverit, reus & perjurus contra utile & honeſtum amicitiæ quod juraverat vadens, ab amicitia communi ejicietur, & amicitiæ in tribus libris

nummorum

nummorum condemnabitur, reliquum ſubſtantiæ ejus domini Comitis & Caſtellani erit.

IV. De turpi convicio quinque ſolidos Præfecto Amicitiæ, & amico contumeliato infra octo dies dabit; quòd ſi primam hebdomadam illos quinque ſolidos non ſolvens neglexerit, in ſecunda hebdomada duplicabit, in tertia verò ſeptimana triplicabit; ſi autem hoc totum trangreſſus fuerit, reus & perjurus ab amicitia pelletur, & de ſua ſubſtantia tres libras habebit communiter Amicitia, & totum quod erit reſiduum Comes & Caſtellanus.

V. Quòd ſi aliquis ſuum conjuratum occiderit, infra quadraginta dies nullus amicorum mortui, niſi eo præſente interfectus fuerit, poteſt de eo ultionem accipere, vel eum qui interfecit de amicitia pellere; ſed niſi infra quadraginta dies ſecundùm judicium ſelectorum judicum mortem amici emendaverit, & niſi parentibus ſatisfecerit, ab amicitia pelletur reus & perjurus, & de rebus illius tres libras habebit communiter amicitia, & totum quod remanet Comes & Caſtellanus. Et ſi duodecim judicaverint, per Comitem & Caſtellanum domus illius diruetur; ſi verò amici mortui emendationem judicatam nolunt accipere, eidem ſubjacebunt culpæ, quòd tres libras dabunt, & de amicitia pellentur.

VI. Quòd ſi aliquis de amicitia res ſuas perdiderit, vel per furtum vel per rapinam, & ipſe certa veſtigia de re perdita invenerit, ad amicitiæ Præfectum querimoniam faciet, qui convocatis villæ amicis rem perditam inveſtigabit itinere unius diei in eundo & redeundo, qui autem ire neglexerit, quinque ſolidos amicitiæ infra hebdomadam dabit.

VII. Si autem ille qui non fuerit de amicitia aliquid homini de amicitia abſtulerit, Præfectus amicitiæ auditâ querimoniâ, adhibitis teſtibus, conveniet eum qui abſtulit, & ſi non compoſuerit cum illo cui rem abſtulit, res villæ venalis ei interdicetur.

VIII. Milites autem & Vavaſſores de amicitia

exiſtentes, qui tallias & exactiones villæ per ſuggeſtionem Præfecti amicitiæ ſolvere noluerint, ſi amico ſuo aliquid abſtulerint, tamquam extranei eidem ſubjacebunt damno, quòd res venalis villæ eis interdicetur. Et quicumque poſt bannum factum eis aliquid vendiderit, vel ab eis emerit, aut in hoſpitio receperit; ſi per duos de amicis inde convinci poterit, quinque ſolidos amicitiæ communiter dabit, & amico ſuo reſtituet. Hæc erit lex univerſalis de omnibus quæ auferentur.

IX. Quòd ſi quis, qui non eſt de amicitia turbâ parentum fretus homini de amicitia injuriam in verbo vel facto fecerit, ille ad amicitiæ Præfectum conqueretur, & niſi culpabilis ad honorem illius in quem peccavit emendaverit, & emendationem arbitrio duodecim judicum ſelectorum Præfecto Comitis & amicitiæ ſoluerit, res venalis villæ ei interdicetur, donec ei ſe compoſuerit; & ſi quis poſt bannum factum ei aliquid vendiderit, vel ab eo emerit, & inde convinci poterit, amicitiæ communiter quinque ſolidos infra octo dies dabit.

X. Si verò tumultus in villa evenerit, qui de amicitia eſt & ad tumultum auditum non venerit & auxilium non feret pleno corde prout tempus dictaverit, amicitiæ communitati quinque ſolidos infra octo dies dabit.

XI. Si verò homo qui non eſt de amicitia amicum villæ vulneraverit, vel etiam occiderit, & de villa fugerit & capi non potuerit, quandocumque ſive poſt annum, ſive poſt duos, vel tres annos, aut plures, ab amicis villæ poterit teneri, ſtatim Præfecto Comitis præſentetur, ipſis graviter conquerentibus, & una voce deprecantibus, ut ſecundùm arbitrium judicum ſelectorum ultionem de eo faciat: Et ſi fortè eum occiderint, nullum foriſfactum ab eis Comes exigere poterit; & ſi quis ad capiendum illum ſe ſubtraxerit, amicitiæ viginti ſolidos infra octo dies dabit, & quadraginta ſolidos Comiti & Caſtellano.

XII. Omnis qui ad forum villæ venerit, nisi sit homicida de amicis villæ, pro honore Comitis, & pro utilitate villæ salvus sit eundo & redeundo in die fori, si inducias à Præfecto Comitis & Præfecto amicitiæ postulaverit. Homicida verò de amicis villæ ad forum veniens, statim sicut supra dictum est capiatur, & Præfecto Comitis præsentetur, & qui se subtraxerit viginti solidos de rebus suis amicitia communiter habebit, & quadraginta solidos Comes & Castellanus.

XIII. Clerici non cogentur inferre ultionem nisi de debitis.

XIV. Si verò alicui domus sua combusta fuerit, vel aliquis captus se redimendo attenuatus fuerit, unusquisque pauperato amico nummum unum in auxilium dabit.

XV. Præterea sciendum est, quòd lex amicitiæ jus Comitis non destruit, nec amicitiæ legem delet jus Comitis; nam quocumque modo amicus in amicum forisfaciens se composuerit, si contumeliato amico visum fuerit, ab amicitiæ lege suam emendationem habebit.

XVI. Has igitur leges & consuetudines amicitiæ Ariensium, & si quid meliorari potest consilio duodecim judicum selectorum ad honorem & utilitatem totius villæ, salva fidelitate Comitis, sicut antecessores nostri concesserunt & confirmaverunt, nos quoque eis concedimus, & sigilli nostri appensione confirmamus.

XVII. Præterea terram illam pascualem, quæ est inter Belti & Lambres, quam prædicti Burgenses à domino ROBERTO Comite & CLEMENTIA Comitissa prece & pretio sicut eorum scripto edocemur obtinuerunt, eisdem Burgensibus nostris in perpetuum liberam & immunem in communem possessionem confirmamus.

Actum est hoc anno Domini M. C. LXXXVIII. apud Ariam sub his testibus. Signum GERARDI Brugensis Præpositi, S. GERARDI Insulensis Præpositi, S. RO-

BERTI Betunienſis Advocati, S. JOHANNIS Inſulenſis Caſtellani, S. WILLELMI Audomarenſis Caſtellani, S. GILLEBERTI Bergenſis Caſtellani, S. RASSONIS de Gavera, S. BALDEVINI de Aria, S. GILLEBERTI de Aria, S. RENALDI de Aria, S. BALDUINI Flael.

Eruit D. d'Herouval.

PACTUM MATRIMONII Inter BERNARDUM *Convenarum Comitem, &* MARIAM *filiam* GUILLELMI *Domini Montiſpeſſulani.*

AN. CHR. 1197.

Partim edidit Gariel. in Ser e Præſul. Magal. pag. 173.

XXXIV. CUM maſculi & feminæ conjunctio à jure naturali, & ex divino præcepto deſcendat, & ob hanc rem donationes à muliere vel ex parte mulieris intervenire ſoleant ad matrimonium obſervandum, & propter onera matrimonii leviùs ſuſtinenda. Ideo in Dei nomine ego GUILLELMUS dominus Dei gratiâ Montiſpeſſulani, filius quondam MATHILDIS Duciſſæ, collocans filiam meam MARIAM in matrimonium tibi BERNARDO Comiti Convenarum, dono tibi cum ea ducentas marcas argenti fini & ornamenta nuptialia.

Qua de cauſa in Chriſti nomine ego BERNARDUS Comes Convenarum accipiens te MARIAM in legitimam uxorem, & me tradens tibi in virum legitimum, dono & concedo tibi in donatione propter nuptias totum caſtrum de Murell. * cum hominibus & feminis, & cum tota juriſdictione ſua & poteſtativo, & ſuis omnibus pertinentiis & adjacentiis, & quæ pertinere poſſunt vel debent, ita ſcilicet quòd ſi mihi ſupervixeris, habeas & teneas iſtud caſtrum in tota vita tua, & omnes fructus & redditus, inde exeuntes, tuos proprios facias & percipias ad omnes voluntates tuas plenariè faciendas. Et ſuper idem caſtrum dono & concedo tibi ipſi MARIÆ ſupradictas cc. marcas argenti fini quas tecum accepi, ita quòd

*al. * de Muret.*

fructus vel redditus inde exeuntes in sortem vel *paguam* nullatenus computentur. In quibus CC. marcis expressim renuntio exceptioni non numeratæ dotis, & etiam ex certa scientia renuntio omnibus juris auctoritatibus, quibus continetur ut dos & donatio æquis passibus ambulent. Et quamvis donatio dotem excedat, nihilominus volo ut valeat, & in eo quod excedit omni juri abrenuntio. Si verò filium ex te MARIA habuero, totam terram meam, & donationem qualiscumque sit absque ulla retentione irrevocabiliter dono & concedo in perpetuum. Et cùm filius ille natus fuerit, totam terram meam ei jurari faciam ab hominibus meis. Si verò filiam de te habuero sine libero masculo, totam terram meam qualiscumque sit, excepto Comenge, illi filiæ dono & concedo in perpetuum, & eodem modo ab hominibus meis similiter illi filiæ jurari faciam cùm nata fuerit. Ab hac tamen donatione excipio & mihi retineo Montem-desertum & Favere *, & Ceren & Gillacum; quæ castra possim donare filio meo Bernardo, quem habui ex Contores filia Arnaldi Guillelmi de Barta *, ut his sit contentus, & nihil ampliùs in terram meam petere possit.

al. *. Favare.

al. * Bertha.

Item per stipulationem tibi Mariæ promitto quòd nihil dixi, nec feci, nec dicam, nec faciam quominus toto tempore vitæ meæ te Mariam in uxorem honorificè habeam & teneam, nec aliam superinducam; sed omni tempore vitæ meæ te & liberos tuos * in magna honorificentia habebo & tenebo, & heredes mihi faciam, ut supradictum est.

al. * meos.

Et ego Maria supradicta filia Guillelmi domini Montispessulani, dono & concedo tibi Bernardo Comiti Convenarum mecum in dotem omne jus & actionem, quam habeo vel habere possum vel debeo contra res vel heredes Barralis quondam mariti mei, nomine vel occasione dotis vel relicti, quod mihi Barralis debebat, vel quod mihi reliquerat usque ad quantitatem trecentarum marcarum argenti. Et cum

hac charta in veritate profiteor, quòd pater meus Guillelmus dominus Montispessulani tibi dicto Comiti marito meo dedit supradictas cc. marcas mecum in dotem, quæ fuerunt solutæ nomine illarum quingentarum marcarum, quas Barralis in testamento suo reliquerat. In quibus cc. marcis profiteor ego Maria quòd continentur illæ centum marcæ quas pater meus Guillelmus dominus Montispessulani olim dedit Barrali mecum in dotem.

Et ego Bernardus Comes Convenarum has quingentas marcas supradictas dono, laudo & concedo tibi Mariæ uxori meæ, & tuis fructibus in sortem non computatis super dictum castrum de Murel cum suis omnibus pertinentiis, & quæ pertinere debent. Totum hoc ita tenebo & observabo sine omni dolo, sic Deus me adjuvet, & hæc sancta quatuor Dei Evangelia.

De his omnibus & singulis supradictis ex parte Comitis Convenarum est firmantia & debitor per sacramentum corporaliter præstitum Raimundus Comes Tolosæ Dux Narbonæ & Marchio Provinciæ, dictæ Mariæ & patri suo Guillelmo domino Montispessulani, & infantibus quos Comes Convenarum ex dicta Maria habuerit. Item sunt firmantiæ & debitores de his omnibus Vitalis de Monteacuto, Ademarus de Genzac, Galterius de Nogueriis, B. de Miramon, Tignosus de Castillon: omnes per sacramentum corporaliter præstitum mandato Comitis Convenarum. Insuper B. Auxensis Archiepiscopus, R. Convenarum Episcopus, F. Tolosæ Episcopus, mandato & precibus dicti Comitis Convenarum promiserunt, & se inde obligaverunt; quòd nisi ita totum ut supradictum est Comes Convenarum attenderet, vel aliquid infringeret, ipsum excommunicent nominatim, & totam terram ejus interdicto subjiciant, donec ad plenum sit super omnibus satisfactum, & integrè emendatum ad voluntatem & notitiam dictæ Mariæ & patris sui Guillelmi Domini Montispessulani.

Itém mandato Comitis Convenarum & etiām Comitis Tolosæ sunt de omnibus supradictis firmantiæ & debitores quisque in solidum G. de Balcio, & Ugo de Baucio frater ejus, per sacramentum coporaliter præstitum, & etiam Comes Tolosæ sub eodem sacramento promisit & se inde obligavit dictæ Mariæ, & patri suo G. domino Montispessulani, quòd si Comes Convenarum omnia ista non adimpleret vel aliquid infringeret, vel ex his mutaret, ipse erit fidelis eis adjutor in guerra & placito, cum tota terra sua, & hominibus suis.

Facta est charta ista & laudata apud Montempessulanum in Camera G. Domini Montispessul. anno Dominicæ Incarnationis M. C. LXXXXVII. mense Decembri. 1197.

Horum omnium supradictorum sunt testes R. Agatensis Episcopus, G. Magalonensis Præpositus, Helias frater ejus, Rainoardus de Momolena, Rostagnus de Montarbezon, B. Lamberti, R. Albrandi, R. Lanberti nepos ejus, Magister Guido, P. Lucianus, G. de Rabastenes; P. de Concas, Berengarius nepos ejus, W. Petri, P. de Montebeliardo, Guiraldus Albrand, Jacobus Lambardus. G. de Conchis, G. de Salzeto, Randulfus Bonifacius, Ermengavus de Azillano, Ugo Puluerellus, B. Ecclesia, P. de Bisancas, G. Capion, P. Deodatus, Berangarius de Montearnaldo, G. de Albaterra, G. de Mesoa, Robolanus, P. Galuan G. de Montarbezon, P. de Porta, Bermundus Rainaldus, Raimundus D'arlens, G. Rigaldus, Jordanus de Concas, Bertrandus Vesiani Canonicus, Bertrandus Sacerdos, P. de Circio, B. Austrinus, & Guillelmus Raimundi Notarius qui hæc scripsit.

Item de his omnibus complendis ex parte Comitis Convenarum est firmantia & debitor dominus B. de Andusia, per sacramentum corporaliter præstitum. Testes sunt Ugo Puluerellus, P. Guiraldi, B. Fres-

nellus, B. Eccleſia, B. Gandalricus, Farſſire, P. Luciani, & GUILLELMUS Raimundi qui hæc ſcripſit.

Eruit D. d'Herouval.

GUILLELMUS DE TURRE & GUILLELMA *matrimonium ineunt.*

An. Chr. 1204.

XXXV. IN Dei nomine, anno nativitatis ejuſdem M. CC. IV. regnante rege Philippo, menſe Julij. Notum ſit omnibus quòd ego ALADAICIA, & ego GUILLELMUS Franchi, & ego RAIMUNDUS, & ego PETRUS fratres filij ejus, quia te GUILLELMUM de Turre volumus habere in legalem generum & cognatum, damus tibi filiam & ſororem noſtram nomine GUILLELMAM in propriam & legalem uxorem, optantes ex te & illa legales videre nepotes, & damus tibi cum ea in dote & pro omni ejus hereditate duo millia ſolidorum Melgorienſium, ex quibus redimas totum honorem de fiſcis, de pignore in quo erat; quæ duo millia ſolidorum Melgorienſium damus vobis tali pacto, quòd illa habeatis & teneatis ambo ſimul in omni vita veſtra, poſt mortem autem veſtram remaneant infanti vel infantibus ex vobis duobus pariter creatis & natis, ſi illos vobis ſuperviventes habueritis, ſi verò infantem vel infantes tales, ut diximus, vobis ſuperviventes non habueritis, & tu GUILLELMUS de Turre filiam & ſororem noſtram Guillelmam uxorem tuam ſupervixeris, damus tibi de prædictis duobus millibus ſolidis Melgorienſibus quingentos ſolidos Melgorienſes, ad omnem tuam voluntatem plenariè faciendam, & mille quingenti ſolidi Melgorienſes confeſtim debent reverti proximis dictæ GUILLELMÆ filiæ & ſorori noſtræ, vel debent habere & tenere totum honorem de fiſcis pro ſuo pignore fructibus in ſortem non computandis, tamdiu donec eis perſolvantur dicti mille & quingenti ſolidi Melgorienſes in die feſto Omnium Sanctorum.

Hæc

Hæc omnia superiùs scripta, ego dicta GUILLELMA laudo & confirmo bona fide sine ingano : & ego GUILLELMUS de Turre, quia te dictam Guillelmam volo habere in legalem uxorem, & ex te Deo dante legales cupio habere infantes, meipsum trado tibi in legalem maritum, & dono tibi in donationem propter nuptias sive in sponsalitio pro augmento mille solidos Melgorienses, tali pacto quòd illos habeamus & teneamus ambo simul in omni vita nostra, post mortem autem nostram remaneant infanti vel infantibus ex nobis duobus pariter creatis & natis, si illos nobis supervientes habuerimus, si verò infantem vel infantes tales, ut dixi, nobis superviventes non habuerimus, & tu uxor mea GUILLELMA me supervixeris, dono tibi dictos mille solidos Melgorienses ad omnem tuam voluntatem plenariè faciendam, quos illos mille solidos Melgorienses simul cum prædictis duobus mille solidis Melgoriensibus præfatæ hereditatis tuæ, quæ sunt tria millia solidorum Melgoriensium completa, laudo tibi Guillelmæ uxori meæ & tuis more pignoris super totum honorem meum de fiscis, citra & ultra fructibus in sortem non computandis, tamdiu donec tria millia solidorum Melgoriensium tibi, vel cui jusseris à BERNARDO de Vinciano, & BERNARDO, & GUILLELMO fratribus consobrinis meis in pace persolvantur in die festo Omnium Sanctorum, vel de anno in annum in isto festo Omnium Sanctorum, & teneo me bene perpacatum de omnibus prædictis duobus millibus solidis Melgoriensibus præfatæ hereditatis tuæ, sicut dictum est, integriter renuntians exceptioni non numeratæ pecuniæ & non numeratæ dotis. Et ultra hoc totum dono tibi totam cameram integriter. Hujus rei sunt testes BERNARDUS de Vinciano, & BERNARDUS frater ejus, PETRUS Raimundi de Vinciano, UGO de Ciliano & BERANGARIUS de Ciliano nepos ejus, GUILLELMUS de Salutano Notarius, CAPUSTAGNO mandatus scripsit.

Eruit D. Godefroy.

IVRA ET CONSVETVDINES CIVIBVS Attrebati concessa ab Ludovico Philippi Augusti filio, & à Roberto Comite Attrebatensi confirmata.

An. Chr. 1211. & 1268.

XXXVI. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Robertus Comes Attrebatensis excellentissimi Principis Ludovici Dei gratiâ Regis Franciæ illustris nepos, universis præsentes litteras inspecturis salutem. Noverint universi nos litteras felicis recordationis Ludovici quondam avi nostri, primogeniti quondam Philippi Dei gratiâ Regis Franciæ illustris vidisse & diligenter inspexisse, in hæc verba:

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Ludovicus domini Regis Francorum primogenitus. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quòd jura & consuetudines civium Attrebatensium perpetuò inconcussè manere decrevimus, videlicet:

I. Quicumque burgensis alium burgensem occiderit scienter sive intra villam sive extra, caput pro capite perdet, si per Scabinos convictus fuerit.

II. Quicumque membrum alij scienter abstulerit & convictus inde fuerit per Scabinos, in voluntate nostra erit vel de tali membro auferendo, vel de sexaginta libris, nisi se defendendo hoc fecerit.

III. Quicumque raptum aut homicidium fecerit, justitia nostra eum quàm citiùs poterit capiet, & submonebit Scabinos ut eum infra quadraginta dies judicent, & Scabini debent eum justè judicare infra quadraginta dies. Et si à die submonitionis usque ad quadraginta dies eum non judicaverint, judicium de eo ex tunc nostrum erit, & Scabini nobis exinde facient emendationem.

IV. Quicumque de raptu convictus fuerit per Scabinos, caput perdet, nisi mulier cui vis illata est ei voluerit nubere, & hoc de voluntate nostra.

V. Quicumque per Scabinos convictus fuerit quòd treugas infregerit de plaga ad bannileugam, caput perdet; quòd si plaga ad bannileugam non fuerit, sexaginta libras amittet: & quem scabini inde justè inculpaverint, in culpa erit; & quem justè liberaverint, liber remanebit.

VI. Quicumque alium occiderit, vel ad mortem vulneraverit, si justitiæ nostræ eum retinere volenti quispiam violentiam fecerit, in voluntate nostra erit de illo facere sicut & de eo qui forisfactum fecit, si protractum hoc fuerit per Scabinos.

VII. Si quis alij vulnus fecerit, & justitia nostra eum coram Scabinis duxerit, si Scabini viderint quòd vulnus illud non sit ad mortem, sed ad bannileugam, perdet sexaginta libras. Si verò viderint quòd possit esse ad mortem, triginta diebus observabitur, & si interim moriatur, caput pro capite. Si verò interim non moriatur, sexaginta libras amittet super se, & super suum, & de illo judicio non poterimus capere ad Scabinos.

VIII. Quicumque intra pacem civitatis infracturam fecerit de raptu, vel de furto, vel de plaga ad bannileugam, justitia nostra debet eum arrestare & coram Scabinis ducere, & ibi debet facere securitatem per considerationem Scabinorum tantum faciendi quantum Scabini judicabunt.

IX. Quicumque alium occiderit vel ad mortem vulneraverit, Major & Scabini & tota Communia debent juvare justitiam nostram ad capiendum eum, & Communia poterit eum sequi ubique infra bannileugam, sine forisfacto nostro & justitia nostra, secum acceptis circiter decem vel duodecim hominibus civitatis quos voluerit, poterit eum sequi usque ad domum ad quam fugerit, & recommendare eum & ad dominum domus, qui veniat ad justitiam.

X. Quicumque cultellum cum cuspide, vel curtam spatulam, vel misericordiam, vel aliqua arma multritoria portaverit, sexaginta libras perdet; & si inde aliquem vulneraverit, in misericordia nostra erit perdendi pugnum: & hoc de manentibus citra Oysam.

XI. Justitiæ nostræ licet in res banniti manum mittere; qui bannitus est de sexaginta libris quousque suum habeat, salvis vadiis priùs factis per Scabinos.

XII. Qui bannitum de sexaginta libris vel de morte hominis infra bannileugam occiderit, quantum ad Communiam sine forisfacto erit.

XIII. Si quis fuerit in libera domo, quem justitia nostra detinere voluerit, per dominum domus vel per se & auxilium suum arrestare poterit eum quousque Scabini veniant, & tutus eorum justo judicio debet tractari.

XIV. Si quis foraneus burgensem primò & injustè verberaverit, aut vulneraverit, vicini eum sequi poterunt & vicinum suum juvare sine forisfacto; & si ille se defendat, quidquid in eum fiat, fiat sine forisfacto.

XV. Si Miles burgensi pecunias debens se inde subdiderit legi Scabinorum coram eis, eúmque non juverit justitia nostra ab eo requisita, burgensis vadium Militis & abandon capiet intra partem civitatis sine forisfacto. Et qui post prohibitionem inde factam eum hospitatus fuerit, pecuniam solvet.

XVI. Nullus intra partem civitatis manens submoneri debet, nisi per Scabinos, & Scabini non possunt con. . :ere, quin eam * cum justitia nostra quandocùmque eos submonuerit, si justitia debet eis dicere causam submonitionis an sit rationabilis, nec ire debent nisi sit rationabilis. *f.* * etiam.

XVII. Qui per Scabinos pertractus fuerit de assultu domus, sexaginta libras perdet.

XVIII. Qui alium intra bannileugalem cum armis fugaverit, si per Scabinos pertractus fuerit, sexaginta libras perdet.

XIX. Quidquid homo faciet corpus suum defendendo, nullum forisfactum facit.

XX. Qui de Robaria pertractus fuerit per Scabinos, sexaginta libras perdet, & ei robaria reddetur qui eam amiserit.

XXI. Quamcumque concordiam bannitus faciat nobiscum, remaneat bannitus hominibus civitatis, donec sexaginta solidos eis persolverit.

XXII. Qui bannitum de sexaginta libris hospitatus fuerit, sexaginta libras perdet.

XXIII. Qui alium baculo percusserit, si per Scabinos pertractus fuerit, decem libras perdet, quarum nos centum solidos habebimus, Castellanus viginti, burgenses viginti, percussus sexaginta. Qui alium pugno vel palma percussit, seu per capillos cepit, triginta solidos perdet, videlicet percussus quinquaginta quinque solidos habebit, Castellanus decem homines civitatis quinque.

XXIV. Qui alium per capillos ad terram traginaverit, vel pedibus desolaverit, undecim libras & dimidiam perdet, videlicet nos decem libras habebimus, Castellanus decem solidos, traginatus quindecim, homines civitatis quinque.

XXV. Qui alij convitia dixerit, quinque solidos ei dabit, & justitiæ duodecim denarios.

XXVI. Qui duobus vel pluribus Scabinis treugas refutaverit, sexaginta libras perdet.

XXVII. Guerræ & discordiæ & aliqua mala si in civitate contingunt,

per Scabinos emendari poterunt ſalvo jure noſtro.

XXVIII. Qui pacem & concordiam, quam Scabini conſiderant, refutaverit, ſexaginta libras perdet, & cuique Scabinorum decem dabit.

XXIX. Qui ſuper Scabinos per malum manum miſerit, ſexaginta libras perdet.

XXX. Qui de infractura civitatis falſum teſtimonium dixerit, ſexaginta libras perdet.

XXXI. Quicumque alij pecuniam debuerit, per teſtimonium Scabinorum non poterit liber eſſe, donec creditor ipſum quitum clamaverit per Scabinos.

XXXII. Quicumque burgenſis in dolo pro damno à faciendo alicui ſuper ſe clamare fecerit, & coram Scabinis probatum fuerit, clamor iſte & totum reſiduum illius creditoribus communiter remanebit.

XXXIII. Quicumque de civitate pro debito fugerit, totum reſiduum illius creditoribus remanebit, & fugitiuus de civitate bannietur pro ſexaginta libris.

XXXIV. Nullus civium debet alium implacitare de catallo, niſi coram juſtitia noſtra & Scabinis, & ſi aliàs eum implacitaverit, liberare debet eum infra terminum à Scabinis conſtitutum: quod ſi non fecerit, ſexaginta libras perdet.

XXXV. Nullum donum, nulla venditio, nulla conceſſio, nulla inveſtitura tenebitur, niſi facta fuerit coram Scabinis.

XXXVI. Nullus Clericus adverſus laicum hereditatem ſuam petere poteſt, niſi per Advocatum ſuum & per juſtitiam noſtram & judicium Scabinorum: ſimiliter nec feodum ſuum niſi per dominum à quo deſcendit & judicio hominum ſuorum.

XXXVII. Qui forum locabit, ſexaginta ſolidos nobis dabit. Banni vini & banni venalium à ſexaginta ſolidis, & infra & banni de tremerello remanebunt hominibus civitatis.

XXXVIII. Si homo foraneus Attrebatum manere veniat, Scabinis præſentatus *, deinde quietè & ſine calumnia per diem & annum ibi manſerit, burgenſis erit in * legem civitatis habebit.

f * præſentetur.

f. * &

XXXIX. Qui foſſare debent, ad foſſatum veniant ſicut debent.

XL. Nullus accipiat denarios ex parte noſtra ad portas civitatis ad enundandum calceias, niſi burgenſis.

XLI. Quacumque hora nos voluerimus de bannitis noſtris, & de aliis rebus omnibus veritatem habebimus, ſi Scabini eam dicere ſciunt. Banniti in Flandria per veritatem, vel per Scabinos Flandrenſes de furto, vel de multro aut raptu, nominari debent Scabinis Attrebati, & ab eis banniri, & deinceps ſi in villa inveniantur capi poſſunt.

XLII. Quoniam autem quæ dicta ſunt cognitione & juſto judicio Scabinorum tractari debent,

XLIII. Præterea conceſſimus burgenſibus Attrebati Scabinos novandos ſe ſingulis quatuordecim menſibus in quatuordecim menſes: ita quòd poſt ſingulos quatuordecim menſes Scabini qui eo tempore fuerint, eligent quatuor probos & legitimos viros civitatis, priùs præſtito ſacramento quòd magis legitimos bona fide eligent; & illi quatuor eligent alios quatuor viros probos & diſcretos per ſuum ſacramentum, & iterum ſecundi quatuor eligent alios quatuor per ſuum ſacramentum ſimiliter, & iſti duodecim erunt Scabini per quatuordecim menſes, ita quòd in Scabinatu non poterunt eſſe ſimul conſanguinei germani, nec proximiores, nec ſocer, nec gener. Quicumque autem Major ſit, non poteſt habere in Scabinatu conſanguineum germanum, nec propinquiorem, nec ſocrum, nec gene-

rum, quemadmodum dictum est de Scabinis.

XLIV. Prædicti verò duodecim Scabini debent submonere de talliis suis ad hospitia sua, & isti duodecim Scabini debent eligere quatuor probos viros, qui debent recipere omnia estaamenta civitatis, & de eis debent reddere computationem Scabinis.

XLV. Fiet autem electio Scabinorum de quatuordecim mensibus in quatuordecim menses, sicut superiùs dictum est, salvo jure Majoris Attrebati quale debet habere & omnium aliorum.

XLVI. Adhuc eisdem Scabinis dedimus stratam & denarios portæ qui sunt ad calceiam faciendam, ad usus & consuetudines civitatis, salvis tamen nobis redditibus nostris & forisfactis, & justitia illius loci.

Ut autem prædicta omnia firma sint & inconcussa, sigilli nostri auctoritate & nostri nomine characteris inferius annotato præsentem paginam præcepimus confirmari. Actum Parisius anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo undecimo, regni patris anno tricesimo secundo, astantibus in palatio ejusdem patris nostri quorum nomina supposita sunt & signa, Dapifero nullo. Signum Guidonis Buticularij, S. Bartholomei Camerarij, S. Droconis Constabularij: per manum Guidonis de Atheis vacante Cancellaria. 1211.

Nos autem præfatus ROBERTUS Comes Attrebatensis ea omnia & singula quæ præmissa sunt volumus, laudamus, ac etiam approbamus, salvis tamen nobis, heredibus & successoribus nostris justitiis, redditibus, redevantiis & expletis nostris, & omnium alio jure nostro.

XLVII. Præterea villæ nostræ Attrebatensi & Scabinis ejusdem villæ concedimus cognitionem & judicium multri, incendij, & totius altæ & bassæ justitiæ infra judicium Scabinorum, salvis nobis expletis, emendis & forisfactis nostris in omnibns supradictis.

XLVIII. Concedimus etiam eisdem, ut statutum quod de nostro eorúmque consensu factum fuit de talliis per juramentum perpetuò apud Attrebatum faciendis, & de emendis levandis ab hiis qui de suis facultatibus veritatem non dicerent, firmum & stabile amodò permaneat sine contradictione aliqua teneatur

XLIX. Volumus autem & concedimus eisdem, ut omnes qui pro tempore Scabini Attrebatenses erunt in posterum, in primo ingressu sui Scabinatus jurent quòd jura Ecclesiastica, jura nostra, vitam & membra nostra & hominem nostrum terrenum, & ea quæ in charta nostra præsenti continentur fideliter servabunt, & legem & jus omnibus facient bona fide, salvo tamen in his omnibus jure nostro, ac etiam alieno. Ut autem hæc præsens concessionis nostræ charta illæsa & inconcussa permaneat in futurum, Nos in prædictis utilitatem & pacem villæ nostræ Attrebatensis prædictæ & Scabinorum, & omnium habitantium in eadem villa attendentes, præsentem chartam nostram eisdem concessimus, & eam sigilli nostri charactere fecimus roborari. Actum Parisius anno millesimo ducentesimo sexagesimo octavo, mense Martio, die Martis ante Ramos palmarum, videlicet in festo beati Gregorij. 1268.

GUILLELMUS COMES FORCALQUERII foedus init cum Guidone de Dampetra, quo suum omne jus quod prætendebat in Borbonio ipsi relinquit.

Eruit D. d'Herouval.

XXXVII. DOMINÆ & amicæ suæ charissimæ BLANCHÆ illustri Trecensi Co- AN. CHR. 1211.

mitiſſæ Palatinæ WILLELMUS Comes Forcauquerij, & MARGARETA uxor ejus, ſalutem & ſinceræ dilectionis obſequium & honorem. Noverit ſerenitas veſtra quòd cùm matrimonium noſtrum de laude & aſſenſu Domini Ducis Burgundiæ, GUIDONIS de Dampetra, M. dominæ Borbonij, & aliorum amicorum noſtrorum celebratum fuiſſet: Nos videntes quòd dictus Guido de Dampetra volebat bona fide quòd nos jus noſtrum haberemus in omni terra, quæ me Margaretam contingere debebat de capite matris meæ M. dominæ Borbonij, venimus propria voluntate in curiam domini regis Francorum pro audiendo arbitrio curiæ ſuæ ſuper hoc ad uſus & conſuetudines Franciæ. Fuítque arbitrium curiæ ſuæ ad uſus & conſuetudines Franciæ hactenus approbatas; tale ſcilicet, quòd non audierant neque viderant, quòd Baronia aliqua eſſet diviſa pro herede femina in qua heres maſculus haberetur, ſed heres femina maritagium accipiebat à patre vel matre ſua, vel fratribus ſuis; tale ſiquidem in quo non eſſet diſparatus *, & quòd ei conveniret ſecundùm genus & nobilitatem ſuam. Cúmque arbitrium curiæ ſuæ audiſſemus, nos de libera voluntate talem fecimus pacem ſuper omni jure noſtro ſupradicto cum dicto Guidone, quòd nos quittavimus ei & heredibus ſuis omne jus noſtrum, & dictus Guido dedit nobis pro quittatione illa mille & ducentas marcas argenti. Rogavimus autem dominum Regem Francorum, ut pro bono pacis hanc quittationem noſtram litteris ſuis patentibus dicto Guidoni & heredibus ſuis confirmare & teſtificari dignaretur. Quod quidem ipſe ſui gratiâ facere dignatus eſt diligenter.

* id eſt diſparitas.

Hanc etiam pacem & quittationem quam fecimus ſupradicto Guidoni & heredibus ſuis juravimus eis tenendam bona fide, & obſervandam. Hinc eſt quòd dilectionem veſtram rogamus attentè & requirimus, quatenus eamdem quittationem noſtram ſupradicto Guidoni & heredibus ſuis à nobis factam, per litteras

vestras patentes eis confirmare & testificari velitis. Actum anno Domini millesimo ducentesimo undecimo, mense Februario.

LITTERA ASSOCIATIONIS Monasterij Beati Iohannis in valle Carnotensi cum Monasterio sancti Quintini Belvacensis.

XXXVIII. UNIVERSIS Christi fidelibus præsentem paginam inspecturis, GARNERUS Ecclesiæ Beati Johannis de Valeia Carnotensis Abbas humilis, totúsque ejusdem loci Conventus, salutem in Domino. Cùm secundùm Apostolum unum simus corpus in Christo, singuli autem alterius membra, sicut nec corpus à capite, ita nec membra corporis censeri debent à membris capitis aliena. Cùm igitur à longè retroactis temporibus à visceribus matris nostræ Ecclesiæ Beati Quintini Belvacensis fuerimus spiritualiter propagati, & ab ipsa tamquam à fonte sacra Religionis fluenta sumpserimus per venerabilem patrem ac venerandæ memoriæ JVONEM, qui cùm floreret in eadem Ecclesia religionis novella plantatio sub beati Augustini regula, dignè Omnipotenti militans, Fratribus ibidem Deo servientibus Abbas præfuit. Sed tanti patris sanctitas eminens tamquam civitas in virtutum acumine constituta, diu latere non potuit, quin immo ejus religionis celebri fama longè latéque diffusa, Dei voluntate præambula, adeptus est cathedram Ecclesiæ Carnotensis, qui Ecclesiæ nostræ patronus & fundator extitit, & inter alia beneficia quæ nobis paterna pietate contulit, ad ultimum in signum dilectionis ac perpetui fœderis thesauro sui corporis ac suæ sepulturæ præsentia nostram Ecclesiam illustravit; unde cùm internæ dilectionis affectu nos pius pater dilexerit, sicut in fine patuit, dignum fuit ut Canonici sancti Quintini ejus spiritua-

AN. CHR. 1228.

les filij à patris actibus non degeneres, tum propter ejuſdem Ordinis ſimilitudinem, tum propter paternam reverentiam & ejuſdem corporalem præſentiam, quaſi triplici funiculo juncti nobis eſſent ſpiritualiter & uniti, & rurſus vice verſa decens fuit admodùm & honeſtum, tum quia eamdem normam Ordinis profitemur, tum quia ab eis obſervantiarum regularium primitias habuimus, ut ipſis eſſemus tamquam membrum ſuo cohærens capiti, grata viciſſitudine indiſſolubili charitatis fœdere fœderati.

Verùm quia tantæ dilectionis confœderatio uſque modò per negligentiam vel oblivionem novercam memoriæ tepidè fuit & ſegniter obſervata, eam noſtris temporibus renovare volentes, de communi Fratrum noſtrorum conſilio & ipſorum beneplacito & aſſenſu ſocietatem cum eis contrahimus ſpiritualem præſentibus litteris annotatam. Sed quoniam quanto anima præpollet corpori, tanto ſpiritualia corporalibus præferuntur; à ſpiritualibus inchoantes, dilectiſſimis Fratribus noſtris Canonicis ſancti Quintini Belvacenſis de Fratrum noſtrorum unanimi conſenſu concedimus participationem orationum, & eleemoſynarum, & aliorum bonorum, quæ fiunt & fient à modò tam in noſtræ Congregationis capite quàm in membris.

Id etiam ſtatuentes quòd quandocumque obitus Abbatum Beati Quintini nobis nuntiari contigerit, ſtatim audito obitu novem lectionum officium, & in ſequenti die *Beati immaculati* & Miſſam matutinalem cum Diacono & Subdiacono ſolemniter faciemus: nomina ipſorum Abbatum in noſtro Martyrologio conſcribentes, & revoluto cujuslibet anni curriculo ipſa die obitus à modò præbendam panis & vini eiſdem concedimus per manum eleemoſynarij pauperibus erogandam. De Canonicis autem ejuſdem Eccleſiæ eſt à nobis provida deliberatione ſtatutum, quòd audito Canonici obitu, novem lectionum officium, & *Beati immaculati* & Miſſam matutinalem pro ipſo

ipſo decantabimus, præbendam unius Canonici ipſo die pro eo pauperibus aſſignantes. Quilibet autem noſtræ Congregationis Canonicus & Sacerdos unam Miſſam, & alij non Sacerdotes unum pſalterium decantare tam pro Abbate quàm pro Canonico mortuo tenebuntur. Sanè propter hæc quæ circa obitus Abbatum & Canonicorum hîc ſpecialiter ſunt expreſſa, nolumus intermitti illud commune anniverſarium & ſolemne, quod pro communitate Canonicorum ſancti Quintini ſingulis annis facere conſuevimus, immo & ſi diligenter fecimus, diligentiùs inpoſterum faciemus.

Illud etiam ſalubri conſilio ſtatuentes, quòd ſi aliqua perſona extranea aliquod gravamen Eccleſiæ ſancti Quintini intulerit, tam in conſilio quàm in auxilio eidem tenebimur ſubvenire. Et ut major inter nos & ipſos familiaritas denotetur, ſtatuimus quòd quandocumque aliquem de ipſorum Canonicis ad nos quocumque modo venire contigerit, niſi eum fugitiuum vel excommunicatum eſſe conſtiterit, ipſum recipiemus gratanter, eum quamdiu apud nos moram fecerit, Fratrem noſtrum & Canonicum reputantes.

Ut autem prælibata Societas recenſita frequentiùs non marceſcat, inſinuatione præſentium litterarum venerabilem patrem Abbatem ſancti Quintini affectuoſiſſimis precibus exoramus, quatenus frequentiſſimè, quod optamus, vel ad minùs ſemel in anno dignetur ſui gratia nos videre. Et ut hæc quæ ſuperiùs ſunt ſtatuta inpoſterum firmiùs conſerventur, præſentes litteras fecimus annotari, & ſigillorum noſtrorum munimine roborari. Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo vigeſimo octavo.



Ex veteri membrana deſcripſit D. d'Herouval.

CONCORDIA INITA INTER PETRUM Archiepiſcopum Rotomagenſem & Canonicos S. Mellonis Pontiſarenſis.

AN. CHR. 1237.

XXXIX. UNIVERSIS præſentes litteras inſpecturis, Capitulum ſancti Mellonis Pontiſarenſis ſalutem in Domino. Noverit univerſitas veſtra, quòd cùm inter venerabilem patrem & dominum PETRUM Dei gratiâ Rotomagenſem Archiepiſcopum & anteceſſores ejus ex una parte, & nos ex altera, quæſtio verteretur ſuper ſubjectione, correctione, & obedientia, ac juriſdictione; in quibus dicebamus eidem minimè nos teneri: tandem de voluntate & aſſenſu Domini Regis Francorum illuſtris Ludovici, mediantibus bonis viris recognovimus & recognoſcimus, nos in prædictis & in omnibus ei tamquam Ordinario noſtro ſubeſſe, utpote in ſua diœceſi conſtitutos; & promiſimus ac promittimus eidem ac ſucceſſoribus ſuis in perpetuum obedire in mandatis ſuis adimplendis & exequendis, in interdictis, ſuſpenſionibus, & excommunicationibus, cùm illa protulerit, aut ſervanda mandaverit, inviolabiliter obſervandis. Ita quòd per ipſum etiam juſtitiabimur, aut per mandatum ſuum, Archidiacono Pontiſarenſi excepto, cui nullatenus obediemus. Et in omnibus aliis, in quibus debet diœceſano ſuo ſubditus obedire, obediemus eidem & ſucceſſoribus ſuis humiliter & devotè.

Viſitabit etiam & inquiret, & cognoſcet de exceſſibus, criminibus, & infamiis Capituli Canonicorum ſingulorum, Vicariorum & Clericorum chori noſtri quandocunque ſibi placuerit & viderit expedire. Verùm ſemel in anno immediatè corriget & emendabit prout viderit corrigendum vel emendandum in Capitulo Canonicis ſingulariter, Vicariis & Clericis ſupradictis. Poſt illam verò correctionem, ſi aliqua per

visitationem, inquisitionem, vel famam in Canonicis, vel Vicariis sive Clericis de choro intellexerit corrigenda, mandabit Capitulo quòd ea corrigat, & emendet infra certam diem, exceptis criminibus, quorum correctionem de assensu nostro sibi specialiter reservavit; alioquin ipse ex tunc illa ad suam corriget voluntatem, nisi sufficienter ostenderimus secundùm delicti exigentiam esse correctum infra prædictam diem ab ipso vel successoribus ejus præfixam.

Quia verò contingit Canonicos in Ecclesia quandoque præsentes non esse, sufficit si denuntiet in eadem Ecclesia præsentibus aliquibus bonis viris, sive de Ecclesia sive aliunde correctionem illam faciendam infra diem certam quam viderit expedire. Semel autem in anno ipsum procurabimus cùm ad Ecclesiam nostram accesserit, & pro procuratione tenemur ei dare ipsa die, qua ad nos venerit, centum solidos Parisienses & hospitium paratum in palea, lignis, lectis, scyphis, paropsidibus, & aliis utensilibus domûs, nec Prior sancti Petri Pontisarensis, qui solebat nobiscum in procuratione solvere partem suam, aliquid soluet de centum solidis prætaxatis, primâ procuratione exceptâ, quam integram simul tenemur solvere nos & ipse eidem Archiepiscopo & successoribus suis in primo eorum adventu. De qua prima procuratione integra soluet idem Prior partem tertiam sicut solet. In aliis autem annis quibus pro procuratione centum solidos soluere tenemur cum utensilibus domûs, Prior sancti Petri nihil tenetur apponere, & salvum sit jus Archiepiscopo contra ipsum.

His omnibus interfuerunt venerabiles patres HENRICUS Remensis Archiepiscopus, GUILLELMUS Parisiensis, ADAM Silvanectensis Episcopi, ODO Abbas sancti Dionysij, PETRUS Præpositus sancti Audomari, HENRICUS Archidiaconus Remensis, Magistri PETRUS de Columna, & PETRUS de Papa Canonici Parisienses. In cujus rei testimonium & munimentum præsentes litteras sigillo nostro fecimus

communiri. Actum apud Vicenas die Jovis ante nativitatem Beatæ Virginis, anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo septimo.

Eruit D. d'Herouval.
* S. Ludovicus.

LITTERÆ PER QUAS REX* dedit fratri suo CAROLO Andegaviam & Cenomaniam.

An. Chr. 1246.

XL. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. LUDOVICUS Dei gratiâ Francorum Rex. Notum facimus quòd nos de assensu & voluntate dilectorum fratrum & fidelium nostrorum ROBERTI Attrebatensis, & ALFONSI Pictavensis Comitum dilecto fratri & fideli nostro CAROLO Comiti Provinciæ & ejus heredibus dedimus, & pro parte terræ assignamus Andegaviam cum pertinentiis in feodis & domaniis, Salmurium cum pertinentiis in feodis & domaniis, Baugiacum cum pertinentiis in feodis & domaniis, & id quod habemus apud Bellumfortem cum pertinentiis in feodis & domaniis, tenenda ab ipso & heredibus suis de nobis & heredibus nostris in homagium ligium, saluis donis, feodis & eleemosynis, quæ in prædictis locis usque in præsens sunt facta; retinentes nobis ad voluntatem nostram faciendam ea, quæ post mortem genitoris nostri claræ memoriæ Ludovici Regis acquisivimus; retinentes etiam Losdunum cum pertinentiis in feodis & eleemosynis.

Item dedimus eidem fratri nostro Carolo Cenomaniam cum pertinentiis in feodis & domaniis, saluis similiter donis, feodis, & eleemosynis usque in præsens ibi factis. Et quoniam civitatem Cenomanensem & Mauritaniam & Mauvas charissimæ uxori nostræ Margaritæ Reginæ nomine dotalitii assignavimus, volumus & ordinamus quòd si dicta Regina uxor nostra nobis supervixerit, loco dicti dotalitii civitatem Aurelianensem, Castrum-novum & Chaciacum,

Novillam habeat, sicut Regina YSEMBURGIS in dotalitium hæc habebat, saluis & exceptis Clariaco, & aliis donis, & feodis, & eleemosynis usque in præsens ibi factis, si hanc commutationem voluerit acceptare : si autem ei non placuerit hæc commutatio, habebit suum dotalitium sicut ei est assignatum, & dictus Carolus Aureliam habebit cum Checiaco, Castro-novo, & Novillam, quamdiu Regina vixerit memorata, & post decessum ejusdem Reginæ, Aurelia, Checiacum, Castrum-novum & Novilla ad nostros revertentur heredes ; & tunc idem Carolus vel heredes ejus donum quod de Cenomania cum pertinentiis in feodis & domaniis ei modò facimus, rehabebunt.

Sciendum etiam quòd nos Regalia dictarum civitatum, & Abbatiam Fontis-Ebraudi nobis & heredibus nostris Regibus Franciæ retinemus.

Hanc autem donationem & concessionem fecimus salvo jure alieno, & salvo etiam quòd stabiles maneant litteræ si quæ factæ sunt à nobis vel antecessoribus nostris de rebus aliquibus, quæ manum regiam non debeant extraire. Quod ut perpetuum stabile &c. Actum Aureliæ anno Incarnationis Dominicæ M. CC. XLVI. mense Augusto, regni verò nostri XX. Adstantibus &c.

LIBERTATES ET CONSUETUDINES villæ Ricomago concessæ ab ALFONSO *Comite Pictavensi fratre S.* LUDOVICI, *an. 1270. quæ antiquarum legum & consuetudinum Arverniæ locum tenent.*

Eruit D. d'Herouval.

XLI. ALFONSUS filius Regis Franciæ, Comes Pictavensis & Tholosanus, universis præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Noveritis quòd habitatoribus villæ nostræ de Riomo diœcesis Claromontensis, infra fines seu terminos

AN. CHR. 1270.

dictæ villæ concedimus libertates & conſuetudines infra ſcriptas, videlicet quòd per nos vel ſucceſſores noſtros non fiat in dicta villa tallia ſive quæſta, vel albergata, nec recipiemus ibidem mutuum, niſi gratis nobis mutuare voluerint habitantes in eadem villa.

II. Item quòd habitantes in eadem & in poſterum habitaturi poſſint vendere, dare, & alienare omnia bona ſua mobilia & immobilia cui voluerint, ita tamen quòd ſi immobilia alienaverint Eccleſiæ, religioſis perſonis vel Militibus, per hoc nullum fiat præjudicium nobis vel aliis dominis à quibus res tenebuntur, maximè in hoc quin poſſint compelli ſic alienata extra manum ponere infra annum.

III. Item nos vel noſter Bajulus non capiemus aliquem habitatorem dictæ villæ, vel vim inferemus, vel ſaiſiemus bona ſua, dum tamen ſufficienter caveat per bona ſua mobilia vel immobilia ſtare juri, niſi pro murtro, vel morte hominis, vel plaga mortifera, vel mutilatione membri, vel alia communi, vel probabili ſuſpicione criminis, pro quo corpus ſuum, vel bona ſua de jure, vel conſuetudine fidejuſſoribus committi non debeant, vel in aliis caſibus, in quibus eſſet de jure, vel conſuetudine faciendum, vel pro delicto quod contra nos, Conneſtabulum noſtrum, vel ſervientes noſtros ad gagia noſtra, ſeu in familiam noſtram fuerit perpetratum.

IV. Item quòd ad queſtionem, vel ad clamorem alterius, non mandabit, vel eſtabit Conneſtabulus noſter Alverniæ, vel Bajuli ſui, niſi pro facto noſtro negotio, vel querela, vel ſervientum noſtrorum, vel familiæ aliquem habitantem in dicta villa, extra fines vel honorem dictæ villæ ſuper his quæ facta fuerint in dicta villa, & in pertinentiis & honore dictæ villæ, vel ſuper poſſeſſionibus ejuſdem, niſi fortè Conneſtabulus noſter adeò eſſet impeditus, quòd ad dictam villam commodè accedere non poſſet, & tunc ad Conneſtabuli citationem ad aſſiſias quæ erunt in loco

propinquiori dictæ villæ, vel ejus territorio, venire tenebuntur, & juri stare.

V. Item si quis habitans in dicta villa moriatur intestatus, vel aliàs rationabiliter, & non disposuerit de bonis suis in ultima sua voluntate, nec habeat liberos, nec appareant heredes, qui sibi debeant succedere, Bajulus noster & Consules dictæ villæ de Riomo, bona defuncti scripta commendabunt duobus hominibus probis dictæ villæ ad custodiendum fideliter per unum annum & diem: & si infra eumdem terminum appareat heres, & qui sibi debeat succedere, omnia bona prædicta debent integraliter sibi reddi cum fructibus medij temporibus, alioqui bona mobilia & immobilia quæ à nobis in feudum vel censivam, vel alio quocumque modo tenebuntur, nobis tradentur salvo jure veri heredis, si in posterum appareat, salvo jure dominorum à quibus aliqua bona immobilia tenebuntur, si de jure vel consuetudine patriæ jus aliquod habuerit in eisdem. Debita verò de quibus legitimè constare poterit, de bonis ipsius defuncti soluantur tam à nobis, quàm ab aliis ad quos bona ipsius defuncti pervenerunt pro rata quæ pervenerit ad quemcumque.

VI. Item quòd nullus habitans in dicta villa de quocumque crimine appellatus vel accusatus fuerit, teneatur se purgare, vel defendere duello, nec cogatur ad duellum faciendum, & si refutaverit, non habeatur propter hoc pro convicto, sed appellans si velit, probet crimen quod objecit, vel per testes, vel per probationes legitimas, juxta formam juris.

VII. Item testamenta facta ab habitatoribus dictæ villæ in præsentia testium fide dignorum valeant, dum tam liberi, & domini, aut alij, sine causa, jure suo, aut portione debita, non priventur.

VIII. Item quicumque habet domicilium in villa Riomi, non tenetur dare leudam de quacumque re sua, quando eam vendiderit, vel aliam emerit.

IX. Item Bajulus seu Præpositus noster dictæ villæ

tenetur jurare publicè coram Consulibus dicti loci in principio administrationis suæ, quòd in officio illo fideliter se haberet, & quòd jus reddet cuilibet pro possibilitate sua & scientia, & bonas & approbatas consuetudines dictæ villæ observabit: tenebitur etiam statuta dictæ villæ à nobis facta vel approbata rationabilia observare.

X. Item Consules dictæ villæ mutentur quolibet anno in festo B. Johannis Baptistæ; & si contigerit quòd electi Consules ab aliis Consulibus in se nollent onus Consulatus suscipere, Bajulus seu Præpositus noster dictæ villæ ad instantiam & requisitionem prædictorum Consulum, ipsos ad hæc compellere teneatur.

XI. Item dicti Consules jurabunt Bajulo seu Præposito nostro dictæ villæ, quòd ipsi bene & fideliter erga nos se habebunt, & servabunt jura nostra, & populum dictæ villæ fideliter gubernabunt, & tenebunt pro posse suo fideliter Consulatum, & quòd non recipient ab aliqua persona aliqua servitia pro officio Consulatus; & prædicti Consules debent semper habere sexdecim Consiliarios.

XII. Item si quis percusserit aliquem coram Connestabulo vel locum nostrum tenente, ad arbitrium nostri Connestabuli secundùm consuetudines patriæ puniatur.

XIII. Item quicumque alium percusserit cum pugno, palma, vel pede, gladio, fuste, vel petra, seu alio modo, irato animo, sanguine non interveniente, seu interveniente, si clamor factus fuerit, & legitimè probatum fuerit, percutiens nobis in LX. solidos pro justitia puniatur.

XIV. Item si aliquis alium interfecerit, & culpabilis de morte ejus inveniatur, ita quòd homicida reputetur, per judicium curiæ nostræ puniatur, & bona ipsius nobis integrè sint incursa.

XV. Item si aliquis aliqua convitia, vel opprobria, vel verba contumeliosa irato animo dixerit, & inde

querimonia

querimonia proponatur, postquam legitimè probatum fuerit à Bajulo nostro, in tribus solidis nobis pro justitia puniatur, & emendam faciat injuriam passo secundùm consuetudinem dictæ villæ Riomi diutiùs approbatam.

XVI. Item quicumque inhibitionem nostram seu calumniam nostram, vel Bajuli nostri in bonis alicujus positam ex causa rationabili, vel ad instantiam alicujus conquerentis fregerit, in LX. solidos nobis pro justitia puniatur.

XVII. Item si pignus ab eodem Bajulo, seu auctoritate ipsius captum sibi vel mandato suo quis abstulerit, ad arbitrium Connestabuli nostri secundùm usus & approbatas consuetudines patriæ puniatur, & super hac ablatione credatur nuncio curiæ jurato, cum duobus testibus fide dignis.

XVIII. Item quòd pro debitis non pignorentur vestes quotidianæ alicujus, vel lectus suus in quo ipse vel familia sua jacuerunt, nec ferramenta, nec utensilia aptamenta cum quibus panem suum lucratur.

XIX. Item quòd habitantes infra fines seu honorem dictæ villæ quos tenent, pacificè & quietè gaudeant ex libertate, qua gaudebant habitatores dicti loci.

XX. Item quòd non possint pignorari, neque bannum in bonis seu rebus eorum poni, nec ostia domorum suarum claudi, nisi priùs citati vel moniti fuerint, vel nec nisi pro re judicata, vel contumacia, vel nisi præfixus dies solutionis annui census nostri sit elapsus, vel nisi in casibus in quibus bona eorum nobis debent esse incursa, vel commissa de consuetudine vel de jure.

XXI. Item si aliquis leudam furatus fuerit, nobis in septem solidos pro justitia puniatur, & leudam restituat, quam non soluit.

XXII. Item adulter vel adultera si deprehensi fuerint in adulterio, vel per homines fide dignos convicti fuerint, super hoc accusatore existente & accusationem suam legitimam prosequente, vel in jure confessi

fuerint, nudi currant villam *, vel nobis solvat quilibet LX. solidos, & hoc sit in optionem delinquentis.

* *Vide Ottonem Frisingensem de gestis Friderici lib. 2. cap. 28. Dynastam Ionvillæum cap. 63.*

XXIII. Item qui gladium emolutum contra alium irato animo traxerit, licet non percusserit, si clamor factus fuerit, & legitimè probatum fuerit, nobis in LX. solidos pro justitia puniatur, & emendet injuriam passo secundùm consuetudinem villæ diutiùs approbatam.

XXIV. Item si quis intraverit de die orto vineas, vel prata alterius, & inde capiat sine necessitate inevitabili fructus, fenum, paleam, vel lignum valens XII. denarios, vel infra, sine voluntate illius cujus res fuerit, postquam quolibet anno semel prohibitum fuerit vel præconisatum, in tribus solidis punietur. Et si ultra XII. denarios valeat res quam ceperit, in VII. solidos nobis pro justitia puniatur. Et si nocte quis intraverit, & fructum, fenum, paleam, vel lignum ceperit, & probatum fuerit, in LX. solidos nobis pro justitia punietur, & satisfaciat competenter in hoc casu, & in superioribus damna passis.

XXV. Item quicumque falsum pondus, vel falsam ulnam, vel mensuram tenuerit, in VII. solidos nobis pro justitia puniatur, & de falsa marca nobis in LX. solidos puniatur. Et si bis in hoc deliquerit, & convictus fuerit vel confessus, ad arbitrium nostri Conestabuli puniatur, vel officio in quo sic deliquerit perpetuò privetur.

XXVI. Item pro querimonia debiti, vel pacti, vel cujuslibet alterius contractus, si statim, id est prima die, in præsentia Bajuli nostri confiteatur debitor sine lite mota, & sine induciis mulcta nobis pro justitia solvetur, sed infra VIII. vel XV. dies, considerata debiti quantitate, & personæ qualitate, Bajulus noster debet facere solui à debitore quod confessus est coram ipso, & complere, alioquin ex tunc in tribus solidis debitor nobis pro justitia puniatur.

XXVII. Item pro omni simplici querimonia civili de qua lis moveatur, & induciæ petantur, post prola-

tionem ſententiæ tres ſolidi à victo nobis pro juſtitia ſoluantur, & actor ſi in petitionem ejus quod petet defecerit, in tribus ſolidis nobis pro juſtitia puniatur.

XXVIII. Item Bajulus noſter non debet recipere juſtitiam ſeu gagium, uſquequo ſolui fecerit rem judicatam, ſeu ſatisfieri parti quæ obtinuit.

XXIX. Item in quæſtione immobilium rerum, poſt prolationem ſententiæ tres ſolidi à victo nobis pro juſtitia perſoluantur.

XXX. Item ſi aliquis tenuerit aliquas res edicto, vel aliquo bono modo acquiſitas infra fines dictæ villæ moventes de dominio noſtro, per ſpatium decem annorum inter præſentes pacificè & quietè, petitor nullatenus audiatur ſecundùm conſuetudinem dictæ villæ.

XXXI. Item quicumque in dicta villa, vel pertinentiis ejuſdem habuerit poſſeſſiones, vel redditus, ratione illarum rerum ipſe & ſucceſſores ſui in expenſis & miſſionibus ac collectis, quæ fiunt à Conſulibus propter utilitatem vel neceſſitatem dictæ villæ, contribuent prout alij habitatores dictæ villæ per ſolidum & libram ſecundùm jura & conſuetudines approbatas.

XXXII. Item ſi aliqua mulier de extra villam, quæ ſit maritata, venerit in dictam villam, & fecerit meretricium cum homine de dicta villa, idem homo non teneatur de adulterio ſeu meretricio perpetrato, cùm ignoretur probabiliter de dicta muliere utrùm ſit conjugata.

XXXIII. Item nemo debet capere pignora alicujus ſcambiatoris ad menſam ſcambij, nec ab ipſa menſa uſque ad domum ipſius, ſi in aliis rebus poſſit ipſum pignorare.

XXXIV. Item qui emerit pignus ad uſagium dictæ villæ, debet illud tenere per octo dies in villa Riomi antequam diſtrahatur, & ſi ille qui vendiderit publicè & plus offerenti, & bona fide acceperit ampliùs quàm fuerit debitum ipſius, debet illud quod ſupereſt red-

dere illi cujus erat pignus; ſi verò minus acceperit quàm fuerit debitum, poteſt reſiduum exigere à debitore.

XXXV. Item quicumque de villa Riomi debet alicui de ipſa villa, ſi debitor non eſt ſoluendo in rebus mobilibus, debet vendere de rebus ſuis immobilibus ad arbitrium Conſulum pro ſolvendo debito; & ſi debitor non invenerit qui velit emere, creditor debet eas accipere in ſolutum ad arbitrium Conſulum & aliorum proborum virorum, & ad compulſionem noſtram.

XXXVI. Item ſi aliquis de dicta villa Riomi habuerit vadia alicujus pro debito ſuo, vel pro fidejuſſione ſibi facta ab aliquo, ſi incontinenti creditor probare poterit fidejuſſionem vel debitum, non tenebitur ei reſtituere vadia, niſi primò ſuper fidejuſſione, vel debito ſteterit ſatisfactum.

XXXVII. Item ſi caſus aliquis, vel aliquod factum, vel negotium evenerit in dicta villa Riomi, de quo in præſenti ſcripto non fiat mentio, per Bajulum noſtrum cum conſilio Conſulum ejuſdem villæ, & aliorum proborum virorum ſecundùm jus, vel propè jus, vel ſecundùm conſuetudines dictæ villæ *.

f. * ſtatuatur.

XXXVIII. Item concedimus & confirmamus uſagia & conſuetudines, quas homines dictæ villæ tenuerunt & ſervaverunt, tam in leudis quàm in vendis * ſeu venditionibus, in manſionibus, cum ſuis molendinis, furnis, & rebus aliis, & etiam alias conſuetudines obſervatas ab eiſdem temporibus retroactis, bonas, antiquas, rationabiles, & obtentas pacificè & quietè.

* Lods & ventes.

XXXIX. In omnibus autem aliis, quæ non ſunt in præſenti littera expreſſa, retinemus nobis & ſucceſſoribus noſtris in dicta villa & pertinentiis, & habitatoribus, omnem juſtitiam, juriſdictionem, ſubjectionem, reverentiam, exercitum & cavalcatam, ſecundùm uſus & conſuetudines patriæ, & alia quæcumque verus dominus poteſt & debet habere in terra

sua. Ac in præmissis omnibus & singulis retinemus potestatem declarandi secundùm quod propter varietatem temporum & causarum viderimus expedire.

Has autem libertates & consuetudines, & omnia prædicta, & singula, quantum de jure possumus approbantes, in perpetuum earum testimonium, sigillum nostrum duximus præsentibus apponendum, salvo jure nostro in omnibus, ut dictum est, & salvo in omnibus jure quolibet alieno. Datum apud Armazancas * prope Aquas-mortuas anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo.

aliàs * Armazergues *hodie* Aimargues.

NICOLAUS PAPA III. *scribit ad Philippum* III. *cognomine Audacem, Regem Franc. se Papam electum.*

Eruit D. d'Herouva.

XLII. NICOLAUS Episcopus servus servorum Dei, charissimo in Christo filio . . . . . Regi Francorum illustri salutem & Apostolicam benedictionem. Immensæ Deus potentiæ, qui mundum per se condidit, per se regit, nec eget extrinsecus quæsitis auxiliis ad regendum qui non eguit ad condendum: quem enim sacra scriptura testante alium constituit super terram? aut quem alium posuit super eum quem fabricatus est orbem? profectò nullum, sed ipse solus regiminis & gubernationis est princeps, qui creationis extitit solus actor *. Ipse quidem Ecclesiæ catholicæ, peculiaris procul dubio domus suæ, peculiaris etiam civitatis solus ædificator & custos, (ad cujus sine ipso custodiam seu structuram frustra ædificantes alii laborem assumerent, frustra custodes ceteri vigilarent) tanto magis eam specialis regiminis & custodiæ curâ prosequitur, quanto majori singularitate construxit. Siquidem cetera verbo creans, *dixit & facta sunt*; Ecclesiam verò non solùm verbi expressione, sed & sui pretiosi sanguinis effusione fundavit. Ad hujus autem speciali-

AN. CHR. 1278.

* *id est* auctor.

tatis evidentiam discipulis suis, quos eidem Ecclesiæ jecit velut præcipua fundamenta, *Ego* inquiens, *vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*; suæ virtutis assistentiam repromisit: Et ipsi Ecclesiæ in Apostolorum Principe, cui, ejúsque successoribus commisit ejusdem regiminis Vicariam, ait: *Ego pro te rogavi Petre, ne deficiat fides tua.* Eamdem insuper Vicariam sic esse voluit vicissitudinariæ successionis continuatione perpetuam, ut quamquam ipsi Vicarij, ex humanæ fragilitatis conditione legi mortalitatis addicti, vitæ præsentis occasum imperio mortis incurrerent, ipsum tamen Vicariatus officium substituendorum vicibus immortale perpetuum remaneret. Proinde sæpe fata mater Ecclesia interdum utili desponsata pontifici, nuptialibus ornata monilibus, sub sponsi sui ducatu, ejusdem rectoris omnium dirigente potentiâ, læta deducitur, interdum verò in pastoris subtracti carentia viduitatis amictu circumdata, oculis resolutis in lacrimas, ejus sibi queritur adempta solatia, lamenta de illius subtractione multiplicat, & anxia pro alterius substitutione laborat, eo quandoque prolixiùs, quo his quorum interest cum omni diligentia sollerter ac instanter ejusdem Ecclesiæ provisioni vacantibus, nihilominùs tamen vacationis prolixitatem ingerit occurrentium casuum qualitas, aliarumque circumstantiarum necessitas, non instantium negligentia vel voluntas. Et licet interim eadem Ecclesia dum ad editionem spiritualis patris, filij, sponsique votivam enititur, parturientis partes experiens, conatus prosequens & molestias perferens, acerbos dolores sentiat, instar illius tamen consultiùs idoneum pariendi tempus expectat, ne inconsultæ festinantiæ impetu partum præcipitet in aborsum. O, igitur præsumptuosa judicia murmurantium in Ecclesiæ provisione, quàm sæpe indignè arguunt tarditatem! Nam etsi de providendo utiliter eidem Ecclesiæ in generalitate, quadam sint eligentium vota concordia, tamen dum singulariter ad id persona idonea

quæritur, in hoc nimirum quærentium judicia facilè non concordant, sed & nonnunquam occulta forsan Dei dispositione postponendus eligitur, & postponitur præferendus, sicut his accidisse diebus ex nostrorum defectuum consideratione supponimus & humiliter confitemur.

Nuper enim felicis recordationis JOHANNE Papa prædecessore nostro apud Viterbium ubi tunc cum sua curia residebat, ab hac luce subtracto, & ipsius corpore in Viterbiensi Ecclesia cum exequiarum solemnitate debita tumulato, tandem nos & Fratres nostri quibus nos tunc officij quoad hoc annumerabat æqualitas, in palatio Episcopali convenimus propensiorem diligentiam desideratæ provisioni ejusdem Ecclesiæ impensuri. Et quamquam ille qui cœlesti dat concentui harmoniam, nos sub clausura eadem habitantes in unum ad utilem provisionem ipsius Ecclesiæ obtinendam, prout singulorum habebat assertio, unanimes fore sua pietate concesserit, ad consummationem tamen provisionis ejusdem alto suo & secreto consilio dare aliquandiu distulit spiritum unitatis. Sed demum in die beatæ Catharinæ Missarum solemniis cum invocatione sancti Spiritus celebratis, iidem Fratres in humilitatem nostram, utinam non exorbitante judicio, per viam scrutinij concordantes, nos tunc sancti Nicolai in Carcere Tullian. Diaconum Cardinalem, ad conscendendam Apostolicæ dignitatis speculam unanimiter elegerunt, nobis vestem poderis universum orbis ambitum continentem non offerentes tantummodò, sed etiam cum importuna instantia ingerentes.

Verùm ut rei gestæ seriem succinctus sermo pertranseat, ne dum defectus eosdem ad humiliationem nostram gestimus exprimere, sub humilitatis specie notam elationis seu qualiscumque jactantiæ ingerat seriosa repetitio veritatis, nos gradus altitudinem, & oneris imminentis tantæ altitudinis ascensori; molem nobis in Cardinalatus officio experientiæ

longæ participio * non ignotam, attenta meditatione pensantes, eligentium & offerentium instantiæ, insufficientiæ nostræ imparitatem objecimus, debilitatem nostram dictante conscientia oblatis imparem, cum repetita multoties relaxationis supplicatione humili allegantes. Cúmque nec sic cessaret instans Fratrum importunitas eorumdem, sed vim inferens nostro proposito vehementiùs collegij jussus urgeret, nósque violentiam patientes clamaremus lacrymis, nec esset qui auditu exauditionis audiret; vociferaremur gemitu, nec foret qui remissionem injuncti oneris benigno judicio indulgeret, ad illum oculos mentis ereximus, qui sicut præmittitur Ecclesiam quam per se fundavit non negligit regere per seipsum, quam piè condidit, piè regit; & quamquam de insufficientia nostra timentes, desuper abundantia tamen omnipotentiæ suæ confisi; humeros summo superhumerali subjecimus, & humiliter jugum subivimus Apostolicæ servitutis, sperantes quòd ipse, qui Petri pedibus marinos vortices inclinavit, ut iter liquidum humanis gressibus solidum præberet obsequium, nobis quos licèt indignos illi sua constituit dignatio successorem, in nostri executione ministerij humiliabit per suæ virtutis potentiam colla tumentia superborum, & lapsus in delicta labentium cohibendo, eos in bonorum stabilitate operum solidabit.

* id est participatione.

Adijcit quoque spei nostræ suffragium tua & aliorum Catholicorum consideratio Principum, quos & desideramus attentiùs & speramus fidentiùs sic ab illo, per quem Reges regnant & potentes scribunt justitiam, in suis rigiminibus dirigi, quòd ipsis per vias rectas se ac sibi commissos ducentibus populos, grex dominicus curæ nostræ commissus committentis virtute præambula in dilecta domini tabernacula inducatur. Ideóque serenitatem regiam monemus, rogamus, & hortamur in domino, in remissionem tibi peccaminum suadentes, quatenus prudenter attendens à Rege Regum te Regem datum in gentibus, ut

eas

eas regas & dirigas, vitia in illis cohibeas, inferásque virtutes, sic commissas in illos tibi partes prosequi studeas, quòd te pro viribus implente quod imminet, in universalis injuncti nobis executione regiminis, quoad tuæ ditioni subjectos nobis onere partito sit levius, & ministerio tuæ in hoc cooperationis adjuti, efficaciter circa salutem omnium salutis auctoris beneplacitum de suo munere prosequamur. Illam verò de nobis certam te volumus habere fiduciam, quòd tuam & regni tui prosperitatem paterno zelantes affectu, eam conservare proponimus, & in quibus cum Deo poterimus facultate succedente favorabiliter promovere. Datum Romæ apud sanctum Petrum XVIII. Kalend. Februarij, Pontificatus nostri anno primo.

MANVMISSIO SERVIS Regni Franciæ à LUDOVICO X. *Rege data.*

D. d'Herouval eruit.

XLIII. LOYS par la grace de Dieu Roys de France & de Navarre à nos amés & feauls Mestre Saince de Chaumont & Mestre Nicole de Bray salut & dilection. Come selonc le droit de nature chascuns doit nestre * franc, & par aucuns usages ou coustumes qui de grant ancienneté ont esté entroduites & gardées jusques ci en nostre royaume, & par avanture pour le meffait de leurs predecesseurs, moult de personnes de nostre commun pueple soient encheus en lien de servitute, & de diverses conditions qui moult nous desplet. Nous considerans que nostre royaume est dit & nommé le royaume des Francs, & veillans que la chose soit accordant au nom, & que la condicion des gens amende de nous en la venue de nostre nouvel gouvernement, par deliberation de nostre grant Conseil avons ordené & ordenons que generaument par tout nostre royaume

AN. CHR. 1315.

* naistre.

de tant comme il puet appartenir à nous & à nos ſucceſſeurs, teles ſervitutes ſoient ramenés à franchiſes, & à tous ceus qui de ourine *, ou ancienneté, ou de nouvel par mariage, ou par reſidence de lieus de ſerve condicion ſont encheus ou pourroient eſcheoir ou lien de ſervitute, franchiſe ſoit donnée o bones & convenables condicions; & pour ce eſpecialment que noſtre commun pueple qui par les Collecteurs, Sergens, & autres officiaus, qui ou temps paſſé ont eſté deputés ſeur le fait des mains mortes & formariages, ne ſoient plus grevés ne domagiés par ces choſes, ſi come il ont eſté juſques ci, laquele choſe nous deſplet; & pourceque les autres Seigneurs qui ont homes de cors, prengnent exemple à nous de eus ramener à franchiſe.

* origine.

Nous qui de voſtre leauté & approuvée diſcrecion nous fions tout à plain, vous commettons & mandons par la teneur de ces Lettres, que vous aliés en la baillie de Senlis & és reſſors d'icelle, & à tous les lieus, villes, communautés & perſones ſingulieres qui de ladite franchiſe vous requerront, traitiés & accordiés avec eus de certaines compoſitions, par leſqueles ſouffiſans reſcompenſation nous ſoit faite des emolumens qui des dites ſervitutes pooient venir à nous & à nos ſucceſſeurs, & à eus donnée de tant comme il peut toucher nous & nos ſucceſſeurs general & perpetuel franchiſe en la maniere que deſſus eſt; ſelonc ce que plus plenement le vous avons dit, deſclairé, & commis de bouche. Et nous prometons en bonne foy que nous pour nous & nos ſucceſſeurs ratefierons, & approuverons, tendrons, & ferons tenir & garder tout ce que vous ferés & accorderés ſus les choſes deſſus dites, & les lettres que vous donrrés ſeur vos traitiés, compoſitions, & acors de franchiſes à villes, communautés, lieus, ou perſonnes ſingulieres nous les agreons dés orendroit, & leur en donrons les noſtres ſeur ce toutes fois que nous en ſerons requis. Et donnons en


mandement à tous nos Justiciers & subgiés que en toutes ces choses ils obeissent à vous & entendent diligaument. Donné à Paris le tiers jour de Juliet l'an de grace mil trois cens & quinze.

MANVMISSIO SERVORVM Regni Franciæ confirmatur.

Idem D. d'Herouval eruit.

An. Chr. 1315.

LOYS par la grace de Dieu Roys de France & de Navarre, a nos amés & feauls Mestre Saince de Chaumont & Mestre Nicole de Braye salut & dilection. Comme nous aions de nouvel par nostre grant Conseil generaument ordené pour l'onneur & le bon renom de nostre royaume, & pour le bien de nostre pueple que il puisse demourer plus en pés sous nous, que toutes manieres de gens qui sont en servitute, tant comme à nous appartient, pour nous & pour nos hoirs, soient mises à franchise par bones condicions, si comme il est plus plenement contenu en nos autres Letres; & pourroit estre que aucuns par mauvés conseils, & par defaute de bons avis charroit en desconnessance de si grant benefice, & de si grant grace, que il voudroit mieus demourer en la chetiveté de servitute, que venir à estat de franchise. Nous vous mandons & commettons, que vous de teles personnes pour l'aide nostre presente guerre, considerée la quantité de leurs biens, & les condicions de la servitute de chascun, vous en leviés si souffisamment & si grandement, comme la condicion & la richesse des personnes pourront bonnement souffrir, & la necessité de nostre guerre le requiert. Donné à Paris le v. jour de Juliet l'an de grace mil trois cens & quinze.



Eruit D. d'Herouval.

JOHANNES XXII. SE AD *summum Pontificatum evectum scribit* CAROLO *Marchiæ Comiti.*

An. Chr. 1316. Hic est Carolus Philippi Pulcri filius, trium filiorum minimus, cognomento Pulcher, quem pater anno 1314. Marchiæ Comitem fecit, & qui anno 1322. post Philippum fratrem apud Francos regnavit.

XLIV. JOHANNES Episcopus servus servorum Dei, Dilecto filio nobili viro CAROLO Comiti Marchiæ salutem & Apostolicam benedictionem. Mira & inscrutabilis providentia Dei summi, firmam retinens in sua dispositione censuram, circa sacrosanctam Ecclesiam Catholicam, quam sibi charitatis ineffabilis dulcedine copulavit, ita suæ benignitatis affectum & protectionis auxilium gratiosè continuat, quòd ubi ex insurgentis fremitu tempestatis summergi creditur, paratur eidem ex commotione tranquillitas, & in auram mitescentibus procellosi turbinis fluctibus ab instantibus periculis prorsus servatur immunis : hoc quippe multifariè multísque modis ipsa magistra rerum experientia olim edocuit, & novissimè diebus istis idipsum evidenter ostendit, dum ipse pius Pater & misericors Dominus Ecclesiam ipsam inter longæ ac periculosæ nimis viduitatis angustias fluctuantem de suo habitaculo præparato oculo benigno respexit.

Dudum siquidem, sicut tuam credimus notitiam non latere, sanctæ recordationis Clemente Papa v. prædecessore nostro de præsentis vitæ mœroribus ad cælestem patriam evocato, nos & Fratres nostri ejusdem Ecclesiæ Cardinales, de quorum numero tunc eramus, cupientes eidem Ecclesiæ de pastore celeriter providere juxta constitutionem Apostolicam super hoc editam, nos inclusimus in Conclavi quod in civitate Carpentoratensi, ubi tunc Romana curia residebat, ad hoc extiterat præparatum. Demum verò electionis prædictæ negotio imperfecto, ex certis causis legitimis, Conclave prædictum egredi necessitate compulsi, nos ad diversa loca transtulimus, prout uni-

cuique noſtrum expediens viſum fuit. Cúmque poſtmodùm diffuſi temporis ſpatio ſicut Domino placuit interjecto, ad civitatem Lugdunenſem pro ejuſdem electionis negotio veniſſemus, concorditer vias noſtras illo dirigente, qui novit. Et tandem die ſeptima præteriti menſis Auguſti in loco Fratrum ordinis Prædicatorum Lugduni, in quo reſidebamus inſimul, pro præfatæ electionis negotio fuiſſemus in loco ſolito congregati: benignus ſapientiæ Spiritus neſciens tarda molimina, tam prolixæ ipſius Eccleſiæ viduitati piè compatiens, cùm eam nollet ulterioris viduitatis incommodis ſubjacere, Fratrum ipſorum corda ſic adduxit ad ſpiritus unitatem, quòd miro Dei & nobis nimium ſtupendo conſilio ad imbecillitatem noſtram oculos dirigentes, nos tunc Epiſcopum Portuenſem ad ſuſcipiendum onus nobis ex humano defectu importabile, curam videlicet univerſalis gregis Domini, concorditer nemine diſcrepante in ſummum Pontificem elegerunt.

Nos autem difficultatem officij paſtoralis, continui laboris anguſtias, & præcellentiam dignitatis Apoſtolicæ infra* noſtra præcordia recenſentes, noſtrarúmque metientes virium parvitatem, timore ac tremore concuſſi vehementer hæſitavimus, nec indignè. Quid enim tam timendum támque pavendum quàm fragili labor, indigno ſublimitas, & dignitas non merenti. Verùm ne poſt ejuſdem vacationis tam diffuſa & diſpendioſa tempora obſtinata contradictionis reluctatio profuſioris diſpendij occaſionem induceret; Nos quamquam de noſtra quam noſter nobis animus atteſtatur inſufficientia deſperantes, humiles noſtros ad montem illum convertimus oculos, unde nobis ſpe multa promittitur auxilium opportunum: ſicque de ſuperabundantia illius omnipotentiæ conceptâ fiduciâ, cui cùm voluerit ſubeſt poſſe, necnon de ipſorum Fratrum noſtrorum eminenti ſcientia, induſtria circumſpecta, & experientia multa in agendis comprobata confiſi, quorum ſano conſilio dirigi ſpera-

* intra.

mus in dubiis, & fulciri ſuffragiis in adverſis, in humilitatis ſpiritu conſenſum præbuimus electioni prædictæ, tantíque oneris ſarcinæ imbecilles expoſuimus humeros, debiles miſimus manus ad fortia, & colla noſtra humiliter jugo ſummiſimus Apoſtolicæ ſervitutis, ſuppliciter implorantes, ut ipſe, qui per hujuſmodi vocationem in maris mundi hujus altitudinem nos deduxit, non patiatur nos ab ipſius tempeſtate demergi, ſed illam nobis ſuæ potentiæ dexteram porrigat, quæ Apoſtolorum Principem ambulantem & hæſitantem in fluctibus ne mergeretur erexit, & Coapoſtolum ejus Paulum nocte ac die in profundo maris poſitum liberavit, viámque nobis & tibi cunctíſque Catholicis Principibus, ac ceteris Chriſtianis, illis præſertim, qui ad hoc vivificæ Crucis ſignaculum aſſumpſerunt, ſalubrem & paratam aperiat, noſtris & illorum cordibus pium infundat affectum, & infuſum augeat & conſervet, viréſque opportunas ſua dignatione tribuat ad parandum feſtinum & efficax terræ ſanctæ ſubſidium, & ad recuperandum hereditatis dominicæ præclare funiculum de infidelium manibus, ad quod utique deſiderium habemus intenſum.

Et quia quod in hac parte noſtris aſſequi meritis non valemus, multiplicatis interceſſionibus nobis confidimus elargiri, tua & fidelium aliorum ſuffragia humiliter imploramus. Nobilitatem tuam attentè rogantes & obſecrantes inſtanter in Domino JESU CHRISTO, quatenus ſub timore Domini tuas continuè dirigens actiones, mentem noſtram filialis devotionis exhibitione lætifices, & nihilominus pro conſervando & augendo Eccleſiæ tuæ matris honore, te reddas ſicut ejus filius ſpecialis ſemper ſollicitum & intentum, ac in omnibus quæ ſtatum ipſius reſpiciunt proſperum & tranquillum, ſuæque robur continent libertatis te reddas aſſiduè ſtudioſum, ita quòd exinde tibi gratiæ divinæ præmium, & laudis humanæ præconium augeatur. Datum Lugduni

Non. Septembr. Pontificatus nostri anno primo.

ORDINATIO CAROLI IV. *Regis Francorum pro expensis domus Reginæ uxoris ejus.*

Eruit D. d'Heronval.

Originale istius transcripti missum fuit fratri IMBERTO *Confessori Domini Regis ultima die Augusti* CCC. XXII.

XLV. I. ORDINATUM est à Domino Rege de hospitio dominæ Reginæ, quòd decima victualium domus solvatur, sicut est consuetum. AN. CHR. 1322.

II. Item quòd reficiantur tredecim pauperes quotidie sicut solent; & hæc sint super expensas hospitij.

III. Item quòd quatuor pauperibus, quos ipsa Domina consuevit reficere die Sabbati, habeat sicut solet quatuor solidos illa die.

IV. Item sexdecim solidos pro eleemosyna quando equitat & hospitium mutat.

V. Habeat autem ipsa ultra prædicta omnia pro donis, eleemosynis, aliis oblationibus, exeniis, sive præsentis, & aliis omnibus quæ sibi placuerint, sexcentas libras Parisienses per annum, scilicet ducentas libras in quolibet compoto.

VI. Item pro sex dominarum vestibus, & aliis necessariis, pro qualibet triginta libras Turonenses: summa novem viginti libræ Turonenses pro istis.

VII. Item pro viginti aliarum mulierum vestibus & aliis necessariis, pro qualibet viginti libras Turonenses: summa quadringentæ libræ Turonenses pro istis.

VIII. De Capella ordinatum est, quòd tota cera, Regis sit, & Capellanus habeat pro cera sua decem libras Parisienses per annum. Ipse autem Capellanum suum tenebit de suo in vestibus & aliis necessariis, præter cibum.

IX. A nemine autem Domina Regina mutuum

recipiat, aut recipi faciat, neque donum, nec permittat à liberis suis donum aliquod recipi sive dari; in quo non intelliguntur vina, vel victualia, seu alia hujusmodi levia vel minuta.

X. Item quòd abstineat à dominabus vocandis, vel aliis magnis personis, & eis cùm venerint diutiùs retinendis: & quòd se non reddat nimis facilem ad loquendum cum tot venientibus, sed aliquoties se excusari faciat, sicut decet.

XI. Item quòd nihil mandet vel præcipiat Ballivis regni sive Præpositis, aut aliis ab ipso habentibus officia, & quòd neminem poni faciat auctoritate sua in balliviis, aut sergenteriis, aut aliis officiis quibuscumque.

XII. Item quòd ampliùs ædificari vel operari non faciat: & quòd personam aliquam in familia vel liberorum suorum non recipiat sine licentia Domini Regis.

Hæc omnia supradicta vult Dominus Rex & præcipit à Domina Regina servari & teneri. Jurabunt autem tactis sacrosanctis in præsentia Domini Regis, Dominus Al. & G. Clericus, quòd fideles erunt Domino Regi, & quòd bona fide curabunt & providebunt, quòd expensæ domûs fideliter & moderatè fiant; & quòd in expensis domûs sub obtentu vel nomine expensarum nihil ponent vel computent præter expensas proprias dictæ domus.

CLEMENTIS PAPÆ VI.
contra monetarum adulteratores.

Anno Chr. 1346. XLVI. CLEMENS Episcopus servus servorum Dei; Ad perpetuam rei memoriam. Prodiens quasi ex adipe iniquitatis multorum sceleratorum funesta cupiditas, eos in perniciem præcipitare conatur, dum sequi miserabilem ejus ingluviem satietatis nescientem moderamina non verentur. Ipsi etenim turpium lucrorum se fecibus immergentes

ambitiosis

ambitiosis nexibus involuuntur. Dei timorem damnabili cæcitate postponunt, & quasi ambulantes in tenebris, non vitant excidia personarum. Nuper siquidem ad nostri Apostolatus auditum multorum relatio fide digna perduxit, quòd nonnulli nullam habentes auctoritatem, jure vel consuetudine seu privilegio faciendi monetam, falsam monetam cudunt & fabricant in regno Franciæ & locis circumvicinis. Alij verò monetam fabricatam sub vero signo charissimi in Christo filij nostri PHILIPPI Regis Francorum illustris studiosè depravant, & ex hoc cadit à suo recto pondere. Quamplures etiam in locis circumvicinis, quibus de jure aut consuetudine seu privilegio jus competit fabricandi monetam, signum proprium monetæ regiæ, monetæ suæ quam fabricant imprimere seu insculpere moliuntur, ejusdem quantitatis & rotunditatis & litterarum figuræ quam habet moneta regia, monetæ suæ quam fabricant quantum possunt similius speciem & formam insculpunt, constituunt & imponunt. Et quamvis moneta prædicta eorum ad usurpatam similitudinem perducta deficiat à justo pondere argenti & solito in regia moneta, & more & consuetudine observato, simplices tamen & populares personæ non habentes inter monetas tantæ similitudinis peritiam discernendi falluntur quotidie ea occasione, in usu monetarum recipientes monetas falsò assimilitas pro veris.

Sunt & alij qui scienter falsas monetas extra regnum prædictum emunt, & postea infra regnum ipsum eas portant, vendunt & expendunt.

Nos igitur attendentes quòd iidem falsarij & fabricatores monetarum talium, & emptores prædicti, per hoc se dignos maledictione constituunt, eos qui, ut præmittitur, præmissa moliri, aut fabricare, aut emere, vel portare ad regnum prædictum scienter præsumpserint, excommunicationis sententia innodamus, absolutione prædictorum nobis & successori-

bus noſtris præterquàm in mortis articulo reſervatâ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ innodationis & reſervationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Toloſæ ſecundo Kalendas Januarij, Pontificatus noſtri anno quarto.

Eruit D. d'Herouval.
* Carolo VI.

MARTINI PAPÆ V.
Chariſsimo in Chriſto filio CAROLO * Regi Francorum Illuſtri.

AN. CHR. 1425.
Gratias agit de Oratoribus obedientiæ ad ſe miſſis à Rege.

XLVII. MARTINUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Chariſſimo in Chriſto filio CAROLO Regi Francorum Illuſtri ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Illa ſolemnis legatio tuæ ſerenitatis ad nos noviſſimè deſtinata, quæ adventu ſuo & ſignificatione tuæ erga nos & ſedem Apoſtolicam filialis obedientiæ per ſolemnes Oratores tuos nobis cum effectu exhibitæ, & ſinceræ tuæ devotionis & fidei prout ſemper optavimus conſolata nos fuit lætitia & gaudio ſingulari. Nam licet tua ſingularis devotio nobis & Eccleſiæ non eſſet incognita, ipſi tamen Oratores illam Chriſtianiſſimæ domus tuæ fidei plenitudinem pridie in noſtro conſpectu prudentiſſimè & diligentiſſimè reſerarunt, exhibentes nobis pro parte celſitudinis tuæ filialem obedientiam, qualis exhibenda eſt in terris Vicario JESU CHRISTI; pro quibus ſerenitati tuæ gratias agimus, & Deum rogare non ceſſamus ut te Chriſtianiſſimum Regem diu conſervet in vita, & ſimiles Reges concedat Eccleſiæ ac populo Chriſtiano. Verùm quia venerabilis frater noſter REGINALDUS Archiepiſcopus Remenſis principalis ex aliis Oratoribus tuis ab hinc pridie recedens ceteros anteivit, ad conſpectum tuæ

celsitudinis continuò reversurus, de expeditione & gestis apud nos & de paterna benevolentia & charitate nostra erga personam tuam ab ipso Archiepiscopo clariùs poteris informari. Nos enim, Fili charissime, sicut aliàs scripsimus celsitudini tuæ prosperam valetudinem corporis, consolationem & gaudium mentis, felicem & pacificum statum regni dari tibi à Deo cupimus: sublimitatem tuam rogantes ut sæpe nos certiores reddas de omni conditione rerum tuarum, quæ quanto magis erunt secundæ, tantò libentiùs audiemus, & majorem in mente nostra lætitiam & consolationem capiemus. Datum Genezam Prænestinensis diœcesis VIII. Idus Septembris, Pontificatus nostri anno nono.

STE. GARNERII.

MARTINI PAPÆ V. *Charissimæ in Christo filiæ* MARIÆ *Reginæ Francorum illustri.*

Eruit D. d'Herouval.

MARTINUS Episcopus servus servorum Dei, Charissimæ in Christo filiæ MARIÆ Reginæ Francorum illustri salutem & Apostolicam benedictionem. Ex illa solenni legatione quam charissimus in Christo filius noster CAROLUS Rex Francorum illustris consors tuus ad nos novissimè destinavit, clarè cognovimus, sicut semper speravimus, ejus filialem obedientiam, devotionem, & fidem quam erga nos & sedem Apostolicam habere dignoscitur more clarissimorum progenitorum suorum Regum Franciæ, qui semper Romanam Ecclesiam singulari studio defenderunt, & conservarunt Ecclesiasticam libertatem. Cognovimus etiam per effectum speratum fructum tuarum laudabilium actionum, quia tua serenitas sicut Reginam Christianissimam decet, & nos scimus, continuè apud Regem ipsum & alios

AN. CHR. 1425. Ejusdem argumenti quod præcedens.

ubi fuit expediens, intercessit pro facienda nobis & Ecclesiæ restitutione obedientiæ filialis, quæ cùm nobis per solennes Oratores præfati Regis sit exhibita & oblata, plenissimè gratias agimus præfato Regi & tuæ celsitudini reginali; rogantes Deum ut te & illum diu conservet in vita, & similes Reges & Reginas concedat Ecclesiæ & populo Christiano. De his autem quæ apud nos gesta sunt, & de paterna benevolentia & charitate nostra erga personam tuam & præfati Regis, ex relatione venerabilis fratris nostri REGINALDI Archiepiscopi Remensis, suæ celsitudinis Oratoris, ad conspectum præfati Regis præsentialiter redeuntis clariùs poteris informari. Datum Genezam Prænestinensis diœcesis VIII. Idus Septembr. Pontificatus nostri anno nono.

M. PIVARDI.

Ex chartis D. d'Herouval.

MEDIA PROPOSITA AD Ecclesiæ pacem & concordiam ineundam.

AN. CHR. 1447.

XLVIII. ADVISATA in facto pacis Ecclesiæ, in quibus reverendissimus in Christo Pater & illustrissimus Princeps dominus JACOBUS Archiepiscopus Trevirensis pro se, & reverendissimo ac illustrissimis Principibus domino THEODERICO Archiepiscopo Coloniensi, LUDOVICO Comite Palatino Rheni Duce Bavariæ, & FRIDERICO Duce Saxoniæ suis Coëlectoribus, se conformare voluit Serenissimo & Christianissimo domino Regi Francorum in modo qui sequitur.

I. Primò tantùm desiderant ipsa Regia Majestas & præfati quatuor domini Electores sui confœderati, ut bona pax & tranquillitas vigeat inter viros Ecclesiasticos ubique per Orbem, ex qua ceteri status meliùs disponentur, & magna bona universæ Chri-

stianitati provenient. Intendúntque efficaciter laborare, quòd divisiones, & differentiæ * modernis temporibus existentes in Ecclesia Dei primitùs sedentur & pacificentur. Utque unum Concilium generale pro bono Ecclesiæ celebretur, in quo magna bona, Deo concedente, procurabuntur. Necnon quòd Conciliorum generalium autoritas refloreat, & ab omnibus in debita reverentia & observatione habeatur.

* Gal. *les differens.*

II. Et quoniam hactenus magnæ & pene inextricabiles altercationes intervenerunt inter felicis recordationis Eugenium Papam quartum & Concilium Basiliense, ac eos, qui eidem interfuerunt, variique processus, sententiæ, censuræ, privationes & pœnæ hinc inde occasione præmissorum emanaverunt: & adhuc aliqui in Basilia, aliqui in Laterano se Concilium habere dicunt. Quibus altercationibus finem expedit imponere, ut citiùs & evidentiùs pax in Dei Ecclesia haberi possit. Considerantes Rex & præfati Principes Electores, quòd Catholica universalis Ecclesia diffusa per Orbem, & communitas fidelium ut plurimum hujusmodi processus, sententias, censuras, procurationes & pœnas, hinc inde emanatas non recepit, nec gratas habuit, licet jam ad informationem de his habendam magnum tempus effluxerit; volentes conniti ipse Rex & prædicti domini Principes Electores auctoritati & observationi ipsius universalis Ecclesiæ, & eam insequentes atque efficere satagentes, quod ejusdem Ecclesiæ paci congruum, sicut pacem ipsam prosequi interest Principum & Prælatorum, visum est disponendum & ordinandum, firmitérque observandum, etiam quantum ad dominum Ducem Sabaudiæ & dominia sua (cui dispositioni & ordinationi Regis stare promisit) atque apud omnes ubi opus erit prosequendi, quòd sicut communior Ecclesiæ observatio hucusque habuit, præfati processus sententiæ, censuræ, privationes &

pœnæ occaſione premiſſorum, & omnium ex iis dependentium. Eſto etiam quòd in hujuſmodi cenſuris, privationibus, & aliæ cauſæ adderentur, hinc inde emanati, & quæcumque mandata, ordinationes, ſeu dicta conſcripta, aut quomodolibet acta ſeu geſta in hujuſmodi rerum proſecutione, cujuſcumque vel quorumcumque adverſùs quemcumque vel quoſcumque cujuſcumque ſtatus, gradus, dignitatis vel conditionis, etiam ſi Papalis, Cardinalatus, Archiepiſcopalis, vel temporalis exiſterent: ſub quocumque nomine, etiam Papæ, vel Concilij, hæc facta ſint, pro non factis habeantur; pro expreſſis, etiam ſi talia ſint, de quibus mentio ſpecialis & de verbo ad verbum habenda foret. Eſto etiam quòd talia univerſalem Eccleſiam, & auctoritatem Conciliorum univerſalium aut ſedis Apoſtolicæ concernant quoviſmodo: omníſque diſſenſio, diviſio & ſciſſura occaſione harum proventionum penitus auferatur & dimittatur, ac ſi numquam prædicta facta fuiſſent: tractatúſque pacis & concordiæ inter præfatum Papam EUGENIUM, & omnes & ſingulos, qui Concilio Baſilienſi interfuerunt, ſeu tamquam eidem Concilio aut geſtis ejus adhærentes cum eo, ſeu ipſe eum eis aliquas differentias habuerunt aviſatus * per ipſum Chriſtianiſſimum dominum Regem Francorum continentur, & perficiantur reſpectu S. D. N. Domini NICOLAI Papæ quinti, cui per eoſdem qui Concilio Baſilienſi aut geſtis ejus quoviſmodo adhæſerunt, faverunt, aut obediverunt, & per quoſcumque alios, qui præfato Eugenio, aut ipſi S. D. N. Papæ Nicolao contrariati fuerunt, omnis honor, reverentia & obedientia, eíſque per ipſum S. D. Papam Nicolaum omnis amor & paterna dilectio abſque præteritorum recordatione exhibeatur. Quódque deinceps ab appellatione Concilij generalis, tam in Baſilea quàm in Laterano (quæ appellatio non jam unitati Eccleſiæ proficeret, ſed obeſſet) penitus ceſſetur: ut ſic omni

*ſupra * advi..ata.*

impedimento sublato ad Concilium generale, sicut præmittitur, habendum, quod ab omnibus Christianis in unanimitate & concordantia reputetur, perveniri possit.

III. Non tamen intendunt præfati domini, quòd per prædicta decretis acceptatis cum suis modificationibus tam im Imperio quàm in Regno Franciæ, aliquod intelligatur præjudicium generari. Et quòd unicuique volenti habere litteras super prædictis, expediantur in forma meliori.

IV. Dignum insuper arbitrantur Regia Majestas & Principes Electores præfati, & ad hæc operam cum effectu impendant, quòd patri domini Ducis Sabaudiæ se prædictæ observationi ob bonum universæ Ecclesiæ diffusæ per Orbem conformanti, & promissionem ejusdem domini Ducis filij sui Christianissimo Regi factam cum ipso patre sciente, & non contradicente, nec prohibente, indubiè facta præsumuntur amplectenti cum effectu; atque pro tanto bono pacis Ecclesiæ omnino nomen & titulum Papatus dimittenti honor exhibeatur, ac statum honorabilémque provisionem in Ecclesia habeat: necnon etiam per eum promoti ad dignitates & honores Ecclesiasticos, qui eos acceptarunt, & ad beneficia quæcumque, quæ ipsorum beneficiorum possessionem pacificam habeant in sua obedientia, eadem assequentur & obtineant. Et similiter de his, qui sub nomine generalis Concilij Basiliensis promoti sunt in eorum obedientia, officiationibus quoque suis omnis consolatio possibilis fiat; qui tam in Romana Curia quàm sub administratione domini patris præfati Ducis Sabaudiæ habebuntur recommissa; aliqua tamen super prædictis privationibus & promotionibus aliquos particulares tangentia, & bonum hujus negotij concernentia, intendit Rex aperire in conclusione hujusmodi concordiæ.

V. Ultra prædicta super loco & tempore futuri

Concilij videbatur prædictis dominis Principibus Electoribus, quòd haberet fieri in uno quoque locorum in Allemania nominatorum; ſed domino Regi Franciæ propter rationes quamplures videtur, & ita inſtare intendit, quòd locus Concilij rebus gerendis accommodus determinetur in ſuo Regno : verumtamen iſtum ad tempus adviſatum eſt inter ipſos dominum Regem Francorum & Principes Electores præfatos, quòd reddetur omnibus ipſis procurandi, ut incipiat illud Concilium de Calendis Septembris proximè futuris ad annum.

VI. Item inſtabit dominus Rex Francorum, quòd S. D. Nicolaus Papa conventus, Concilij Conſtantienſis decretum *frequens*, & alia ejus decreta, ſicut cetera concilia Catholicam militantem Eccleſiam repræſentantia, ipſorum poteſtatem, auctoritatem, honorem, & eminentiam, ſicut & ceteri anteceſſores ſui ſuſcipiet & venerabitur.

VII. Item, quòd dominus Rex Francorum, & quilibet ſuorum confœderatorum habeat bullas ſuper indictione futuri Concilij, & ſuſpicione prætacta ſi obtenta fuerit.

VIII. Item, ſi dominus Dux Sabaudiæ, vel dominus pater ejus, ſeu quicumque eidem adhærentes, his pacis & concordiæ mediis, de quibus in præſenti ſchedula continetur, repugnaverint, aut acquieſcere noluerint, ſeu diſtulerint, quod non ſperatur, ſit deinceps contra eos, aut eorum aliquos, per S. D. N. Nicolaum Papam procedatur; non confidant, quòd de cetero in pacificandis ſeptum ad eos negans Rex & præfati Principes Electores quomodolibet ſe intromittant; quin immo intendunt omnibus viis & modis juſtis & rationalibus præbere auxilium & favorem proceſſibus, cenſuris, & excommunicationibus contra tales fraudes, maximè poſtquam contenta in præſentibus adviſatis fuerint per S. D. Papam Nicolaum concordata.

IX. In

IX. In suprascriptis advisamentis concurrit & se conformavit supradictus Reverendissimus & illustrissimus Princeps JACOBUS Archiepiscopus Trevirensis, pro se & tribus Coelectoribus suis supra nominatis in eventum ratihabitionis ipsorum trium. Quòd siquis præfatorum quatuor Electorum prædicta non ratificaverit infra Kal. Septembris, careat commoditate ipsorum advisamentorum & contentorum in eisdem : quæ ratificatio intimabitur Christianissimo domino Regi Francorum, vel suis Rectoribus in præsenti negotio pacis laboraturis, in quocumque loco fuerint, infra tempus prædictum. Quorum quidem advisamentorum prosecutio possibilis fiet apud S. D. N. Dominum NICOLAUM Papam, conventum *, & alibi ubi dicebat ex parte Serenissimi & Christianissimi domini nostri Regis Francorum, concurrentibus in hoc secum, & se eidem conformantibus præfatis dominis quatuor Electoribus Imperij. Factum Bituris die vicesima octava mensis Junij, Anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo.

f. * quid tum & alibi ubi dece. ir.

JOHANNES Lux manu propria scripsi de mandato domini mei Trevirensis.

JOHANNES de Huss Protonotarius Reverendissimi Domini Archiepiscopi Coloniensis.

H. Sugelliardi Secretarius Illustrissimi domini mei Ducis Saxoniæ, prout supra concurrerunt.

Collatio facta cum originali per me.

DYSOME.



Eruit D. d'Herouval.

LVDOVICI DELPHINI AD patrem Carolum VII. Francorum Regem. Nuntiat sibi natum filium.

An. Chr. 1459.

XLIX. MON tres redoubté Seigneur, je me recommande à vostre bonne grace tant & si tres humblement comme plus faire puis, & vous plaise savoir, mon tres redoubté Seigneur, qu'il à pleu à nostre benoist Createur & à la glorieuse Vierge sa mere delivrer ce jourd'huy au matin ma femme d'un beau fils, dont je loue mondit benoist Createur & le remercie tres humblement, de ce que par sa clemence il lui à pleu si benignement me visiter, & donner vraie cognoissance de ses infinies graces & bontés: lesquelles choses, mon tres redoubté Seigneur, je vous signifie en toute humilité, afin de tousiours vous donner à cognoistre mes nouvelles, & mesmement quand elles sont bonnes & joieuses, comme raison est, & tenu y suis. Mon tres redoubté Seigneur plaise vous adés me mander & commander tous vos bons plaisirs pour y obeïr à mon pouvoir, de tres humble vouloir à l'aide du benoist saint Esprit, qui mon tres redoubté Seigneur vous ait en sa sainte & digne garde, doint bonne vie & longue, avec l'entier accomplissement de vos tres haulx & tres nobles desirs. Escrit à nostre Dame de Hal, le XXVII. jour de Juillet.

Vostre tres humble
& tres obeissant
fils LOYS.

Au dessus est escrit. A mon tres redoubté Seigneur. *Au dessus est encore escrit*: Lettres de Monseigneur le Daulphin receues le v. jour d'Aoust mil CCCCLIX.

REGIS RESPONSIO AD præfatas litteras.

Eruit D. d'Herouval.

DE PAR LE ROY.

TRes cher & tres amé fils, nous avons receu vos lettres, par lesquelles nous faites savoir que le vingt-septiesme jour du mois de Juillet dernier passé nostre tres chere & tres amée fille la Daulphine delivra d'un beau fils, nous nous sommes bien merveillés que paravant ne nous avez aucune chose notifié de sa groisse : car combien que ne soyés par devers nous, comme deussiés estre, & que de tout nostre cuer le desirons, ainsi que plusieurs fois le vous avons fait savoir, ce nonobstant, que si en eussiez adverty nous eussions voulentiers envoié devers elle, pour y faire & regarder les formes & solemnités en tel cas requises & accoustumées en la Maison de France. Et nous semble bien que desormais seroit temps que vous advisassiés de vous conduire & radresser envers nous comme y estes tenu, & que pour vostre bien & honneur devés sur toutes choses desirer. Donné à Champegne le quatorsieme jour d'Aoust.

AN. CHR. 1459.

DE PAR LE ROY.

Eruit D. d'Herouval.

L. NOs amez & feaulx, pourceque l'année passée & tousiours depuis le temps & saison ont esté fort indisposés, principalement pour le vent de Galerne qui a couru ; & afin que Dieu le vueille abatre & amoderer, consoler, & aider le pouvre peuple de nostre Royaume, nous vous prions & neantmoins enjoingnons que tous ensemble avec les officiers & supposts de nostre Chambre des Comptes & du Tresor, vous disposez & mectez en estat de grace, & alez processionnalement avec tels

AN. CHR. 1482. Rex Ludovicus XI. ordinat publicas supplicationes in S. Dionisij Ecclesia.

gens d'Eglise que adviserez au lieu & Monastere de Monsieur Saint Denis en France, & illec avec les Religieux & Couvent dudit Monastere faites processions, prieres & oroisons envers Dieu pour ce que dit est, & que par sa grace il nous vueille & nostre tres chier & tres amé fils le Daulphin de Viennoys preserver & maintenir en bonne santé, & entretenir paix & union a nostre dit Royaume. Donné au Plessis du Parc le troisiéme jour de Fevrier.


Signé LOYS.

plus bas, Charpentier.

Et au dessous est escrit, Apporté le Jeudy au soir septiéme dudit Fevrier mil quatre cens quatre vingt deux, & le lendemain fut faite ladite procession.

Au dos est escrit, A nos amez & feaulx les gens de nos Comptes, Tresoriers & autres officiers & supposts tant desdits Comptes que du Tresor, à Paris.





CHRONICON
GUILLELMI DE NANGIS,
Sive NANGIACI, *Monachi S. Dionysij in Francia Ordinis S. Benedicti.*

MCXIII.



SIGIBERTUS Gemblensis* Monachus, temporum & regnorum descriptor præcipuus, moriens finem chronicæ suæ fecit. Abhinc subsecutus est eum frater GUILLERMUS DE NANGIS Monachus sancti DIONYSII in Francia.

*al. * Gemblacensis.*

Eodem anno sanctus BERNARDUS cum sociis suis triginta & ampliùs sub Abbate STEPHANO Cistercium est ingressus anno ætatis suæ vicesimo secundo, ubi quantæ devotionis & relligionis, quantíque fervoris extiterit, vix exprimi lingua potest. Siquidem ab ipso ingressu suo tanta districtione corpus suum affligere studuit, quòd totâ deinceps vitâ suâ infirmitate multiplici laboravit; factúmque est ut post breve tempus Cisterciensis Abbatia, quæ rebus & gente pauper & sterilis fuerat, plures jam Abbatias nobilissimas parturiret.

MCXIV.

In pago Brabatensi circa Tornacum nix tanta cecidit nono Kalendas Maij, ut etiam pondere suo silvas fregerit. Apud Ravennam & Parmam civitates Italiæ in agris & intra mœnia sanguis pluit Junio mense. Idibus etiam Novembris in suburbio Antiochiæ terra noctu dehiscens turres multas & adjacentes domos cum habitatoribus absorbuit. BALDUINUS

Rex Jerusalem cum ROGERO Comite Antiochiæ contra Turcos vadit, sed Rogero cum exercitu suo juxta quemdam fluvium residente, Rex cum suis præcessit, ut adventum Turcorum exploraret. Turci verò montem quemdam occupantes, insidias per quatuor loca collocaverunt, singulis insidiis quatuor milibus equitum deputatis, à quibus ex insperato Rex Balduinus undique interseptus, mile quingentis suorum interfectis, miserabili fuga liberatus est. Turci Cœnobium in monte Tabor situm funditus evertunt, Monachos interficiunt, & omnia ibi diripiunt. Eo quoque tempore à CONONE Apostolicæ Sedis Legato in Galliis tria Concilia celebrata sunt, primum Remis, secundum Belvaci, tertium Cathalaunis.

LUDOVICUS Rex Franciæ obsedit castrum Gornaij super Matronam fluvium situm, contra HUGONEM DE POMPONA dominum Creciaci, qui rapinis intentus mercatorum naves per fluvium transeuntes expoliabat, & apud Gornaium spolia deducebat. Venit autem ad auxilium dicti Hugonis GUIDO RUBEUS DE RUPE FORTI pater ipsius Hugonis, & Comes Campaniæ THEOBALDUS; sed Rege viriliter decertante eos ad fugam compulit, & castrum in deditionem accipiens Garlandensibus commisit. IVO Carnotensis Episcopus qui librum illum compilavit, quem decreta Ivonis nominant obiit, cui successit GAUFRIDUS vir vitæ venerabilis.

MCXV.

LUDOVICUS Rex Franciæ circa idem tempus fuit à Vicinis Baronibus suis & Militibus sic arctatus, quòd vix ab urbe Parisius securè egredi posset; sed tandem Dei virtute & auxilio Beatorum Martyrum Dionysij, Rustici & Eleutherij, quos semper invocabat, contra hostes animatus, HUGONEM DE PUISACO in Blesia, & Comitem Blesensem THEOBALDUM potentissimè subjecit, castrum Puisaci funditus evertens : deinde ODONEM Corboliensem

Comitem, & HUGONEM DE CRECIACO, GUIDONEM DE RUPE-FORTI, & THOMAM DE MARLA tyrannum ſibi adverſantes perpetuò exhereditavit, HAIMONEM etiam dominum Borbonis ſuppeditans munitiones ejus, & omnium prædictorum oppida ad ſuam juriſdictionem revocavit. Cum Rege autem Anglorum HENRICO variis & diverſis temporibus pugnans, eum ſæpe mirabili bello perdomuit.

LAMBERTUS bonæ memoriæ Attrebatenſis Epiſcopus obiit. A tempore verò ſancti VEDASTI uſque ad iſtum Attrebatenſis Eccleſia proprio viduata Præſule, Cameracenſi Epiſcopo ſubjecta erat.

Cœnobium Clarevallis fundatur ſub primo Abbate BERNARDO. Clarevallis autem non longè eſt à fluvio Albe, qui antiquitus fuit ſpelunca latronum & Vallis Abſintialis dicebatur propter amaritudinem incidentium in latrones. Eodem tempore Monachi commorantes ſæpe pulmentum ex foliis fagi ſibi conficiebant. Panis ſimilis erat illi prophetico ex hordeo, milio & vicia, qui magis terreus quàm furfureus videbatur.

MCXVI.

Dum quidam Sacerdos Miſſam celebraret in Dolenſi Cœnobio, puer in loco hoſtiæ ſuper altare apparuit. Hoc tempore Præmonſtratenſis fundator Ordinis in Lotharingia natus, divitiis, genere & facundia clarus, ſuccenſus divino fervore & Presbyter ordinatus, paupertatis Chriſti tunica induitur, & nudus Chriſtum ſequens, verbúmque prædicationis ubique nudis pedibus ſpargens, multos ab errore convertit.

MCXVII.

ANSELMUS Laudunicæ civitatis Magiſter nominatiſſimus, litterarum ſcientia clarus obiit; qui inter cetera opera ſua in Pſalterio gloſſas marginales &

interlineares ordinavit. ALEXIUS Imperator Græcorum obiit, cui succeſſit JOHANNES filius ejus.

JOHANNES Imp. MCXVIII.

Rex Jeruſalem BALDUINUS primus moritur, cui ſucceſſit BALDUINUS DE BURGO ejus conſanguineus Comes de Roaſa civitate quæ olim dicta fuit Ediſſa. Menſe Januario in aliquibus locis terræ motus accidit alibi clementior alibi validior, adeò ut quarumdam urbium partes ſubruiſſe dicatur. Moſa etiam fluvius juxta Abbatiam quæ dicitur Suſtula * quaſi pendens in aëre fundum ſuum viſus eſt deſerviſſe.

al. * Suſtera.

Eodem quoque anno Leodium civitas multis plagis attrita eſt. Menſe enim Maio quinto Nonas ejuſdem dum in Majori Eccleſia Veſperas celebrant, ſubitò tonitruus cum terræ motu omnes ad terram ſtravit, & fulmen à læva templi ingreſſum, cortinis altaris exuſtis, huc illuc deſiliit, deinde turrim ingrediens multas trabium partes diſrupit; ſubſecutus eſt fœtor intolerabilis, adeò ut multorum aromatum odore vix potuerit expelli. Item Junio Menſe ſeptimo Idus ipſius circa horam nonam, nubes pluviæ ſubitò lapſa à monte qui dicitur Roberti, ſubjectam ſibi partem civitatis penitus oppreſſam circumdedit, adeò ut multas domos diruerit, & immenſam annonam perderet, mulierem etiam duos infantes altrinſecus in brachiis amplexatos necaret, & alios octo homines in diverſis locis opprimeret. Pulſantibus Veſperis Sabbato quædam mulier dum caput lavat puero, manus rubent ſanguine fluido. Namurci monſtrum quoddam natum eſt, cui par numquam vel rarò viſum eſt, videlicet biceps infantulus, hic tam ſexu duplex quàm ceteri ſimplex erat compage corporis.

Tertio decimo Kalendas Januarij primâ horâ noctis igneæ acies à Septemtrione in Orientem in cælo apparuerunt, deinde per totum cælum ſparſæ, plurima noctis parte, videntibus miraculo & ſtupori fuerunt. PASCHALI Papa defuncto, GELASIUS ſecundus

Romanæ

Romanæ Ecclesiæ centesimus sexagesimus secundus Papa præsidet. At Imperator Romanorum HENRICUS quia electioni non interfuerat, Hispanum quemdam nomine BURDINUM ei superordinavit. Gelasius verò Papa cùm à sancta sede, Imperatoris & Romanorum tyrannide, arcetur, ad tutelam & protectionem LUDOVICI Regis Franciæ, & Gallicanæ Ecclesiæ compassionem, sicut antiquitus consueverunt antecessores sui Romani Pontifices, confugit, indicto Remis Concilio. Hoc tempore fundata est Abbatia Pruliaci à THEOBALDO Comite Campaniæ, & ADELA matre sua filia GUILLERMI Nothi, quæ nupsit STEPHANO Comiti Carnotensi.

BALDUINUS Flandriæ. MCXIX.

GELASIO Papa apud Cluniacum defuncto, & ibidem sepulto, GUIDO Viennensis Archiepiscopus STEPHANI Comitis Burgundiæ germanus Romanæ Ecclesiæ centesimus Sexagesimus sextus Papa præsidet, & CALIXTUS secundus nominatur. Hic Concilium à prædecessore suo Remis indictum celebravit, ubi excommunicati sunt Symoniaci, & pro sepultura, Chrismate & Baptismo pretium exigentes, ibíque uxorum & concubinarum contubernia Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis sunt penitus interdicta. Dum autem pro reconciliatione Imperatoris Romanorum & Ecclesiæ ibidem cum Legatis Imperatoris tractaret nec profecisset Calixtus Papa, ipsum Imperatorem cum suis factoribus excommunicavit. BALDUINUS Comes Flandriæ Calixti Papæ ex sorore nepos, volens GUILLERMUM filium ROBERTI Ducis Normanniæ ab HENRICO Rege Angliæ captivatum in hereditate patris instituere, post occupatam magnam Normanniæ partem in capite bello vulneratus à militibus Angliæ Regis occubuit, cui consobrinus ejus CAROLUS CANUTI Regis Danorum filius in Comitatu successit. Guillermus verò filius Roberti Ducis Normanniæ duxit in uxorem

ſororem LUDOVICI Regis Francorum conceſſâ ei Flandriâ poſt obitum Caroli Comitis.

MCXX.

Ordo Præmonſtratenſis incœpit, cujus loci & Ordinis fundator extitit vir Dei NORBERTUS. Eodem etiam tempore ſumpſit exordium Ordo Militiæ Templi ſub HUGONE Magiſtro eorum. Apud Vizeliacum in vigilia ſanctæ MARIÆ MAGDALENÆ, incertum quo Dei judicio, innumerabiles promiſcui ſexus & ætatis atque ordinis in ipſo noctis crepuſculo, Eccleſia ſubitò flagrante, combuſti ſunt. GUILLERMUS & RICHARDUS filij HENRICI Regis Anglorum, & filia ipſius Regis & neptis, necnon multi Proceres & nobiles Angliæ, volentes de Normannia tranſire, in mari ſubmerſi ſunt, cùm mare eſſet tranquilliſſimum, & ventis careret. Qui omnes fere ſodomitica labe dicebantur & erant irretiti, & omnes fere ſepultura caruerunt.

Papa CALIXTUS poſt Concilium Remenſe Romam proficiſcens, ab omni ſenatu & populo glorioſè ſuſcipitur, nec multam fecerat in Sede moram, cùm Romani tam nobilitati ejus quàm liberalitati faventes, BURDINUM ſchiſmaticum & Antipapam apud Surrentum ſedentem, & ad limina Apoſtolorum tranſeuntes Clericos genu-flectere compellentem, expugnatum tenuerunt, quem crudis & ſanguinolentis pellibus caprinis amictum per medium civitatis conducentes, imperante Domno Papa Calixto perpetuo carcere in montanis Campaniæ captivatum damnaverunt, & ad tantæ ultionis memoriæ conſervationem, in camera Palatij ſub pedibus Domni Papæ conculcatum depinxerunt.

MCXXI.

HENRICUS Rex Angliæ duxit AELIDEM filiam Ducis Lovaniæ uxorem propter pulchritudinem ſuam, erat enim pulchra valde. In Epiſcopatu An-

degavensi Abbatia Oratorij à FULCONE Comite Andegavensi & uxore ejus EREMBURGE fundatur.

MCXXII.

Hoc tempore Autissiodorensem regebat Ecclesiam Domnus HUGO sancti GERMANI Autissiodorensis pius Abbas, sancti HUGONIS Cluniacensis nepos, vir virtutum suarum insignis & perpetuò venerandus. SUGERIUS sancti DIONYSII in Francia Monachus scripturarum scientia clarus, cùm solummodò esset ad Diaconatus ordinem promotus, à Roma regrediens, quò fuerat à Rege Franciæ LUDOVICO missus, Abbate suo Adam defuncto, eligitur in Abbatem; qui reversus primò Presbyter ordinatur, & pòst præsente Rege à Bituricensi Archiepiscopo in sua sancti DIONYSII Ecclesia in Abbatem benedicitur.

MCXXIII.

Romæ sub CALIXTO Papa celebratum est Concilium trecentorum aut ampliùs Episcoporum, in quo pax inter Regnum & Sacerdotium de querela investiturarum Episcopalium reformatur, & ibi cassatur privilegium quod HENRICUS Imperator extorserat à Paschali Papa de investituris ac perenni anathemate in irritum reducitur. In Cœnobio sancti DIONYSII in Francia per industriam SUGERII loci ejusdem Abbatis Religio reformatur: Nam per Abbatum negligentiam, qui ante ipsum fuerant, & quorumdam illius Monasterij Monachorum, regularis institutio ita ab eodem loco abjecta fuerat, quòd vix speciem Religionis Monachi prætendebant. DAINBERTO Senonensi Archiepiscopo defuncto, successit HENRICUS cognomento APER. Combusta est Ecclesia sancti MARTINI Turonensis & castrum per Clericorum & burgensium guerram.

MCXXIV,

CALIXTO Papa defuncto, Romanæ Ecclesiæ

centesimus sexagesimus septimus Papa HONORIUS secundus præsidet. FULCO Comes Andegavensis Monsteriolum castrum super GIRARDUM Berlay obsessum capit. BALDUINUS Rex Hierosolymorum à Sarracenis præventus capitur, sed post diuturnam captivitatem datâ pecuniâ relaxatur. HENRICUS Imperator Romanorum collecto longo animi rancore contra Regem Franciæ LUDOVICUM, eo quod in Regno ejus Remis in Concilio CALIXTI Papæ anathemate innodatus fuerat, congregata exercitûs multitudine ingenti Franciam invadere disposuit, proponens Remensem destruere civitatem; sed Ludovico Francorum Rege in occursum ejus cum copioso exercitu veniente, timens Imperator Francorum probitatem ad propria ociùs remeavit: quo Francorum Rex comperto, sola Archiepiscoporum, Episcoporum & Religiosorum virorum prece à vastatione Imperatoris terræ vix se valuit continere.

MCXXV.

Hyems gelu solito acerbior, & aggestu nivis sæpiùs decidentis nimis horrida & inopportuna * fuit. Multi enim pauperum infantes & mulieres nimietate frigoris defecerunt. In multis vivariis pisces absorpti sub glacie perierunt; glacies enim adeò spissa erat & valida, ut vehicula onusta super eam ducerentur, & quasi super solum equitaretur. In Brabanto anguillæ innumerabiles propter glaciem à suis paludibus exeuntes, quod dictû mirum est, in fenilibus fugientes latuerunt, sed ibi præ nimietate frigoris deficientes computruerunt. Mortalitas quoque animalium maxima fuit. Hyemi successit intemperies aëris nunc nive, nunc pluvia, nunc gelu alternatim satis noxia usque ad medium Martij; postea vix tandem arbores floruerunt Mayo mense, vix etiam terra herbarum & graminum viguit virore. Imber postmodum singulis mensibus assiduè deciduus sata agrorum pene absorpsit; nam siligo & avenæ proventus sui fructum satis

* importuna.

ſunt ementitæ. Multi quoque ſacro igne aduruntur. Tyrus à Chriſtianis terra & mari obſeſſa capitur, & Chriſti Imperio ſubjugatur. Fames quoque magna Regnum Franciæ devaſtavit.

MCXXVI.

In Hiſpania ignobilis muliercula monſtrum bis * gemini corporis eſt enixa, averſis vultibus & corporibus ſibi cohærens, ante quidem effigies hominis integro * corporíſque cedine diſtincta, retro verò facies canis ſimiliter corporis & membrorum proprietate integra. In Brabanto villa Norirca alia mulier enixa eſt quatuor maſculos uno partu.

bis * redundare videtur.

f. * integra membrorum corporiſque celſitudine diſt.

HENRICUS Imperator Romanorum pœnitentiâ ductus reliquit Imperium, & ab hominum notitia ſublatus, nec poſtea viſus eſt vel cognitus; tamen quidam dixerunt quòd apud Andegavis in hoſpitali pauperum viſus & per confeſſionem ab uxore ſua cognitus, mortuus & ſepultus eſt. Alibi verò legitur quod Pentecoſtem celebraturus veniens apud Ultrajectum morbo dracunculi qui ſibi erat nativus periit, cujus corpus ejectis inteſtinis ſale reſperſum Spiræ delatum eſt. Imperatore itaque perdito MATILDIS Imperatrix uxor ejus carens liberis ad HENRICUM Regem Angliæ patrem ſuum eſt reverſa. Florebat tunc Pariſius HUGO ſancti Victoris Canonicus religione & ſcientia clarus, & in ſeptem liberalium artium peritia nulli ſui temporis ſecundus: qui inter multa quæ utiliter ſcripſit, etiam librum de ſacramentis valde neceſſarium duobus voluminibus comprehenſum edidit. Defuncto ſive amiſſo, ut ſuperiùs dictum eſt, HENRICO Imperatore, & Principibus quibuſdam de Suavia & Allamania CONRADUM nepotem Imperatoris Henrici in Regnum ſublimare volentibus, alij LIUTHERIUM * Saxoniæ Ducem virum conſilij & bellicoſum in Regem provehunt.

* Lotharium.

LINTHERIUS. MCXXVII.

In Syria exercitus Christianorum bis congressus est Sarracenis, in primo prælio de paganis ceciderunt duo millia quingenti, de Christianis solummodò quindecim, in secundo autem non incruentam victoriam habuerunt Christiani, sed quamvis plurima eorum pars perierit, tamen auxilio Dei revigorati, absque numero hostes contriverunt & vicerunt. NORBERTUS Præmonstratensis fundator & primus Abbas in Archiepiscopum Parthonopolitanæ urbis, id est, Madegeburch *, eligitur.

* Magdeburgensis.

CAROLUS Comes Flandriæ CANUTI Regis Danorum filius, qui jure consanguinitatis successerat BALDUINO Jerosolymitani ROBERTI filio, dum apud Brugas diebus Quadragesimæ in Ecclesia sancti DONATIANI Martyris Missam audiret, à BUCHARDO nepote BUCHARDI Brugensis Ecclesiæ Præpositi, sub proditione occiditur; quod scelus à LUDOVICO Rege Franciæ confestim vindicatur; nam diversis cruciatibus omnes proditores Caroli occisores permultavit. Cui in Comitatu Flandriæ successit auxilio Regis Franciæ Ludovici GUILLERMUS filius ROBERTI Ducis Normanniæ, quem patruus suus Rex Angliæ HENRICUS, patre ejus incarcerato, exheredaverat. Qui Rex Angliæ Henricus adversus dictum Guillermum nepotem suum Principes Flandriæ concitans, fecit per ipsos Theodericum consobrinum Caroli de Alsatia contra eum accersiri. Obiit Gillebertus Turonensis Archiepiscopus, cui successit HILDEBRANNUS * priùs Cenomanensis Episcopus, in versificandi & dictandi scientia clarus, de quo quidam ait:

* Hildebertus.

Inclytus & prosa, versuque per omnia primus:
Hildebrannus olet prorsus ubique rosam.

MCXXVIII.

Multi in Regno Franciæ sacro igne accensi sunt;

qui convenientes Suessionis in Ecclesia beatæ Dei genitricis MARIÆ sanati fuerunt meritis & precibus sacratissimæ Virginis. Lauduni in Ecclesia sancti Johannis consilio Franciæ Regis & Principum Monialibus quæ infames erant ejectis, in loco ipsarum Monachi substituti sunt, ubi DROGO Religione & facundia venerabilis à Bartholomæo Laudunensi Episcopo primus Abbas ordinatur, qui postmodùm à Papa INNOCENTIO secundo Romæ Hostiensis Episcopus Cardinalis *. FULCO Comes Andegavis relinquens Comitatum Andegavensem GAUFRIDO filio suo, & in Syriam proficiscens accepit in uxorem MILISANDE primogenitam filiam BALDUINI Regis Jerusalem. LUDOVICUS Rex Francorum contra THOMAM de Marla dominum Cociaci movet exercitum, cui occurrens in auxilium RADULPHUS Comes Viromandorum, & conflictum habens cum dicto Thoma, ipsum saucium ad mortem Ludovico Regi reddidit. Qui post paululum divinæ expers Eucharistiæ spiritum nequiter exhalavit; hic enim Ecclesias illius patriæ graviter infestaverat, & mercatores transeuntes bonis suis spoliabat.

deest * creatur.

MCXXIX.

NORBERTUS Archiepiscopus apud Magedeburch in Ecclesia sanctæ MARIÆ remotis Canonicis sæcularibus fratres Præmonstratensis Ordinis collocavit. PHILIPPUS primogenitus LUDOVICI Regis Francorum Remis in Regem ungitur die Paschæ patre & Rege Angliæ HENRICO præsentibus. THEODERICUS de Alsatia in Flandrias adveniens, & suasu Regis Angliæ Henrici quosdam Flandrensium secum habens, Flandrias contra Guillermum Comitem calumniavit, cui Guillermus Comes aciebus dispositis occurrens & viriliter decertans, dum pene adnihilatis hostibus castrum in quo latebant reddi deberet, ipse Guillermus Comes inclytus sauciatus in

manu à prælio recedens satis citò mortuus est, cui successit idem Theodericus.

Moniales quædam infames quæ Ecclesiam beatæ MARIÆ de Argentolio diu potentia cujusdam sororis CAROLI MAGNI Regis Francorum occupaverant, industria SUGERII Abbatis sancti Dionysij in Francia inde expelluntur, & Monachis ejusdem loci quorum priùs fuerat restituitur. Ursicampi & Vallislucentis Abbatiæ Cisterciensis Ordinis fundantur. MATILDIS Imperatrix filia Regis Anglorum data est uxor Comiti Andegavensi, de qua genuit HENRICUM postmodùm Regem Angliæ, & GUILLERMUM Longam spatam, atque GAUFRIDUM Plante-geneste, qui filiam Conani Comitis Britanniæ cum Comitatu accepit uxorem.

MCXXX.

HONORIO Papa defuncto Romanæ Ecclesiæ centesimus sexagesimus Octauus INNOCENTIUS secundus Papa præsidet, contra quem ex altera parte PETRUS Leonis eligitur, & gravi schismate Romana Ecclesia conturbatur; sed Petro ob parentelæ suæ fortitudinem apud sanctum Petrum commorante, Innocentius Româ egressus Gallias venit, ob cujus adventum congregato à Rege & Prælatis Franciæ apud Stampas Concilio, sanctus BERNARDUS Clarævallis Abbas INNOCENTIUM suscipere persuasit; quem postmodùm Aurelianis à Rege honorificè susceptum duxit GAUFRIDUS Carnotensis Episcopus, magnarum virtutum vir apud Carnotum, ubi occurrit ei HENRICUS Rex Anglorum cum honore. Visitando itaque Gallicanam Ecclesiam sicut res exigebat, ad partes se transtulit Lotharingorum; cui apud Leodium LIUTHERIUS Imperator Romanorum cum magna Archiepiscoporum & Episcoporum atque Optimatum Regni Teuthonici comitiva occurrens, & humillimè se ipsum stratorem offerens, pedes per medium sanctæ processionis una manu

Ex Sugerio.

manu virgam ad defendendum, alia frenum albi equi accipiens, tamquam dominum ad Episcopalem Ecclesiam sic perduxit. Descendente verò tota statione eum subpodiendo * deportans, celsitudinem paternitatis ejus notis & ignotis clarificavit. Exindéque in Franciam Papa rediens apud sanctum Dionysium diem Paschæ celebravit. Cœnobium apud Bellummontem fundatur sub Abbate primo Alexandro per Robertum de Candes supra mortuum mare.

* supportando, supponendo.

MCXXXI.

PHILIPPUS filius LUDOVICI Regis Franciæ nuper in Regem Francorum inunctus, dum per civitatem Parisius equitaret, porcus equi pedibus subitò se submittens, equum super ipsum præcipitem dedit, capitéque ejus ad pavimentum illiso mortuum prostravit. De cujus subita & miseranda nece Franci lugentes corpus apud sanctum Dionysium sepelierunt.

Eodem tempore, sicut invenitur in vita sancti BERNARDI Clarevallis, infensus erat Rex Franciæ LUDOVICUS pater ejus quibusdam Episcopis Regni sui, eósque suis civitatibus & sedibus exturbarat, pro quorum pace reformanda sanctus Bernardus plures Episcopos Regi mittens nihil profecit. Accidit autem postea, ut præsente sancto viro Bernardo Episcopi multi Regis indignationem flectere cupientes tota humilitate prostrati solo tenus ejus tenerent vestigia, & nec sic gratiam obtinerent: qua ex re vir Dei Bernardus animosa religiositate permotus altera die Regem increpans diutiùs quòd sprevisset Domini Sacerdotes, liberè eidem denuntiavit quòd eadem nocte fuerat sibi revelatum: Hæc, inquit, obstinatio primogeniti tui Philippi morte mulctabitur; quod ita accidit, sicut patet superiùs. Synodus magna Remis celebrata est à Papa INNOCENTIO secundo, in qua multis ad honorem Dei dispositis ipse Papa Innocentius Ludovicum, alterum Ludo-

vici Regis Francorum filium, pro Philippo fratre, quem porcus occiderat, adhuc vivente patre in Regem coronavit.

Ecclesia sancti MEDARDI Suessionensis ab Innocentio Papa consecratur. BALDUINUS Rex Jerusalem moritur, cui successit FULCO Comes Andegavis gener ejus.

FULCO Andegau. Comes. MCXXXII.

Obiit vir sanctus HUGO Gratianopolitanus Episcopus, cujus religiosam admodum vitam conscripsit Guigo Prior Carthusiæ. Erátque circa hæc tempora pulcra ac decora facies Ecclesiæ, diversorum ordinum ac professionum circumdata varietate: dum hinc Cluniacenses & Cistercienses Monachi, inde Præmonstratenses & Regulares Canonici, ac etiam diversi habitus & professionis Sanctimoniales, & mulieres Deo devotæ, in continentia & paupertate sub obedientiæ jugo regulariter viventes, fervore Religionis se invicem provocarent, & nova certatim in diversis locis Monasteria fundarent. Cum his etiam Monachi Carthusienses & ipsi paulatim per Gallias maximè pullulabant; qui præ ceteris continentes pesti avaritiæ, quâ plurimos sub religionis habitu laborare videmus, terminos posuerunt, dum certum numerum possessionum & animalium, quem eis prætergredi nullomodo liceat, statuerunt, & ipsi singulas singuli cellas habentes paruulas, rarò nisi ob Dei cultum vel ob mutuum in charitate solatium simul convenientes, perfectiùs mori mundo, & ceteris tantò diligentiùs, quantò secretiùs Deo vivere elegerunt. Ad hoc etiam Milites Templi Jerosolymitani, ac Fratres de Hospitali sub religioso habitu continenter viventes, ubique se multiplicando in Religiositate diffundebant. Sed & Præsules Ecclesiarum ac Principes sæculi promptissimè annuebant Religiosis, sponte offerentes terras, prata, nemora & cetera que Monasteriis ædificandis erant necessaria.

Tota ferè civitas Noviomensium cum Ecclesia sanctæ MARIÆ & Episcopio incendio flagravit, justo (ut ferebatur) Dei judicio, quia summum Pontificem INNOCENTIUM multi de civitate inhonorificè susceperunt.

Clarevallis duo Cœnobia una die Paschæ produxit, scilicet Longi-pontem & Rieuallem, & post paucos dies Nancellas.

MCXXXIII.

LIUTHERIUS Romanorum Imperator expeditione transeundi in Italiam parata, cum Archiepiscopis, Episcopis, ac aliis Prælatis INNOCENTIUM Papam Romam deduxit contra Petrum Leonis, qui Ecclesiam sancti PETRI munierat, eúmque Lateranis in sede Papali honorificè collocavit, quem Liutherium ipse idem Papa ibidem in Imperatorem consecravit.

MCXXXIV.

NORBERTUS Archiepiscopus Ordinis Præmonstratensis fundator obiit. HILDEBRANNUS etiam Turonensis Archiepiscopus diem clausit extremum. Abbatia de Asinariis fundatur in Episcopatu Andegavensi.

MCXXXV.

Monasterium de Prato fundatum est. HENRICUS Rex Angliæ in Normannia moritur, & apud Radingas in Anglia sepelitur; post cujus obitum STEPHANUS Comes Boloniæ ex sorore nepos ejus, filius STEPHANI Comitis Blesensis; fratérque THEOBALDI Comitis Campaniæ in Angliam transfretans, Episcopo Wincestriæ fratre suo eum adjuvante, in Regem Angliæ coronatur : cui MATILDIS Imperatrix filia Henrici defuncti Angliæ Regis cum viro suo Comite Andegavensi occurrens, non sinebat eum in pace regnare, sed cum fautoribus

ſuis partes ſuas in Anglia mirificè defendebat.

STEPHANUS Angl. Rex. MCXXXVI.

Ventus nimius quinto Kalendas Novembris fuit, qui turres multas diruit. Mare quoque Anglicanum terminos ſuos egreſſum, partem Flandriæ cum habitatoribus ſubmerſit. JOHANNES Conſtantinopolis Imperator moritur, cui ſucceſſit MANUEL filius ejus. GUILLERMUS Pictavenſis Comes & Dux Aquitaniæ ad ſanctum JACOBUM peregrè proficiſcens, in die Paraſceue Paſchæ obiit, & ante altare ſancti JACOBI ſepelitur; relinquens duas filias ALIENORDEM & PETRONILLAM. Qui antequam moreretur Proceres ſuos quos ſecum habebat conteſtatus eſt, ut filia ſua majòr Alienordis LUDOVICO juniori Francorum Regi cum Aquitaniæ Ducatu uxor traderetur.

MANUEL Imperator. MCXXXVII.

Siccitas inaudita fuit à Martio uſque ad Septembrem, ita quòd fontes, putei & multi fluvij ſiccarentur. LUDOVICUS Rex Francorum audita morte GUILLERMI Ducis Aquitaniæ miſit LUDOVICUM filium ſuum jam in Regem coronatum & inunctum in Aquitaniam, ad deſponſandam ALIENORDEM prædicti Ducis filiam, quam cum Ducatu Aquitaniæ accipiens in uxorem, apud Burdegalas deſponſavit, de qua poſtea genuit MARIAM Comitiſſam Campaniæ, & AELIDEM uxorem THEOBALDI Comitis Bleſenſis. Infra igitur menſem poſt nuptias Ludovici juvenis Regis obiit pater ejus Ludovicus Rex Kalendis Auguſti, & in Eccleſia ſancti Dionyſij in Francia ſepultus fuit, cui ſucceſſit LUDOVICUS filius ejus agnominatus junior. Abbatia Mortui-maris in foreſta de Lyons fundatur, quam Abbas Urſicampi in filiam ſuſcipiens Monachos ſuos illuc miſit. LIUTHERIUS Imperator Romanorum ſecundam expeditionem in Italiam faciens, dum rediret in pa-

triam ſuam ſubactâ Italiâ & Appuliâ moritur, cui ſucceſſit CONRADUS HENRICI Imperatoris de ſorore nepos.

CONRADUS Imperat. LUDOVICUS Rex.

MCXXXVIII.

PETRUS LEONIS, qui per ſchiſma Papatum invaſerat per octo annos, judicio Dei percuſſus interiit. Tunc INNOCENTIUS Papa ordinatos ab eo degradavit, & ne ultra promoverentur ad Ordines judicio Dei decrevit. Florebat hoc tempore THEOBALDUS Comes Campaniæ, pater orphanorum, judex viduarum, cæcorum oculus, pes claudorum, in pauperibus ſuſtinendis ſingulariter munificus, in conſtruendis Monaſteriis & erga Religioſos quoſcumque largitate incomparabilis. Hic Abbatiam ſancti FLORENTII Salmurienſis, & Abbatiam Eleemoſynæ Ciſtercienſis, ac plures alias conſtruxit. Genuit autem ex MATILDE uxore ſua nobili genere Theutonicorum progenita HENRICUM Comitem Campaniæ, & THEOBALDUM Comitem Bleſenſem, ac STEPHANUM Comitem Sacri-Cæſaris, GUILLERMUM primò Carnotenſem electum, deinde Senonenſem Archiepiſcopum, poſt Remenſem; item ADELAM Reginam Francorum, Comitiſſam de Partico, Comitiſſam Barri, ac uxorem Ducis Burgundiæ.

Florebat etiam GUILLERMUS Nivernenſis Comes inſignis, cujus devotio mira enituit, dum de potenti Principe ſæculi factus eſt in Carthuſia humilis pauper CHRISTI. Florebat & ſanctus BERNARDUS Abbas Claræyallis, & ſanctus MALACHIAS in Hybernia, qui mortuum ſuſcitavit. Florebat etiam Magiſter GILBERTUS cognomento PORREE, tam liberalium artium quàm divinarum ſcripturarum doctor eximius, & ferè incomparabiliter eruditus. Hic poſt Magiſtrum ANSELMUM ſuper pſalterium & ſuper Epiſtolas PAULI ex dictis ſanctorum Pa-

trum compactam edidit glossaturam.

MCXXXIX.

Obiit JOHANNES de Temporibus, qui vixerat annis trecentis sexaginta uno à tempore CAROLI MAGNI, cujus armiger fuerat. His temporibus quidam pseudo-Imperator in partibus Alemanniæ surrexit, qui per aliquot annos apud Solodorum in reclusione vivens, egressus inde Imperatorem Henricum perditum se esse mentiendo dixit, & cùm multos seducendo sibi allexisset in tantum ut pro eo etiam graves pugnæ & homicidia fierent, aliis eum recipientibus, aliis seductorem palam profitentibus, tandem declarata ejus falsitate, Cluniaci in Monachum attonsus est.

MCXL.

Obiit Magister HUGO sancti VICTORIS Parisiensis Canonicus Regularis. Habitaculum servorum Dei Carthusiensium in loco qui dicitur ad Montem Dei construitur. Cœnobium sanctæ Mariæ Frigidimontis in Episcopatu Beluacensi Cisterciensis Ordinis fundatur. HENRICUS frater Regis Franciæ LUDOVICI apud Clarevallem Monachus effectus est, qui non multum pòst ad Episcopatum Belvacensem est assumptus; fuerúntque præter istum Henricum alii fratres Regis Franciæ, ROBERTUS Drocarum Comes, & PETRUS dominus de Cortenayo. INNOCENTIUS Papa fundavit apud Aquas-Salvias Monasterium sancti ANASTASII Martyris, & constructis ibidem cœnobialibus mansionibus, petiit à Clarevalle Conventum Monachorum & Abbatem. Missus est autem illuc cum Conventu BERNARDUS Pisanæ civitatis olim Vicedominus, qui postmodùm fuit Papa EUGENIUS.

Florebat hoc tempore Gallicana Ecclesia per viros religione & sapientia illustres, MILONEM Morinensem Episcopum, humilitatis virtute præcipuum;

ALUISUM Attrebatensem Pontificem, liberalitate atque consilio & facundia clarum; GODEFRIDUM Lingonensem; HUGONEM Autissiodorensem; GOSLENUM Suessionensem; GAUFRIDUM Carnotensem Episcopos; ALBERICUM Bituricensem Archiepiscopum scientia litterarum atque consilij prudentia clarissimum; SUGERIUM Abbatem sancti DIONYSII in Francia, virum eruditissimum. Inter hos & alios multos tunc claros scientiâ viros, BERNARDUS Abbas Clarevallis vir opinatissimæ religionis eminentissimè clarebat, qui multorum miraculorum patrator, ac verbi Dei ferventissimus Prædicator, atque plurimorum Monasteriorum fundator, animarum Deo lucra maxima exhibebat; adeò ut magistri scholarum cum magno Clericorum comitatu etiam de longinquis regionibus ad ejus optabile magisterium confluentes, centenario vel etiam ampliori Novitiorum numero domum probationis implerent, & una die quadraginta Monachi fierent. Florebat etiam Magister RICHARDUS de sancto VICTORE Parisiensis Canonicus Regularis, qui in libris & tractatibus variis multa Ecclesiæ sanctæ utilia descripsit. Claruit præterea his temporibus HUGO de Folieto sancti PETRI Corbiensis Monachus, qui librum de Claustro animæ & corporis composuit. Alij dicunt istum Hugonem in pago Ambiacensi fuisse Canonicum Regularem.

MATHILDIS Imperatrix filia Regis Angliæ HENRICI, post occupatam ope LUDOVICI Regis Franciæ Normanniam, in Angliam transiit, & diversis bellis Regnum Angliæ, sibi jure debitum, contra Regem STEPHANUM calumnians devastavit.

MCXLI.

Circa idem tempus PETRUS Abaelardus Magister in dialectica insignis & celeberrimus, primò uxoratus, deinde sancti Dionysij in Francia Monachus,

pòst in Britannia nnde natus fuerat Abbas constitutus, de fide Christiana perfidè dogmatizans, Senonis coram Episcopis, Abbatibus & Religiosis quamplurimis, per industriam sancti BERNARDI Clarevallis Abbatis, præsente LUDOVICO Rege Francorum, convocatur, & hîc ab eis de articulis fidei interpellatus, cùm esset de justitia responsurus, veritus eos, ad Sedis Apostolicæ audientiam appellavit, qui sic evadens non multo pòst dum esset in itinere Romanæ Ecclesiæ Cabilone apud sanctum Marcellum obiit. Construxerat enim Monasterium in Episcopatu Trecensi juxta Nogentum super Secanam in quodam prato ubi degere solitus fuerat, quod Paraclitum nominavit, in quo uxorem quondam suam, quæ Monacha apud Argentolium effecta fuerat, sed inde cum aliis pluribus per industriam SUGERII Abbatis sancti Dionysij in Francia postmodùm ejecta, venire fecit cum nonnullis Monialibus Religiosis; quæ ibi Abbatissa effecta magnam post ejus mortem ei in assiduis precibus fidem servavit, corpúsque ejus de loco ubi obierat ad prædictum Paracliti Monasterium transtulit, in cujus tumulo hoc Epitaphium est insertum.

Est satis in titulo, PETRUS *hìc jacet Abaelardus*:
Cui soli patuit scibile quidquid erat.

ROGERUS de Sicilia filius ROBERTI Guichardi Normanni, qui Appuliæ & Calabriæ Principatum tenebat, à Papa Innocentio propter investituras Ecclesiarum quas sibi usurpabat excommunicatus, eum bello cepit; sed facta postmodùm cum eo qualicumque pace, ut ab eo in Regem Siciliæ coronaretur, obtinuit. Sic primus de Normannorum genere nomen Regis usurpans, postea pene totam Africam acquisivit. STEPHANUS Rex Anglorum à MATILDE Imperatrice filia Regis HENRICI capitur, sed parum pòst de ejus prisione evadens, contra eam Regnum suum strenuè defendit.

MCXLII.

MCXLII. ROGERUS.

Orta diſſenſione inter Papam INNOCENTIUM & Regem Franciæ LUDOVICUM Eccleſia Gallicana turbatur; nam defuncto Bituricenſi Archiepiſcopo ALBERICO, miſſus eſt PETRUS à Papa ejuſdem Eccleſiæ Paſtor conſecratus, ſed à Rege Ludovico repudiatus, nec in urbe recipitur, eo quòd ſine ejus aſſenſu fuerat ordinatus. Ipſe verò Rex Ludovicus conceſſerat Eccleſiæ Bituricenſi libertatem eligendi Epiſcopum quem vellent, excepto dicto Petro; publicéque juraverat quòd ſe vivente non erat futurus Archiepiſcopus. Qui tamen electus Romæ profectus eſt, & conſecratus fuit à Papa Innocentio dicente; Regem puerum inſtruendum & cohibendum ne talibus aſſueſcat. Et adjecit veram non eſſe electionis libertatem, ubi quis excipitur à Principe; niſi fortè docuerit coram Eccleſiaſtico judice illum non eſſe eligendum, tunc enim auditur ut alius. Rex verò, ſicut ſuperiùs dictum eſt, Archiepiſcopum excluſit redeuntem; ſed eum Comes Campaniæ THEOBALDUS recepit in terra ſua, & ei omnes Eccleſiæ obediebant. Indignatus ob hoc Rex concitavit omnes ferè Proceres ſuos, ut unà cum eo guerram inferrent Comiti Theobaldo. RADULFUS Viromandenſis Comes uxorem ſuam dimittens, PETRONILLAM ſororem Reginæ Franciæ ALIENORDIS duxit; propter quod ad inſtantiam Comitis Campaniæ Theobaldi Ivo Romanæ Eccleſiæ Legatus in Franciam Comitem Radulphum excommunicavit, & Epiſcopos qui divortium illud fecerant ſuſpendit.

MANUEL * Imperator Conſtantinopolitanus aliquamdiu Antiochiâ obſeſſâ pacem cum Principe fecit, & urbem intravit: deinde multis præſidiis captis, dum venationi inſiſteret, & arcum vehementer tenderet, toxicata ſagitta à ſemetipſo vulneratus in ſiniſtra manu obiit, cui ſucceſſit in Imperio MANUEL filius ejus.

l. * Johannes.

MCXLIII.

Menſe Janvario ventus inauditus fuit, qui Eccleſias & domos ſubvertit, & terræ annoſas arbores coæquavit. Ludovicus Rex Francorum contra Comitem Campaniæ Theobaldum ducens exercitum, Vitriacum caſtrum cepit, ubi ſuccenſâ Eccleſiâ in ea mile & trecentæ perſonæ diverſi ſexus & ætatis igne combuſtæ ſunt. Super quo Rex miſericordiâ motus ploraſſe dicitur, & hac de cauſa poſtmodùm, ut dicunt aliqui, peregrinationem Jeroſolymis aggreſſus eſt; Vitriacum tamen Caſtellum dedit Rex Odoni Campanienſium nepoti Comitis Theobaldi, qui patrimonium ſuum ei abſtulerat. Innocentio Papa mortuo Cælestinus ſecundus Romanæ Eccleſiæ centeſimus ſexageſimus nonus Papa præſidet: hic ſtatim pacem cum Rege Francorum Ludovico reformavit.

In feſto ſancti Martini æſtivalis, dum Fulco Rex Jeroſolymitanus venatum iret, & leporem inſequeretur, equo ceſpitante ruens mortuus eſt, per miraculum rupto collo; ipſe enim, ut tradunt aliqui, antequam Rex eſſet Jeruſalem, quamdiu Comitatum Andegavenſem tenuit, Eccleſiam ſancti Martini Turonenſis in quantum potuit infeſtavit. Cui ita mortuo Balduinus filius ejus cum matre Milisandi Regina regnavit.

MCXLIV. Balduinus.

Cælestino Papa mortuo, Lucius ſecundus centeſimus ſeptuageſimus Papa præſidet. Mediante Abbate Clarevallis Bernardo pax inter Regem Francorum Ludovicum & Comitem Theobaldum Campaniæ reformatur. Arnaldus quidam de Brixia Italiæ, cujus dicta propter arctam vitam quam ducebat plurimi ſequebantur, decepti ab illo, dum Romæ Clericorum divitias & ſuperfluitates reprehenderet, à quibuſdam captus ſuſpenditur & cre-

matur : erāt enim, ut ait beatus Bernardus in epistolis, homo non manducans neque bibens, sed cum diabolo esuriens & sitiens sanguinem animarum, cujus consilio mel & doctrina venenum, cui caput columbæ, cauda scorpionis erat, quem Brixia evomuit, Roma exhorruit, Francia repulit, Germania abominata est.

MCXLV.

Edissa quæ & Roasa Mesopotamiæ civitas, in qua erant Apostolorum THOMÆ & THADÆI corpora, & quæ sordibus idolatriæ numquam polluta fuerat ex quo primitus ad Christianissimam fidem conversa est, à Turcis obsessa capitur; ubi Episcopo urbis decollato, & sanctis locis profanatis, multa milia hominum trucidantur, multa servitute adducuntur. LUCIUS Papa Senatores Romanorum contra Ecclesias erectos in Capitolio obsedit, sed non multò pòst obiit.

Romanæ Ecclesiæ centesimus septuagesimus primus EUGENIUS tertius Papa præsidet. Hic primò Pisanæ Ecclesiæ Vicedominus, pòst in Clarevalle Monachus, beatíque BERNARDI discipulus, postmodùm Abbas sancti Anastasij Martyris apud Aquas-Salvias creatus, vir tam honore quàm æterna memoria habitus est : contra quem Romani JORDANEM Patricium & Senatorem erigentes, ipsum ab urbe deturbant; qui orta seditione in populo pulverem pedum in litigantes excutiens, eis relictis venit in Franciam : in cujus comitatu multa signa fecit sanctus BERNARDUS, ubi apud * Spirenensium Alemanniæ urbem tantus fuit concursus populi ad ipsum propter virtutes quas faciebat in ægrotis, quòd CONRADUS Rex Romanorum ne populus eum comprimeret, deposita chlamyde eum in propriis ulnis suscipiens, de basilica absportaret. Ad hunc Papam Eugenium scripsit idem vir sanctus Bernardus librum multæ subtilitatis & utilitatis, cujus titulus est : *De*

* Spirensium.

Consideratione. Eodem tempore in Francia fames magna invaluit.

MCXLVI.

Rex Franciæ LUDOVICUS captæ urbis Mesopotamiæ Roasæ zelo accensus, vel ut alii putant Vitriacensis incendii conscientiâ compunctus, apud Veziliacum tempore Paschali affixo sibi crucis signaculo, cum Regni sui Principibus & multitudine innumerabili transmarinam peregrinationem proponit aggredi.

Ecclesia Tornacensis, quæ per annos circiter sexcentos à tempore sancti Medardi sub Episcopo Noviomensi sine proprio fuerat Sacerdote, proprium cœpit habere Episcopum, ANSELMO Abbate sancti VINCENTII Laudunensis ab Eugenio Papa consecrato, & eidem urbi in Episcopum consecrato. In Alemanniæ partibus quædam virgo admirabilis provectæ ætatis erat, cui tantam divina virtus gratiam contulerat, ut cùm laica & illiterata esset, mirabiliter tamen rapta frequenter in somnis disceret non solùm quòd verius effunderet, sed etiam scribendo latinè dictaret, ac dictando Catholicæ doctrinæ libros conficeret: hæc fuit, ut aiunt quidam, sancta HILDEGARDIS, quæ multa fertur dixisse de futuris.

MCXLVII.

CONRADO Imperatore Romanorum in Purificatione beatæ MARIÆ apud Franconofur constituto, Abbas Clarevallis sanctus Bernardus tam Regi quàm cunctis Principibus Alemanniæ Crucis transmarinæ adfixit signum; & tunc socij peregrinationis multiplicati sunt super numerum. Navalis Dei exercitus ex Anglia, Flandria atque Lotharingia collectus pridie Idus Aprilis de Tremundo portu Angliæ cum ducentis ferè navibus profectus, quarto Kalendas Julij in vigilia Apostolorum Petri & Pauli Vlixis-

bonam * civitatem Hispaniæ applicuit, & eam post quatuor mensium obsidionem Dei virtute & sua industria ceperunt. Qui cùm essent tantùm tredecim milia, tamen de Sarracenis ducenta millia & quingentos occiderunt: & sic cum hymnis & canticis urbem ingressi, Ecclesiam dedicaverunt, & ibidem Episcopum & Clericos constituerunt: Ad corpora verò Christianorum occisorum tres muti loquendi usum receperunt. CONRADUS Imperator Romanorum mense Maïo cum innumerabili multitudine peregrinorum iter transmarinum aggressus, Bosphoro prosperè transito, dum ad expugnandum Yconium inconsultè diverteret, consumptis terræ graminibus & victu deficiente, suísque hominibus fame afflictis, inefficax rediit, & prosequentibus eum Turcis multa milia suorum amisit. LUDOVICUS Rex Francorum tertio Kalendas Junij, scilicet feria quarta post Pentecosten, cum uxore sua ALIENORDE Regina iter transmarinum aggreditur, & cum infinitis & expeditis suorum milibus per terram in Hungariam profectus; transito Bosphoro in occursu Conradi Imperatoris Romanorum excipitur. Qui Imperator multis suorum ob inopiam repatriantibus, paucísque eum comitantibus à Francis benignè suscipitur, & cum eis aliquamdiu est profectus; sed propter instantem hyemem & suorum recreationem apud Constantinopolim est reversus. Qui hyeme transacta, auxilio Imperatoris Græcorum navibus ejus apud Jerosolymam est evectus. Eodem tempore administratio totius Regni Franciæ commissa fuit SUGERIO Abbati sancti Dionysij in Francia.

* Vlissiponem.

MCXLVIII.

Remis Concilium à Papa EUGENIO celebratur, in quo publicè confutavit sanctus BERNARDUS Clarevallis Magistrum GILLEBERTUM cognomento Porretam, disputando cum eo singulariter, tamquam sui temporis singularis athleta. Hic Gille-

bertus erat Pictavorum Episcopus, in sacris litteris plurimùm eruditus, sed sublimiora se scrutatus est ad insipientiam sibi; siquidem de sanctæ Trinitatis unitate & divinitatis simplicitate non simpliciter sentiens, nec fideliter scribens, discipulis suis panes proponebat absconditos, & aquas furtivas propinabat: nec facilè quid saperet immo quantum desiperet personis authenticis fatebatur; timebat enim quod apud Senonas Petrum Abaelardum dixisse sibi ferunt,

Nunc tua res agitur, paries cum proximus ardet.

Novissimè tamen cùm jam Fidelium super hoc invalesceret scandalum, crescerétque murmur, ad judicium vocatus est, & librum tradere jussus in quo blasphemias evomuerat, graves quidem, sed verborum quodam involucro circumseptas. Sanctus ergo BERNARDUS primò quidem totum quod ille verborum cavillationibus occultare nitebatur subtilibus interrogationibus eliciens, tam suis ratiociniis quàm Sanctorum testimoniis biduana disputatione redarguit. Considerans autem ex eis qui præsidebant, nonnullos jam quidem animadvertentes blasphemiam in doctrina, adhuc tamen avertentes injuriam in persona, accensus est zelo, & domesticam sibi Gallicanam convocat Ecclesiam seorsum. Communi denique Concilio à Patribus decem provinciarum, aliis autem Episcopis & Abbatibus plurimis, dictante viro Dei, novis dogmatibus opponitur Symbolum novum, cui etiam subscribuntur nomina singulorum; ut eorum videlicet omnium sicut reprehensibilis sic irreprehensibilis zelus ceteris innotescat. Ita demum Apostolico judicio & auctoritate universalis Ecclesiæ error ille damnatur. Gillebertus verò Episcopus an eidem damnationi consentiat interrogatur, consentiens & publicè refutans quæ priùs scripserat & adfirmaverat, ipse indulgentiam consequitur; maximè quòd ab initio pactus fuisset, ea lege se eamdem disputationem ingredi, ut promitteret sine ulla obstinatione se

pro Ecclesiæ sanctæ arbitrio opinionem suam liberè correcturum.

Accidit autem post Concilium cùm Papa Missam in majori Ecclesia celebraret, & ei pro more Romano calix afferretur à comministris altaris, quòd sanguis Domini nescio quâ Ministrorum negligentiâ effusus est super tapetum ante altare, quæ res sapientiores perterruit plurimùm, opinantes indubitata opinione quòd res hujusmodi in nulla contigit Ecclesia, cui non immineat undicumque grave periculum, & quia hoc in Apostolica Sede contigerat, universalis Ecclesiæ periculum timebatur. Certè nec fefellit opinio, nam CONRADUS Romanorum Imperator eodem anno, sicut superiùs dictum est, deletis exercitibus suis à Turcis in Oriente vix evasit. Rex etiam Franciæ LUDOVICUS & ejus exercitus Gallicanus per deserta Syriæ in terram sanctam properantes, dolo & astu Græcorum ac crebro assultu Turcorum detrimenta maxima sunt perpessi, & fame nimia cruciati, ita ut quidam eorum equorum & asinorum carnibus uterentur. Dicunt enim tunc Jerosolymis in templo Domini sive in Monte-Oliveti fulminasse, & ejus infortunij præsagium extitisse. Lupi etiam in multis locis & villis homines devorabant. HILDEFONSUS Comes sancti Ægidij in magno navali exercitu Palestinæ applicans cùm magnum quid facturus speraretur, dolo, ut aiunt quidam, Reginæ Jerosolymorum malè potionatus apud Cæsaream Palestinæ urbem moritur. Tunc filius ejus adolescens sibi timens, quoddam castrum Comitis Tripolitani avunculi sui ingreditur, sed dolo ejusdem Reginæ cum sorore à Turcis captivatur.

MCXLIX.

EUGENIUS Papa de partibus Galliarum in Italiam revertitur, & cum Romanis vario eventu confligens parum proficit. LUDOVICUS Rex Francorum fractis per deserta Syriæ viribus, Antiochiam

venit, ibíque à Principe REMUNDO fratre bonæ memoriæ GUILLERMI Ducis Aquitaniæ, patris ALIENORDIS Reginæ Francorum honorificè susceptus est: sed dum ibidem moraretur ad naufragi exercitus reliquias consolandas, fovendas & reparandas, Alienordis Regina uxor ejus fraude patrui sui Principis Antiochiæ decepta voluit ibidem remanere; sperabat enim Princeps in mora Regis Franciæ de Turcis ibi propinquis victoriam obtinere. Cúmque Rex pararet eam exinde evellere, ipsa parentelæ mentionem faciens, dixit illicitum esse ut diutiùs commanerent, quia cognatio inter eos in quarto gradu vertebatur, unde Rex plurimum turbatus, quamvis eam affectu fere immoderato diligeret, acquievit eam dimittere, si Consiliarij sui & Francorum Proceres paruissent. Abstracta ergo coacta est cum Rege viro suo Jerusalem proficisci, sed vicissim in corde utriusque licet dissimularent quantum poterant, remansit injuria. Imperator Romanorum CONRADUS & Rex Franciæ LUDOVICUS Jerusalem associati, consilio Baronum suorum profecti sunt expugnare Damascum. Obsessa igitur per triduum Damasco à Francis, Germanis & Jerosolymitis, captísque jam muris anterioribus qui hortos ambiebant, cùm in brevi civitas capienda putaretur & esset, dolo, ut aiunt, Principum Palæstinorum obsidio removetur; molestè enim tulerant quòd eam post captionem Reges concesserant THEODORICO Comiti Flandriarum. Facta ergo discessione, Rex Francorum & Imperator Romanorum iterum condicto die obsidendam Ascalonem cum suis Joppe conveniunt: sed Jerosolymitis minimè juxta condictum occurrentibus, Imperator CONRADUS Constantinopolim navibus evehitur, Rex Franciæ LUDOVICUS, suis Baronibus repatriantibus, cum paucis Jerosolymis per annum moratur.

Eodem tempore ROGERUS Rex Siciliæ navali exercitu Africam invasit, captáque urbe quæ Africa dicitur,

dicitur, pluribúſque caſtris, Archiepiſcopum Africæ, qui ſub ſervitute Romam venerat conſecrandus, ad ſedem ſuam remiſit liberum. CONRADUS Romanorum & MANUEL Græcorum Imperatores convenientes in unum adverſùs ROGERUM Regem Siciliæ expeditionem parant, ſed exercitu eorum fame & aëris intemperie afflicto, Conradus repatriat. Sanctus MALACHIAS Epiſcopus Hyberniæ à Roma rediens in Clarevalle defunctus & ſepultus eſt, cujus vitam ſcripſit ſanctus Bernardus.

MCL.

LUDOVICUS Rex Franciæ à Palæſtina navigans ut in patriam rediret, Græcorum naves qui eidem inſidias paraverant incurrit. Cúmque ab eis Imperatori MANUEL Curfolium obſidenti præſentandus duceretur, GEORGIUS Dux navium Regis Siciliæ eos aggreditur : ſiquidem vaſtatis & ſpoliatis Græcorum provinciis, uſque ad ipſam urbem Regiam ſcilicet Conſtantinopolim accedens, ſagittas igneas in palatium Imperatoris jecerat, & incenſis ſuburbanis de fructu hortorum Regis violenter tulerat, unde rediens navibus Græcorum obviat qui Regem Francorum ceperant LUDOVICUM, quas invadens Regem eripuit, & cum honore lætus de triumpho & victoria eum in Siciliam duxit; nam ut ita fieret procuraverat Siculus Rex timens inſidias Danaum, & deſiderans opportunitatem exhibendi devotionem quam habebat Regi & Regno Francorum : qui ab eo uſque Romam honorificè deductus, & à Papa EUGENIO magnificè & gratanter ſuſceptus, exinde in Franciam proſperè tranſmigravit.

REMUNDUS Princeps Antiochiæ Kalendis Auguſti contra Turcos egreſſus, multis ſuorum captis & occiſis, Turcorum inſidiis eſt occiſus, cujus caput Turci circumferentes, fere omnes urbes & caſtra Principis ſuſceperunt præter Antiochiam, quam cùm nimis infeſtarent, BALDUINUS Rex Jeroſolymi-

tanus contra eos ingreditur in Syriam, eísque perturbatis quamdam munitionem eorum circa Damascum cepit, & Damascenos in æternum tributarios fecit. Milites Templi Gazam Palæstinæ urbem reædificantes, Ascalonitas graviter infestabant. HUGONE Archiepiscopo Turonensi mortuo ENGEBAUDUS successit.

MCLI.

Habitis per Franciam Conventibus conveniente Papa Eugenio, ut Abbas Clarevallis sanctus BERNARDUS Jerosolymam ad alios provocandos mitteretur, grandis iterum sermo de profectione transmarina celebratur; sed per Cistercienses Monachos totum cassatur. Bartholomæus Laudunensis Episcopus anno tricesimo octavo sui Episcopatus, contempto mundi stemate *, Fusciaci induitur habitu Monachali.

* schemate.

THEOBALDUS Comes Campaniæ obiit, & Livriaco sepelitur, de quo quidam ait:

Te bonitas totum dedit omnibus, optime Consul:
Tunc modò fama manens hoc operatur idem.

GAUFRIDUS Comes Andegavensis capto Monsteriolo castro super GIRARDUM Bellai obiit, & Cenomanis in Ecclesia sancti Juliani sepelitur; cui successit in Comitatu Andegavensi HENRICUS filius ejus ex Matilde Imperatrice filia Regis Henrici Angliæ, quem priùs Rex Franciæ Ludovicus Ducatu Normanniæ sibi jure debito investierat contra Stephanum Regem.

MCLII.

LUDOVICUS Rex Franciæ zelotypiæ spiritu inflammatus, cum ALIENORDE uxore sua in Aquitaniam vadit, munitiones removet, & gentes suas inde reduxit: qui dum regrederetur, apud Baugenciacum castrum jurata consanguinitate uxorem suam repudiat, de qua duas filias habebat, MARIAM quam

HENRICUS Comes Trecensis postea habuit uxorem, & AELIDEM quam THEOBALDUS Comes Blesensis postea duxit. Facto itaque divortio inter Regem Franciæ & Alienordem conjugem suam, dum in terra nativitatis suæ regrederetur, HENRICUS Dux Normanniæ & Comes Andegavis ei occurrens eam desponsavit. Pro quo inter ipsum & Ludovicum Regem magna discordia insurrexit. Genuit autem postmodum idem Henricus Dux Normanniæ ex prædicta Alienorde Regina HENRICUM, RICHARDUM & JOHANNEM postea Reges Angliæ, atque GAUFRIDUM Comitem Britanniæ. Item quatuor filias, quarum una data est uxor Regi Castellæ, unde orta est BLANCHA Regina Franciæ mater sancti LUDOVICI Regis, altera * verò Constantinopolitano Imperatori nomine ALEXI, tertia quoque Saxoniæ Duci, unde natus est OTHO postmodum Imperator Romanorum, quarta verò Tholosano Comiti, unde natus est REMUNDUS, cujus filiam postmodum ALFONSUS Comes Pictavensis frater sancti LUDOVICI Regis Franciæ accepit uxorem. Regina Jerosolymorum ad inimicos fidei familiariùs se habente, BALDUINUS Rex filius ejus contra eam insurgit, & obsessis captísque munitionibus ejus, in urbem sanctam intrare ab ipsa secundò prohibetur; sed postea violenter ingressus eam in arce obsedit: quæ facta pace cum eo Neapolim sibi retinuit, & in pace dimisit filio reliquam Regni partem.

* *Hæc filia fuit Ludovici VII. ut infra legitur, non verò Regis Anglorum Henrici II.*

Eodem tempore Mesamuti, quos quidam Moabitas dicunt, post usurpatum Moritaniæ Regnum Regémque patibulo affixum, etiam Regem Bulgiæ occidentes Regnum ejus invadunt, ipsámque Siciliam, Appuliam & Romam se invadere minantur. EUGENIUS Papa facta pace cum Romanis urbem ingreditur, ibíque cum eis anno uno primitus commoratur. Radulfus Comes Viromandensis obiit, & ejus Comitatus ad PHILIPPUM Flandrensem Comitem ope Regis Francorum Ludovici devolutus est. CON-

RADUS Romanorum Imperator obiit absque benedictione Imperiali, cui successit FREDERICUS Dux Saxoniæ nepos ejus per electionem. Obierunt etiam viri religione & scientia clari HUGO Autissiodorensis Episcopus, & JOSLENUS Suessionensis Pontifex, atque SUGERIUS Abbas sancti DIONYSII in Francia.

FREDERICUS. MCLIII.

EUGENIO Papa defuncto Romanæ Ecclesiæ centesimus septuagesimus secundus ANASTASIUS quartus natione Romanus Papa præsidet. Eodem anno venerandæ sanctitatis & memoriæ Abbas Clarevallis sanctus BERNARDUS post claros actus & multarum animarum lucra, post centum & sexaginta de Monachis suis fundata Monasteria, & plurima signa miraculorum exhibita, beato fine quievit. Ex cujus discipulis cùm plures ad Episcopatum, Archiepiscopatum & etiàm Papatum promoti fuerint, ipse tamen Episcopus sive Archiepiscopus numquam esse voluit, licet electus & invitatus multotiens in multis locis fuerit; in cujus tumulo superpositæ sunt jussu ejus Reliquiæ de sancto THADÆO Apostolo pectori ejus, eo utique fidei & devotionis intuitu, ut eidem Apostolo in die communis resurrectionis adhæreat.

LUDOVICUS Rex Francorum Normanniam aggressus, Vernonem castrum obsidet & capit, HENRICO Duce in Anglia existente. Henricus Dux Normanniæ & Aquitaniæ, Coméſque Pictaviæ & Andegaviæ dum contra Regem Angliæ STEPHANUM fortiter dimicaret, idem Rex Stephanus labore debilitatus est senio; necnon & defuncto filio suo EUSTACHIO, spe heredis desolatus, hujusmodi pacem cum MATILDE Imperatrice & HENRICO filio ejus fecit: scilicet quòd Henrico post eum Regnum Angliæ in pace remaneret, & Henricus eum in patrem, & ipse Henricum in filium adoptaret; & ideò Ste-

phanus Rex in Regni ſolio in pace reſedit, & Henricus vices Regis agens in ſtatum priſtinum totam Angliam reformavit. BALDUINUS Rex Jeroſolymorum Regni integritate potitus, Aſcalonem Palæſtinæ capit poſt longam obſidionem, non ſine gravi damno & multa ſuorum profligatione tandem cepit.

Florebant tunc temporis in Francia PETRUS Lombardus, ODO Sueſſionenſis & IVO Carnotenſis Epiſcopi, quorum Petrus volumen edidit ſententiarum quatuor diſtinctum libris, ex diverſis Sanctorum & Doctorum dictis utiliter compilatum; hic etiam gloſſaturam ſuper pſalterium & epiſtolas Pauli ab ANSELMO Laudunenſi per gloſſulas interlineares marginaléſque diſtinctam, & pòſt à GILLEBERTO Porrée continuativè productam latiùs apertiúſque explicuit. *Non Odo ſed Anſculfus tum ſedebat.*

MCLIV.

Obiit ROGERUS Rex Siciliæ, Princeps utilis & actibus clarus, poſt inſignes de Sarracenis victorias eorúmque terras occupatas, nec inferiorem ſe filium GUILLERMUM Regem ac victoriarum ſucceſſorem reliquit. Mortuo STEPHANO Rege Angliæ HENRICUS Dux Normanniæ & Aquitaniæ, Coméſque Andegaviæ & Pictaviæ in Regni ſolio ſublimatur; hic poſtmodum maximam partem Hyberniæ acquiſivit. Defuncto ANASTASIO Papa Romanæ Eccleſiæ centeſimus ſeptuageſimus tertius ADRIANUS quartus Papa præſidet. Hic natione Anglicus ſtatim FREDERICUM Regem Romanorum ad Imperium coronavit, cujus coronationi cùm Romani reſiſterent, potenter à Theutonicis ſunt repulſi. Ludovicus Rex Francorum CONSTANTIAM filiam Imperatoris Hiſpaniæ, feminam morum honeſtate præcipuam, apud Aurelianis duxit in uxorem; quæ ab HUGONE Senonenſi Archiepiſcopo ibidem inuncta eſt in Reginam: quod SAMSON Remenſis Archiepiſcopus ægrè tulit, dicens Regis Franciæ & Reginæ unctionem ad ſe pertinere ubicumque fuerint conſecrati: contra

Ivo longè antè obierat.

quem Ivo Carnotensis Episcopus decretorum & legum peritissimus, tam rationibus quàm exemplis adstruxit, non ad eum solummodò unctionem Regum Franciæ pertinere, cùm scripto vel exemplo probare nequeat se vel aliquem antecessorum suorum quemquam Regum Francorum aut Reginarum extra provinciam Galliæ Belgicam consecrasse, nec de jure communi possit in alterius Metropoli vel diœcesi sibi jus proprium vendicare. De ista verò Constantia Regina genuit Ludovicus Rex filiam nomine MARGARETAM Henrici juvenis Regis Angliæ uxorem, quam eo mortuo BELE Rex Hungariæ desponsavit.

HENRICUS. MCLV. GUILLERMUS.

In partibus Burgundiæ quinto decimo Kalendas Februarij ter in una nocte fuit terræ motus, à quo multa ædificia sunt subversa. GUILLERMUS Rex Siciliæ ducens exercitum in Ægyptum, urbem Thaneos spoliat & devastat, sed inde revertens dolum Imperatoris Græcorum offendit, & cùm essent Siculi pauciores, tamen centum quadraginta naves Græcorum capiunt, spoliant & devincunt.

MCLVI.

GUILLELMUS Rex Siciliæ in Assautas, qui in Italia Puteolum castrum spoliaverant, capit & exterminat. Regem Babyloniorum quidam de suis Principibus interfecit, & inde cum infinitis thesauris fugiens à militibus Templi occiditur, captóque ejus filio cum copia thesaurorum. FREDERICUS Rex Romanorum transalpinando in Italiam fortiter agit, & adversantium sibi castra dejecit. LUDOVICUS Rex Franciæ Ecclesiam Senonensem à pravis exactionibus, quibus in morte Archiepiscopi solebat fatigari de consuetudine, exemtavit.

MCLVII.

Imperator Romanorum FREDERICUS cum

infinito exercitu urbes & caſtella Italiæ impugnans, multa in deditionem recepit : Mediolanum autem obſidens circa eam fere per ſeptennium commoratur. ENGEBAUDO Turonenſi Archiepiſcopo defuncto, ſucceſſit JOSSIUS Brito. MARGARETA filia Regis Franciæ Ludovici ex Conſtantia Regina, HENRICO primogenito filio Henrici Regis Angliæ ſpondetur uxor, & pax inter eos confirmatur.

MCLVIII.

In partibus Saxoniæ quædam Sanctimonialis ELIZABETH mirabiles viſiones de Conceptione, Nativitate & Aſſumptione beatæ Virginis Dei genitricis MARIÆ vidit, atque de gloria undecim millium Virginum. Florebat hoc tempore THEOBALDUS Cantuarienſis Archiepiſcopus, priùs Monachus Becci in Normannia, vir per omnia laudabilis & magnificus, tam in ſæcularibus quàm Eccleſiaſticis negotiis experientiſſimus; per ipſum ſanctus THOMAS poſtea Martyr, Archidiaconus Cantuarienſis Regis Angliæ HENRICI Cancellarius factus eſt. Signum Crucis apparuit in luna Nonis Septembris. Tres ſoles viſi ſunt in parte Occidentali, ſed duobus paulatim deficientibus, ſol diei qui medius erat, remanſit uſque ad occaſum.

MCLIX.

ADRIANO Papa mortuo, Romanæ Eccleſiæ centeſimus ſeptuageſimus quartus ALEXANDER tertius natione Tuſcus Papa præſidet : contra quem FREDERICO Imperatore favente Cardinales diviſi OCTAVIANUM quemdam elegerunt, gravi ſchiſmate Eccleſiam dirumpentes ; unde Proceres regionis turbati ſunt, quidam uni, quidam alteri adhærentes. Rex verò Franciæ LUDOVICUS, & Rex Angliæ HENRICUS cum ſuis Prælatis Alexandrum in patrem & dominum ſuſceperunt.

MCLX.

Eclipsis lunæ fit, & moritur Regina Franciæ CONSTANTIA, postquam Ludovicus Rex tertiam uxorem duxit ADELAM, scilicet filiam Comitis Campaniæ Theobaldi, quem defunctum superiùs diximus: hanc HUGO Senonensis Archiepiscopus in Reginam Franciæ Parisius consecravit, præsentibus tribus Ecclesiæ Romanæ Cardinalibus. Circa idem tempus miracula beatæ MARIÆ de Rupe-amatoris incœperunt.

MCLXI.

GUILLERMUS Comes Nivernensis obiit, cui GUILLERMUS filius succedens, à Comite Joviniaci & Comite Sacri-cæsaris multas infestationes sustinuit; sed tandem prævaluit. HENRICUS Rex Angliæ Dux Aquitaniæ & Normanniæ contra Tholosanum Comitem apud Tholosam venit; sed quia Rex Franciæ LUDOVICUS urbem intraverat ad eam defendendam, recessit Henricus Rex dominum suum veritus obsidere.

MCLXII.

BALDUINO Rege Jerosolymorum defuncto sine herede, successit frater ejus ALMARICUS. Fames ingens fuit per totum Regnum Franciæ. Mediolanenses fere per septennium à FREDERICO Romanorum Imperatore obsessi, cùm victualium penuria laborarent, & alias Italiæ urbes à rebellione defecisse conspicerent, Imperatori se dederunt, qui muros civitatis destruens, & turres deiiciens, totam urbem dispersit in vicos: quo facto REGINALDUS Coloniensis Archiepiscopus corpora trium Magorum qui Dominum JESUM CHRISTUM in Bethleem adoraverunt, olim ibi à Constantinopoli translata, à Mediolano apud Coloniam transportavit. ALEXANDER Papa in Gallias venit, & à Franciæ & Angliæ Regibus

Regibus susceptus est. Sanctus THOMAS Cantuariæ in Anglia fit Archiepiscopus.

MCLXIII. ALMARICUS

ALEXANDER Papa Turonis in Pentecoste Concilium celebravit; & pòst in festo sancti HIERONYMI Senonis veniens, ibidem per annum & dimidium mansit. Sanctus THOMAS Cantuariensis Archiepiscopus exul ab Anglia aufugit in Franciam; qui veniens Senonis ad Papam Alexandrum, ostendit ei consuetudines Regis Angliæ propter quas exulabat: quas cùm Papæ & Cardinalibus rationabiliter exposuisset, admiratus Papa ejus sapientiam, eum honorabiliter suscepit, gratias ei agens quòd Ecclesiam Dei tam periculosis temporibus contra tyrannorum insultus defendere suscepisset. Tunc Papa consuetudines illas perpetuò condemnavit, & observatores atque exactores earum æterno anathemati subdidit. Sanctus autem Thomas consilio Papæ apud Pontiniacum Cœnobium se conferens, ibidem fere per biennium stetit; deinde Senonis in Cœnobio sanctæ COLUMBÆ commorans, expensis Regis Franciæ LUDOVICI sustentatus est. Alexander Papa Senonis in Ecclesia sancti STEPHANI altare sanctorum Apostolorum PETRI & PAULI consecravit, & Monasterium sanctæ Columbæ dedicavit. GUILLERMUS Comes Nivernensis Comitem STEPHANUM Sacricæsaris in bello devicit, & de suis multos occidit & cepit.

MCLXIV.

Rex Angliæ HENRICUS cognoscens in quanto honore sanctus THOMAS Cantuariensis Archiepiscopus à Papa ALEXANDRO esset susceptus, & quòd in Pontiniaco locum sibi mansionis elegisset; cùm jam in ipsum desævire non posset, in suos inaudito crudelitatis genere debacchatus est. Præcepit namque ut ubicumque aliquis de cognatione ejus vir

aut mulier inveniri potuisset, quòd exheredatus & spoliatus bonis propriis à Regno suo pelleretur, exacto priùs ab eis sacramento quòd Pontiniacum contristandi gratiâ Archiepiscopum proficiscerentur, & se eidem præsentarent.

MCLXV.

Alexander Papa Romam revertitur, & cum magno honore suscipitur à Romanis. Philippus Ludovici Regis Franciæ filius nascitur in Augusto in octavis Assumptionis beatæ Mariæ die Dominica; de quo pater ejus talem in somnis dicitur vidisse visionem, videlicet quòd ipse Philippus filius suus aureum calicem in manu sua plenum humano sanguine teneret, de quo propinabat omnibus Principibus suis, & omnes in eo bibebant, unde quid talis hujusmodi visio portenderit sequentia ejus facta declaraverunt. Guichardus Abbas Pontiniaci fit Archiepiscopus Lugdunensis.

MCLXVI.

In Ruthenensi pago quædam tempestas gravi flagello castigavit populum Dei; nam Lupi feroces à silvis egressi parvulos ab uberibus matrum rapiebant, & diris morsibus devorabant. Henricus Belvacensis Episcopus frater Ludovici Regis Franciæ, quem supra Monachum Clarevallis fuisse diximus, translatus ad Archiepiscopatum Remensem fuit.

MCLXVII.

Fredericus Imperator Romanorum odio Alexandri Papæ Romani flagrabat, sed Dei judicio pene omnis illius exercitus peste periit, & sic victus cum paucis ad propria remeavit. Matildis Imperatrix mater Regis Angliæ Henrici moritur. Obiit Guillermus Rex Siciliæ, cui Guillermus filius ejus successit. Almaricus priùs Abbas Caroliloci, deinde Silvanectensis Episcopus, obiit.

MCLXVIII. Guillermus.

Tanta peſtis in Jeroſolymis fuit, quòd fere omnes peregrini mortui ſunt: ibíque Guillermus Comes Nivernenſis ſine herede defunctus eſt, cui ſucceſſit Guido frater ejus. In Sicilia tunc erat quidam Francigena Regis Guillermi Cancellarius, quem quidam potentes Siculi odientes, in odium ipſius litteras per Appuliam & Calabriam direxerunt, ut quotquot Franci invenirentur, capitaliter punirentur, quod & factum eſt; ſed Rex Siciliæ hoc agnoſcens, auctores illius ſeditionis pari ſententia condemnavit.

MCLXIX.

In Sicilia urbs Cathina terræ motu ſubvertitur, ubi Epiſcopus, Clerus & Abbas de Mileto cum quadraginta Monachis, & fere quindecim millia hominum perierunt. Henricus Rex Angliæ majorem filium ſuum Henricum generum Ludovici Regis Franciæ in odium ſancti Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis fecit conſecrari in Regem à Rogero Eboracenſi Epiſcopo, quod ad ſolum Cantuarienſem Archiepiſcopum pertinebat, & hoc contradicente Archiepiſcopo qui in Franciam exulabat.

Obiit Hugo Senonenſis Archiepiſcopus, cui ſucceſſit Guillermus Theobaldi Comitis Campaniæ defuncti filius, frater Reginæ Franciæ Adelæ, qui erat Carnotenſis electus, ſed nondum Epiſcopus conſecratus. Hunc Senonis conſecravit Mauricius venerabilis Pariſiorum Epiſcopus.

MCLXX.

In tranſmarinis partibus fuit horribilis terræ motus quarto Kalendas Julij, ubi urbibus ſubverſis & oppidis, Chriſtiani & pagani innumerabiliter perierunt. Ruit etiam magna pars Antiochiæ, & civitas Jeruſalem tremuit, ſed Deo miſerante non periit.

HENRICUS Angliæ Rex ſanctum THOMAM Cantuarienſem Archiepiſcopum obtentu Papæ ALEXANDRI & Regis Franciæ LUDOVICI ab exilio revocat: ſed dum eſſet cum eo pacem facturus ſicut promiſerat, Miſſam cantari fecit pro defunctis, ſciens quòd ad illam non daretur pax quam ab Archiepiſcopo ſumere nolebat.

MCLXXI.

ALMARICUS Rex Jeroſolymorum Ægyptum expugnans, MOLANUM Regem gentilem tributarium ſibi effecit. Sanctus THOMAS Cantuariæ Epiſcopus triceſimo die poſtquam in Angliam applicuit, quarto Kalendas Januarij occiſus eſt ab impiis miniſtris Henrici Regis Angliæ in Eccleſia Metropoli Cantuariæ, non longè ab altari, in hora veſpertina, glorioſo martyrio factus Deo gratiſſimum ſacrificium veſpertinum: cujus meritum apud Deum tam cauſa juſtiſſima quàm innumera conteſtantur miracula.

MCLXXII.

SALAHADINUS primitus quidem leno gentilis apud Damaſcum, pòſt ab EUFRIDO de Turone illuſtri Palæſtinæ Principe Chriſtiano Miles factus, cùm apud Ægyptum militaret, Molanum Regem Ægypti proditioſè perimens totius Ægypti obtinuit Principatum. Unde ſi rerum pretia judicio non opinione metimur, quantalibet terrenæ felicitatis potentia vilis eſt æſtimanda, quam peſſimi & indigni ſæpiùs nanciſcuntur; nam leno ille cujus vita in proſtibulis, militia in tabernis, ſtudium in aleis & aliis, ſubitò ſublimatus ſedet cum Principibus, immo major Principibus ſolium gloriæ Ægypti tenens toti fere Orienti poſtea imperavit. Sanctus THOMAS Cantuariæ Archiepiſcopus canonizatur à Papa ALEXANDRO. Orta eſt guerra inter HENRICUM Regem Angliæ & tres filios HENRICUM, RICHARDUM & GAUFRIDUM.

MCLXXIII.

Tertio Idus Februarij apparuerunt de nocte igneæ acies in Septemtrionali plaga cæli, & lux tanta enituit, quòd nummus cujus monetæ esset posset agnosci. Filij Regis Angliæ HENRICI patrem suum infestantes, auxilio Regis Franciæ Ludovici & Procerum ejus Normanniam graviter vastaverunt. JOSSIUS Turonensis Archiepiscopus in tanta paupertate obiit, quòd de rebus suis vix potuit inveniri de quo posset mortuus sepeliri; cui successit BARTHOLOMÆUS genere clarus, sermone facundus : hic Episcopum Dolensem, qui per longa tempora rebellis fuerat Ecclesiæ Turonensi, post longa certamina auctoritate Apostolica suæ subdidit ditioni. Florebat tunc Parisius Magistrorum Primas PETRUS Comestor verbi facundissimus, & in divinis scripturis excellenter instructus; qui utriusque testamenti historias uno compingens volumine opus edidit satis utile, satis gratum, ex diversis historiis compilatum, quod Historiam scholasticam nominavit.

MCLXXIV.

ALMARICUS Rex Jerosolymorum obiit, cui successit BALDUINUS filius ejus. NORADINUS Rex Turcorum qui regnabat in Damasco obiit, cujus uxorem SALAHADINUS occupator Ægypti sibi matrimonio copulans, cum ipsa regni regimen, fugatis heredibus, occupavit; deinde terrâ Roasiæ & Gesiræ occupatâ, circum jacentia Regna usque ad intima citerioris Indiæ, nunc dolis nunc armis expugnans, de sceptris pluribus Monarchiam efficit, Babyloniæ & Damasci sibi vendicans Principatum. Hæc fortunæ ludentis potentia, has rerum vicissitudines voluit, quæ de paupere divitem, de humili sublimem, de servo suscitat dominantem.

MCLXXV. BALDUINUS.

Menſe Novembri fuit aquarum inundatio inaudita, quæ villas ſubmerſit, ſata abſorbuit, unde & ſequenti tempore vehementiſſima fames inhorruit. Quamobrem multi dicebant natum eſſe Antichriſtum cujus prænuntia pernicies tanta foret. HENRICUS Archiepiſcopus Remenſis frater LUDOVICI Regis Franciæ obiit; cui ſucceſſit GUILLERMUS Senonenſis Archiepiſcopus frater ADELÆ Reginæ Franciæ, & huic in Senonenſi Eccleſia GUIDO. Pax inter Regem Angliæ HENRICUM & filios ſuos reformata eſt.

MCLXXVI.

Maxima fames fuit in Gallia, pro qua ad ſuſtentationem pauperum, Eccleſiarum invadiata ſunt ornamenta, & ſanctorum feretra defruſtata; & tunc maximè apparuit Ciſtercienſis munificentia in pauperibus ſuſtentandis. Florebat hoc tempore MAURICIUS Pariſienſis Epiſcopus, qui ob induſtriam & litteraturam de infimo ſtatu magnæ paupertatis, ad Pontificalis dignitatis apicem eſt evectus; nam cùm eſſet pauper & modicus, eleemoſynam poſtulatam noluit accipere hoc pacto ut numquam fieret Epiſcopus.

MCLXXVII.

Eclipſis ſolis facta eſt Idibus Septembris hora diei ſexta. Florebat ANSELMUS Belicenſis Epiſcopus, ad cujus tumulum poſt mortem ejus lampades accenſæ ſunt divinitus, exceptâ unâ cui miniſtrabat pabulum olei quidam uſurarius, & illa non potuit accendi. Venit apud urbem Avinionum quidam adoleſcens nomine BENEDICTUS, dicens ſe à Domino miſſum ut pontem ſuper fluvium Rhodani conſtrueret, qui deriſus, cùm ſumptus non haberet, fuit, & quia præ magnitudine fluminis nullus credebat hoc poſſe fieri:

ſed facturi à Deo nutu divino ſunt commoti, ut illud opus citiùs explerent.

MCLXXVIII.

FREDERICUS Romanorum Imperator abjurat ſchiſma quod per ſexdecim annos duraverat, publicè ſatisfaciens, & cum ALEXANDRO Papa pacem componit, ſicque depulſo ſchiſmate unitas reformatur Eccleſiæ. Cùm autem legitur Romanam Eccleſiam multis ſchiſmatibus fuiſſe diſſciſſam, iſto tamen nullum aut vehementiùs incanduit, aut diutiùs perſeveravit. Innumerabilis multitudo Turcorum Jeroſolymam venit, ſed à Chriſtianis, qui impares erant numero, viribus & apparatu, devicta receſſit.

MCLXXIX.

ALEXANDER Papa Romæ Lateranenſe Concilium poſt medium Quadrageſimæ celebravit, ubi ex diverſis terrarum partibus factus eſt innumerabilis conventus tam Epiſcoporum quàm Abbatum. In tranſmarinis partibus milites Templi ope Regis Jeruſalem & principum coadunati in loco, qui dicitur Vadum Jacob, caſtrum fortiſſimum munierunt, quod cùm aliquamdiu tenuiſſent, Turci Templarios ſeditione capiunt, caſtrum expugnant, & ad terram deijciunt. AGNES filia Ludovici Regis Francorum Conſtantinopolim ducitur, & Imperatoris Manuelis filio deſponſatur. In feſto Omnium Sanctorum PHILIPPUS Ludovici Regis Franciæ filius Remis à GUILLERMO Remenſi Archiepiſcopo avunculo ſuo in Regem Franciæ coronatur anno ætatis ſuæ quinto decimo, præſente HENRICO juniore Rege Anglorum qui ſororem ejus duxerat, & adhuc vivente patre ejus LUDOVICO Rege, qui morbo paralyſis laborabat. Obiit PETRUS Comeſtor Doctor famoſiſſimus, pauperibus & Eccleſiis cunctas dividens facultates, cujus ſepulturæ hoc epitaphium Pariſius in Eccleſia ſancti Victoris eſt inſertum.

Petrus eram quem Petra tegit dictúsque Comestor,
Nunc comedor; vivus docui nec cesso docere
Mortuus, ut dicat qui me videt incineratum:
Quod sumus, iste fuit, erimus quandoque quod hic est.

MCLXXX.

Philippus juvenis Rex Franciæ duxit in uxorem Isabellem filiam Balduini Comitis Hannoniæ, neptem Comitis Flandriæ Philippi de sorore, & cum ea recepit Attrebatum cum omni terra, quæ fuerat Comitis circa fluvium qui dicitur Lis. Eam autem unxit Guido Senonensis Archiepiscopus apud sanctum Dionysium in Reginam, datis priùs litteris, quòd nullum jus propter hoc reclamabat in Ecclesia sancti Dionysij in Francia, quæ excepta est ab ejus & Episcopi Parisiensis jurisdictione.

Ludovicus Rex Franciæ morbo paralysi & senio fatigatus obiit, & in Abbatia Cisterciensis Ordinis à se constructa (quæ Sanctus-portus dicitur, id est, Barbeel, versùs Meledunum castrum super Secanam) sepelitur. Fuit enim honestate laudabilis, simplex & benevolus in subditos; & quia pacis amator erat, guerras etsi aliquas, tamen raras aut intulit aut pertulit, suúmque Regnum tranquillè & benignè gubernavit: & ideò sub ipso multæ novæ villæ conditæ sunt, & veteres ampliatæ, multa excisa nemora, Ordinésque diversarum Religionum in diversis locis multipliciter propagati: successit autem eidem Philippus Rex filius ejus.

Obiit Manuel Imperator Constantinopolitanus, cui successit Manuel * filius ejus adhuc juvenculus, qui filiam Ludovici Regis Franciæ duxerat uxorem. Inter Fredericum Romanorum Imperatorem & Ducem Saxoniæ fit concertatio dura; multi enim capti & perempti sunt, multæque villæ & Ecclesiæ succensæ fuerunt & destructæ. Archiepiscopus Bituricensis Guerinus & Johannes Carnotensis obierunt; viri tam sapientia quàm animi strenuitate famosi, quorum

l. * Alexius.

quorum JOHANNES sancti THOMÆ Cantuariensis, cujus socius fuerat, passionem descripsit.

PHILIPPUS. MANUEL. MCLXXXI.

HENRICUS Comes Campaniæ à Jerosolymis per Asiam rediens, à Turcis capitur, sed per Imperatorem Græciæ liberatur; verùm ut terram suam attigit, homines suos quos ex reditu suo lætificaverat, de suo obitu mox contristavit. BALDUINUS Rex Jerusalem ætate juvenis lepræ contagio deformatur. Apud * quadam Dominicâ dum Missam quidam Presbyter celebraret, & duas hostias, unam sumendam, alteram pro infirmis recondendam super altare posuisset, cùm diceret : *Pater noster*, hostia quam tenebat sanguine manans manus ejus & corporalia purpuravit, & ita in formam carnis lividæ Rex Franciæ, & populus qui ibi aderat, illam hostiam aspexerunt. In Burgundia verò apud Brenam oppidum, & apud Vindocinum atque apud Attrebatum urbem similia evenerunt; nec immeritò, nam teste scriptura : *Nihil in terra fit sine causa.* Nempe HENRICUS Albanensis Episcopus à Papa ALEXANDRO missus fuit in Gasconiam ad delendam hæreticorum perfidiam altaris sacramentum non credentium; qui prædicationis verbo, necnon militum peditumque infinito exercitu hæreticos expugnavit.

* *hic deest locus.*

Inter FREDERICUM Imperatorem Romanorum & Ducem Saxoniæ reformatur pax tali pacto, quòd Ducatum Saxoniæ Dux non reciperet, nisi priùs septennium exulasset. Ob hoc ipse Dux & uxor sua, cum filiis suis GUILLERMO & OTHONE, qui postea fuit Imperator, ad HENRICUM Regem Angliæ patrem uxoris suæ in Franciam venerunt, ibique & alibi cum Rege longo tempore permanserunt.

ALEXANDRO Papa defuncto Romanæ Ecclesiæ centesimus septuagesimus quintus LUCIUS tertius natione Tuscus Papa præsidet. PHILIPPUS Comes Flandriæ Dux Burgundiæ, GUILLERMUS

Remenſis Archiepiſcopus, Comes Bleſenſis, Comes Sacri-cæſaris ſimul conſpirant in Regem Franciæ PHILIPPUM, totam Franciam conturbantes. Porrò Rex videns ſe plurima parte ſuorum deſtitui, Brabantiones in auxilium evocavit, cum quibus terram STEPHANI Comitis devaſtavit.

MCLXXXII.

FREDERICUS Romanorum Imperator volens adverſariis Regis Franciæ PHILIPPI auxilium ferre, per totum Imperium ſuum ſubmovit exercitum : ſed HENRICO Rege Angliæ cum filiis ſuis Regem adjuvante, & eo mediante, pax inter Regem & Barones prædictos reformatur. Apud Conſtantinopolim ANDRONICUS de Imperiali proſapia natus, ſub ſpecie tutoris MANUELIS * juvenculi Imperatoris in Imperium violenter ſe ingerens, ſuggeſſit Græcis eos fore exterminandos, niſi Latini & Franci à Græcia tollerentur; nam MANUEL Imperator pater iſtius Manuelis quamdiu vixerat Latinos & Francos dilexerat, ita quòd per eos ſolummodò expeditiones ageret, & primis eos Palatij honoribus decoraret, Franciſcam etiam uxorem duxerat, ex qua ſuſceptum filium Franciſcæ conjugi, filiæ ſcilicet defuncti LUDOVICI Regis Francorum copularat; quo Græci animati irruunt in Latinos & Francos, & quoquot inveniunt, trucidant aut urbe proturbant, & ſic Andronico Palatium occupante porticus incenditur, ubi opes innumeræ & ædificia concremantur. Florebat hoc tempore PETRUS MONOCULUS Abbas Clarevallis, cui ſancti BERNARDUS & MALACHIAS apparentes, dixerunt quòd GIRARDUS Abbas prædeceſſor ipſius, quem frater quidam propter correptionem regularem in eo factam occiderat, ut Martyr cum Chriſto regnabat.

l. * Alexij.

MCLXXXIII.

Apud Conſtantinopolim ANDRONICUS domi-

num suum MANUELEM * juvenem Imperatorem submergi in mari fecit, & Imperium usurpavit. HENRICUS junior Rex Angliæ in Lemovicino territorio apud castrum quod dicitur Marcellum obiit, & apud Rothomagum in Ecclesia Majori sepelitur. l. * Alexium.

Inter LUCIUM Papam & Romanos orta dissensione, idem Papa proturbatur ab urbe, & multis lacessitus injuriis à Romanis impetitur; nam multis qui erant ex parte Papæ eruentes oculos imposuerunt eis mitras, & jurare eos fecerunt quòd Papæ se videndos taliter præsentarent: quo viso Papa tot conflictus ferre non valens Veronæ se contulit, sperans sibi ab Imperatore FREDERICO auxilium proventurum. SALAHADINUS Rex Turcorum partes Jerosolymorum aggrediens multos Christianorum occidit & captivavit, sed non longè post inde repulsus, acceptis induciis ad propria remeavit.

PHILIPPUS Rex Francorum Synagogas Judæorum per Regnum suum destruere fecit, & in plerisque Ecclesias construi procuravit; nemus Vicennarum juxta Parisius muro clausit, & Parisius in platea quam Campellos nominant hallas construi & mercatum in eis instituit fieri.

In provincia Bituricensi septem milia Cotarellorum & eo ampliùs interfecti sunt ab illius terræ incolis in unum contra Dei inimicos confœderatis: Isti enim terram Franciæ vastantes prædas inde ducebant, homines captos secum vilissimè trahebant, & cum uxoribus captorum ipsis videntibus, pro nefas! dormiebant, & quod deterius est, Ecclesias Dei consecratas incendebant, Sacerdotes & viros religiosos captos secum ducentes, & in tormentis quæ sibi faciebant, irrisoriè Cantores eos vocantes subsannabant dicentes: *Cantate nobis, Cantores, cantate*; & confestim eis alapas dabant, vel cum grossis virgis eos cædebant. Quidam verò sic flagellati beatas animas Domino reddiderunt, alij longa carceris custodia semimortui, datâ pro redemptione pecuniâ, ad propria redierunt.

Iidem etiam Cotarelli, quod cum gemitibus & suspiriis pronuntiandum est, damnosiùs operando Ecclesias spoliantes corpus Domini de vasis aureis vel argenteis, in quibus pro infirmorum necessitate reservabatur, extrahentes, & in terra viliter proijcientes, pedibus conculcabant. De corporalibus verò concubinæ eorum pepla capitibus suis componebant, calices quoque secum irreverenter portantes, & lapidibus confringentes detrahebant. Eodem tempore multi hæretici combusti sunt in Flandria à GUILLERMO Remensium Archiepiscopo Apostolicæ Sedis Legato, & à PHILIPPO Flandrensium Comite. Hi dicebant omnia æterna à Deo creata, corpus autem hominis & omnia transitoria à Luciabelo * creata, Baptismum paruulorum & Eucharistiam reprobabant, Sacerdotes Missas celebrare ex avaritia & oblationum cupiditate dicebant.

* Lucifero vel diabolo.

ANDRONICUS. MCLXXXIV.

Orta est dissensio inter Regem Franciæ PHILIPPUM, & PHILIPPUM Comitem Flandrorum pro terra & Comitatu Viromandensium; hanc enim præfatus Comes longo tempore vivente LUDOVICO Rege, patre istius Philippi Regis, post decessum RODULPHI Comitis Viromandorum pacificè & quietè licet injustè possederat, & adhuc pertinaciter detinere volebat. Quapropter Rex Philippus exercitum versus urbem Ambianensem collegit; sed robur ejus & multitudinem exercitus Comes pertimescens eidem Viromandiam totam restituit, castrum tamen sancti QUINTINI atque Peronam ad vitam tantùm suam sibi dimitti petiit, & obtinuit ad libitum voluntatis.

HERACLIUS Patriarcha Jerosolymitanus cum Priore Hospitalis transmarino venit in Franciam ad Regem Philippum pro succursu terræ sanctæ, quos Rex multum honoravit; & quia tunc heredem non habebat, consilio Prælatorum & Principum misit ad terræ sanctæ subsidium ingentem multitudinem tam

militum quàm peditum armatorum, sufficientes sumptus eisdem propriis redditibus administrans.

PHILIPPUS Rex Franciæ fecit omnes vicos urbis Parisius sterni duris & fortibus lapidibus, ad hoc quidem nitens ut nomen antiquum auferret civitati; nam Lutetia olim à quibusdam propter luti fœtorem nominata fuit. Quam quondam Trojani de Sicambria egressi, cum Principe Ybor nomine fundaverant, octingentis & nonaginta quinque annis ante Incarnationem Domini, vocantes eam Parisius, & se Parisis à nomine ALEXANDRI PARIS filij PRIAMI Regis Trojæ, sub quo eversa fuit Troja.

MCLXXXV.

BALDUINUS Rex Jerosolymorum obiit, BALDUINO nepote ejus ex Sybilla sorore adhuc puerulo sub custodia Remundi Comitis Tripolitani in Regem substituto. GUILLERMUS Rex Siciliæ ANDRONICUM usurpatorem Constantinopolitani Imperij navali exercitu aggreditur & terrestri, Salonicam urbem & alias multas obtinens & devastans. Mediâ Quadragesimâ factus est terræ motus in Græcia in civitate quæ Uceticum dicitur. Eodem sequenti mense Aprili Nonis ejusdem mensis, fuit eclipsis Lunæ particularis in vigilia Dominicæ Passionis.

ANDRONICUS usurpator Constantinopolitani Imperij multos Græcorum perimit, & maximè nobiles, ideóque exosus & suspectus ab omnibus habitus est; quo facto quidam de Imperiali semine procreatus nomine CURSAT, quem alij ISAACIUM dicunt, venit Constantinopolim, & civium animos sibi concilians, obtinuit à Patriarcha ut in Imperatorem coronaretur: qui statim Andronicum cum suis aggressus, eum fecit per pedum manuumque juncturas truncari, & sic per urbem super camelum vehi, & pòst ei oculos erui & linguam præcidi. Lucio Papa Veronæ mortuo, Romanæ Ecclesiæ centesimus septuagesimus sextus

URBANUS tertius natione Mediolanensis Papa præsidet.

CURSAT. BALDUINUS. MCLXXXVI.

GAUFRIDUS Comes Britanniæ filius tertius HENRICI Regis Angliæ obiit Parisius; & in majori Ecclesia beatæ MARIÆ annuente Rege Franciæ sepelitur. PHILIPPUS Rex Franciæ liberat castrum Bergiaci in Burgundia à Duce Burgundiæ longa obsidione conclusum. HENRICUS FREDERICI Imperatoris filius in Regem Romanorum à patre præficitur, ducens in uxorem sororem GUILLERMI Regis Siciliæ nomine CONSTANTIAM, inter quam & URBANUM Papam gravis simultas incanduit. BALDUINUS Rex Jerosolymorum adhuc puerulus obiit, cui GUIDO Leponensis Comes, qui Sybillam ejus matrem habebat in conjugem, in Regno successit; quæ res Comiti Tripolitano, qui tutor pueri Regis fuerat constitutus, displicuit, & ob hoc tam Regi quàm suis cœpit multimodè adversari. Soror Regis Franciæ Philippi, priùs uxor Henrici junioris Regis Angliæ defuncti, in Hungariam ducitur Belæ Regi Hungariæ desponsanda.

Reginaldus Princeps Antiochiæ fœdus induciale, quod Christiani cum Christianis & Rege Turcorum hinc inde sanxerant observandum, dirupit. Nam cùm plurimus & opulentus Turcorum comitatus à Damasco in Ægyptum transiret, & præter limites terræ Christianorum ob induciarum fiduciam itinerari non formidarent, in eos subitò Princeps prædictus irruit, & ipsos cum universis sarcinis minùs decenter captivos abduxit.

Venit ex Calabriæ partibus ad URBANUM Papam Veronæ commorantem quidam Abbas nomine JOACHIM, qui divinitus intelligentiæ donum acceperat à Deo, ut facundè & discretè enodaret difficultates Scripturarum: dicebat enim quòd ei ignoranti litteras attulerat Angelus Domini librum dicens; *Vide*, *lege*,

& intellige : & ita divinitus fuerat instructus. Dicebat etiam Apocalypsis mysteria hactenus latuisse, sed nunc per eum in spiritu prophetiæ clarescere, sicut ex opusculo, quod scripsit, legentibus liquet. Dicebat insuper quòd sicut veteris Testamenti scripturæ tempus quinque ætatum sæculi ab Adam usque ad Christum decursarum continent, sic liber Apocalypsis ætatis sextæ à Christo in choatæ Christum * exponit, ipsam ætatem sextam in sex ætatulas dispertitam, eásque singulas singulis hujus libri periodis satis congruere * designatas. Dicebat quoque hæc revelata fuisse in fine ætatulæ quintæ, atque in proximo succedere sextam, in qua tribulationes varias multiplicésque pressuras perhibet emersuras, sicut in apertione sigilli, & in sexti libri periodo, ubi de ruina Babylonis agitur, patenter ostenditur. Id verò in libello ejus præ ceteris notabile ac suspectum habetur, quòd mundi diffinit terminum, & infra duas generationes, quæ juxta ipsum annos faciunt sexaginta, arbitratur implendum. Fertur itaque multa scripsisse, librósque suos Papæ corrigendos obtulisse, nam in quibusdam errasse dicitur.

f. * tempus.

f. * congruenter.

MCLXXXVII.

SALAHADINUS Babyloniæ Soldanus injuriâ suis factâ à Principe Antiocheno permotus, Palæstinam violenter aggreditur, Admiralium Edissæ cum septem milibus Turcorum, qui terram sacram depopularentur, præmittens. Hic autem cùm in partes Tiberiadis processisset, casu sibi obvios habuit Magistrum militiæ Templi GIRARDUM de Bidefordia, & Magistrum Hospitalis ROGERUM de Molendinis, illum quidem fugatum *, Rogerum verò interfectum inopino marte confecit, multis Templariis tam captis quàm occisis.

f. * fugavit.

Facta est dissensio inter Regem Franciæ PHILIPPUM & HENRICUM Regem Angliæ. Petebat enim PHILIPPUS Rex à RICHARDO Regis Angliæ

filio Comite Pictavensi facto, pro eodem Comitatu homagium sibi fieri; quod ille à patre instructus de die in diem facere dissimulabat. Petebat etiam à Rege Angliæ Gisortium & alia castra Wulcassini Normanni, quæ tradita fuerant à patre suo Rege LUDOVICO pro dote MARGARETÆ sororis suæ, quando eam HENRICO Regi filio majoris HENRICI in matrimonium copulavit, quæ ad Regem Franciæ redire debebant, si Henricus sine herede decederet. Quod quia facere nolebat Rex Angliæ, PHILIPPUS Rex Franciæ collecto exercitu Aquitaniæ fines ingressus castrum Yssoldunum & plures munitiones Regis Angliæ cepit, & usque ad castrum Radulphi in quo erat Rex Angliæ terram depopulavit; sed Dei interveniente clementia, cùm expectaretur utrimque conflictus, pax subitò mediantibus bonis viris inter eos reformatur.

SALAHADINUS suorum victoria exhilaratus, animum totius Regni Jerusalem occupandi succensum ad majora intendit. Nam Galilæam aggressus Tiberiadem obsidet, quo audito, GUIDO Rex Jerusalem, Templarij, Hospitalarij, Episcopi, Proceres, populúsque in unum congregati hostibus occurrunt; hostes obsidionem deserunt, & ad fontes milliariis quatuor circa Tiberiadem castra ponunt. Quinto igitur Nonas Julij progrediuntur in bellum, acerriméque concertant, sed nox prælium dirimit. Ea die nostri gessere fortiùs, nisi quòd aquam præocupatam ab hostibus perdiderunt, diurno proinde conflictu æstu sitíque confecti laborabant, eo quod aquam non haberent: mane hostes præparant, & in nostros jam non ad bellum præparatos cœperunt irrumpere; quod videntes Principes & primi exercitus Regem adeunt festinanter, & quid facto opus sit deliberant in communi, Rex quemdam de numero equitum qui cum Turcis militaverat consulit quid in instanti negotio sit agendum, qui consuluit ut totis viribus in cuneum irrumpatur, ubi Salahadini vexillum altiùs eminebat.

Placet

Placet consilium universis, excepto Comite Tripolitano de cujus consilio montana occupaverunt, & ita consilio utili dissipato nostri æstu ac splendore solis gravantur, & telorum imbribus opprimuntur & obruuntur: Comes Tripolitanus arma dejecit, & ad castrum quod Saphetum dicitur se contulit. Interim nostrorum strages miserabiliter fit, Episcopus Acconensis lethaliter vulneratus, Crucem Domini quam ferebat tradidit alteri, & ille Regi. Bello itaque vehementer perurgente, GUIDO Rex capitur, & sancta Crux Domini à Turcis asportatur. Hanc alteram post COSDROEM Regem Persarum Crux sancta propter scelera nostra contumeliam pertulit, & quæ nos à veteri captivitatis jugo absolvit, propter nos captiva ducitur, & prophanis Gentilium manibus contrectatur: sed & quotquot Templarij & Hospitalarij inveniuntur protinus decollantur.

Porro GUIDO Rex, & Magister Templi in monumentum victoriæ reservantur. Princeps autem Antiochiæ REGINALDUS, qui Sarracenos semper oppresserat, ab ipso Salahadino manu propria decollatur. Sic exigentibus meritis suis in manus Gentilium nostri sunt traditi, ac à Turcis subjugati. Nimis enim in luxus varios & Clerus & Populus effluxerant, totáque terra illa facinoribus & flagitiis sordescebat; sed & qui Religionis habitum præferebant, regularis moderantiæ fines turpiter excesserant; rarus in Monasterio, rarus in sæculo, quem non vel avaritiæ, vel luxuriæ morbus inficeret.

SALAHADINUS igitur de nostris sic habito celebri triumpho, ad pontem Tiberiadis redit, ibíque manubias dividi, & in Damascum meliora deferri præcepit: postea erectis ad cælum oculis, de adeptione victoriæ gratias Deo reddidit; sic enim facere in omnibus quæ accidebant consuevit, & inter cetera hoc sæpiùs dixisse fertur, quòd non sua potentia, sed iniquitas nostra hanc illi victoriam contulit. Dehinc Accon, quæ & Ptolomaïs, veniens obsidet, quam

post biduum in deditionem recepit. Manere ibi volentibus non fuit hostilis oppressio, & recedere volentibus data est vitæ conductio. Id sanè Salahadini liberalitatem commendat, quòd nullum gravari sustinuit, qui vellet ei se subdere, & degere sub tributo; erat enim suorum tenax dictorum, suíque custos integer juramenti, & tam liberalis, ut vix denegaret quidquam alicui. Tota quippe regio tremebat viris privata fortioribus, & suis destituta tutoribus.

Inter hæc CONRADUS Marchio filius Marchionis de Monte-ferrato, qui à Constantinopoli veniebat Jerusalem, ubi quia sororem habebat Imperatoris CURSAT in conjugem, cum quodam nobili Græco qui Cursat volebat deponere, & se in Constantinopolim intrudere, pugnaverat, eúmque occiderat, & inde recedens, comperto quòd Accon teneretur à Turcis, Tyrum applicuit, & eamdem urbem defensurus suscepit: cujus adventus præsentibus & venturis Christicolis processit ad commodum, & ipsi ad laudem & gloriam. Tunc Comes Tripolitanus qui illuc post bellum Tiberiadis confugerat, videns potentiam Marchionis, omnibus suspectus, & omnes suspectos habens, Tripolim fugit; cui statim Salahadinus mandavit ut pacta quæ sibi juraverat, jurare faceret à suis. Comes civibus convocatis jurare illos imperat, dicens cedendum esse tempori, nec posse Salahadino resisti; responderunt cives minimè se jurare nisi priùs formam audiant juramenti, & super hæc inducias usque ad mane petentes, accipiunt. Ea nocte Comitem illum ultio divina percussit; res dissimulari non potuit, nam corpore defuncti nudato, quia nuper circumcisionis stigma susceperat apparuit; unde palam fuit quòd se Salahadino confœderans Sectam Sarracenicam ceperat observandam. Post quem Tripolis urbis dominium filius Principis Antiochiæ de jure obtinuit parentelæ.

LUDOVICUS filius PHILIPPI Regis Franciæ primogenitus nascitur in vigilia Assumptionis beatæ

Dei Genitricis Virginis MARIÆ. SALAHADINUS poſt Accon ſibi redditam Berytum & Sydonem occupans, cùm Tyrum eadem facilitate ſperaret ſibi vendicare, à Marchiſo turpiter repulſus abſceſſit. Exinde Aſcalonem urbem perveniens, eam poſt diverſos aſſultus quarta die Septembris obtinuit, tali pacto ut cives liberi hinc abirent, & Rex GUIDO cum quindecim de electioribus captivis redderetur. Ipſa die qua præſcripto pacto urbs tradita fuit, ſol quaſi compatiens, beneficium luminis defectu eclipſeo urbi & orbi ſubtraxit, ita ut ſtellæ ſicut in nocte apparerent. Turcomanni per hos dies Laodiciam urbem impetunt, & cum Principe Antiochiæ congreſſi, multos de ſuis occidunt. Deinde Antiochiam & circumjacentem regionem profligant cædibus & incendiis ac rapinis, terrámque illam copioſam quæ Mons-verra dicitur rapinis & incendiis ſunt depaſti. Sed cùm inde redirent, ab Antiochenis ſunt devicti & fugati.

SALAHADINUS Aſcalone munita cum Turcis ſuis Jeruſalem properat, & eam obſidet à parte occidentis, oppugnans eam decem diebus continuis; ſed civibus fortiter reſiſtentibus, cùm nec ſic Turci proficerent, per partem Aquilonis urbem ſanctam iterum ſunt aggreſſi. Tunc obſeſſi conſiderantes obſeſſoribus non poſſe reſiſti, in commune deliberant ſalvis ſibi vita & mobilibus reddere civitatem: ſed Salahadinus quia contra ſuam voluntatem diu ſe tenuerant petiit pro redemptione eorum ab his qui quindecem annos & ſupra excreverant decem bizancios, à mulieribus quinque, & ab infantibus unum ſimiliter ſibi reddi: quod ut ab utraque parte conceſſum eſt, ſecundo Octobris die, qui erat ab obſidione triceſimus tertius, feriâ ſextâ urbs ſancta, quòd dici dolor eſt, Salahadino redditur. Qui ſtatim campanas Eccleſiarum confringi fecit, & Turci equos & jumenta in Eccleſiis ſtabulaverunt; Suriani vero Eccleſiam ſepulcri auri pretio redemerunt ne ſordibus Gentilium ſubjaceret. Templum autem Domini, quod Turci juxta ritus

ſuos conſueverant antiquitus venerari, fecit Salahadinus intus & extra aqua roſacia ablui antequam vellet illuc ingredi. Multa verò milia pauperum quia non habebant pretium à prætexato pretio abſoluit, & infirmis juſſit de fiſco proprio per aliquantum tempus neceſſaria miniſtrari. Sanè Regina SYBILLA, cum HERACLIO Patriarcha, Templariis & hoſpitalariis, ac immenſo exulantium cœtu apud Antiochiam eſt profecta; alij verò apud Alexandriam vel in Siciliam navigaverunt.

Capta eſt ergo Jeruſalem civitas ſancta poſt annos octoginta octo ex quo à Turcis eruta fuit, & tantumdem fere temporis à noſtris poſſeſſa, quantùm priùs à Turcis. Suriani verò Georgiani, Jacobitæ, Græci, Armenij in Jeruſalem remanſerunt ſub Turcorum dominio, addicti ſervituti. Tranſmarinæ calamitatis hiſtoria ubi per occidentem inſonuit, gravi mœroris aculeo corda omnium ſauciavit. URBANUS verò Papa cùm tam flebilem rumorem audiſſet, nimis indoluit, & ex dolore langueſcens, non multùm pòſt obiit, & in urbe Ferraria ſepelitur; cui Romanæ Eccleſiæ centeſimus ſeptuageſimus ſeptimus GREGORIUS octavus natione Beneventanus ſucceſſit. Sed cùm poſt duos menſes Piſam veniſſet, & inter Piſanos & Januenſes diſcordantes concordiam reformaſſet, atque ad ſubventionem urbis Jeruſalem totis viribus inhiaſſet, proh dolor! inſtanti Natali Domini rebus humanis eximitur, & apud eamdem urbem honorificè ſepelitur. Poſt quem Romanæ Eccleſiæ centeſimus ſeptuageſimus octavus CLEMENS tertius natione Romanus Papa præſidet. Imperator Conſtantinopolitanus, & Rex Siciliæ reducuntur ad pacem.

MCLXXXVIII.

GUIDO Rex Jeroſolymorum de priſione SALAHADINI liberatus, Tyrum applicuit; ſed eidem CONRADUS Marchio introitum denegavit: quod Rex prudenter diſſimulans nunc apud Antiochiam,

nunc apud Tripolim commoratur per annum, & transmarinos Christicolas in terræ sanctæ subventionem venturos expectat. PHILIPPUS Rex Franciæ & HENRICUS Rex Angliæ dum pro sedando inter se dissidio ad colloquium inter Triam & Gisortium conveniunt, Tyrensi Archiepiscopo, qui in Franciam pro subsidio terræ sanctæ advenerat, eos adhortante signo se Crucis insigniunt; quorum exemplo Barones & Milites præmoti, turbáque conditionis cujuslibet infinita, signum Crucis Dominicæ assumpserunt. FREDERICUS quoque Imperator Romanorum per idem tempus eodem peregrinationis voto se obligat, & per totum Imperium suum, necnon & per universum orbem eodem voto & studio effervescunt.

Consilio Regis Philippi Regis Franciæ, & Procerum Regni ejus agitur, ut ad auxilium peregrinorum in terram sanctam profecturorum, res & mobilia universorum decimarentur; quod quidem in grandem perniciem est conversum, quia plures ex his qui decimationes exigebant violentiùs Ecclesias aggravabant, ex quo peccato creditur accidisse quòd iter propositum transmarinum impediretur. Satan enim lætis cruce signatorum Principum primordiis invidens, inter Principes discordias seminavit, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam: *Effusa est* *Psal. 106. 40.* *contentio super Principes, & errare fecit eos in invio & non in via.* Nam inter PHILIPPUM Regem Franciæ & HENRICUM Regem Angliæ per RICHARDUM Regis Angliæ filium renovatur dissidium, quod sopitum certissimè putabatur. Philippus enim Rex collecta multitudine armatorum terram Arverniæ potenter intravit, & quidquid erat juris Regis Angliæ sibi subjugavit; quo intellecto Rex Angliæ nimis iratus reduxit exercitum suum per marchiam Normanniæ versùs Gisortium, ubi multas villas destruxit & incendit: quo audito Rex Franciæ eidem occurrens, fugavit eum usque ad castrum quod dicitur Trou; de

quo Henricum Regem turpiter ejecit, & in tranſitu ſuo Vindocinum ſubjugavit. Tandem ſuperveniente hyeme datis induciis ab utraque parte quieverunt à bello. Templarij, Hoſpitalarij, viríque fortes quamplurimi transfretant, ut oppreſſis terræ ſanctæ ſuccurrant. GUILLERMUS quoque Rex Siciliæ per Ducem claſſis ſuæ iter marinum liberum reddebat, & à pyratis tutum, tam ſubventionibus navium quàm rerum quarumlibet copia, Chriſtianis tranſ mare ſatis munificè ſuccurrens.

Siccitas fuit inaudita, adeò ut in multis locis fluvij, fontes & putei ſiccarentur, plurimæque ignium clades per Gallias acciderunt: Nam Turonis, Carnôtum, Belvacus, Autiſſiodorum & Trecas civitates, Pruvinum caſtellum & quamplures aliæ villæ miſerabiliter incenduntur. SALAHADINUS urbes & oppida quæ Chriſtianis abſtulerat muris reparat & roborat munimentis. Tyrum iterum impugnat terra & mari, nihílque intentatum relinquens, patrem Marchiſi quem in bello Tiberiadis ceperat, ſub hac fiducia præſentat captivum, ut filius neceſſitudinis affectu permotus patris concambio civitatem contradat. Nunc ergo reddendum offert, nunc perdendum minatur, varióſque tentat acceſſus, ſed in omnibus fallitur; nam Marchio flecti neſcius, offerentem irridet, minantem contemnit, & quotiens provocandæ compaſſionis intuitu illi pater in vinculis videndus oſtenditur, confeſtim balliſtam corripit, obliquos in patrem ictus deſignans, manum quidem aberrare volens, ſed ſimilis percuſſuro. Miſſis etiam Soldani qui patris interitum minitantur, id ſe votis omnibus expetere aſſerit, ut & maleficus ille poſt tot flagitia bonos tandem inveniat exitus, & ipſe patrem habere Martyrem mereatur. Hac Salahadinus obtinendæ urbis deluſus fiducia, quod arte non valebat, armis experitur; ſed terra & mari à Marchione devictus recedit inglorius.

MCLXXXIX.

Ravennensis & Pisanus Archipræsules cum multo Italorum agmine transfretantes, & Tyrum appulsi, Tyrensibus fiunt non modicum adjuvamentum. Fredericus Romanorum Imperator cum Duce Suaviæ filio suo iter peregrinationis transmarinæ arripiens in festo sancti Georgii cum multitudine infinita Hungariam ingreditur, & à Rege Hungariæ honorificè est susceptus. Dehinc transito Danubio per Bulgariam tendit in Traciam; sed cùm ei Imperator Græcorum transitum denegaret, vias obstrueret, divertit in Græciam, & terræ illius partem occupans, ibidem per aliquantulum temporis demoratur. De Frisia & Dacia quinquaginta naves pariter fœderatæ eamdem peregrinationem arripiunt. De Flandria verò triginta septem rates quæ alios secutæ sunt, dum per Hispanias transeunt, Sarracenorum urbem nomine Silviam obsident, & post quadraginta dies captam diripiunt, nulli ætati vel sexui parcentes, sed omnes pariter trucidantes; postea opes inventas æqualiter inter se dividunt, & urbem tenendam Regi Portugalensi Christiano reliquerunt.

Interim inter Regem Franciæ & Regem Angliæ fervescente discidio, plurima fit castrorum urbiúmque direptio: Turonis urbs à Rege Franciæ capitur & Cenomannis. Deinde pòst, pace inter eos facta, Henricus Rex defungitur, nimio, ut dicebatur, dolore absorptus, quòd videret se à Rege Franciæ victum, & à Richardo filio suo qui ad Regem Franciæ confugerat derelictum. Sepultus est in Cœnobio Monachorum *, qui Fons-Ebraudi dicitur, multis ab eo redditibus & muneribus ampliatum. Vir utique prudentia gestísque famosus, lætísque florens successibus, perpetuâ dignus memoriâ, nisi quòd sanctum Thomam fuerit adversatus. Cui successit Richardus filius ejus.

* Monacharum.

Erachium quoddam castrum duobus annis à Turcis

obsessum Salahadino redditur, & propter hoc EUFRIDUS de Turone qui in vinculis tenebatur, liberatur: pari facto Magister Templi GIRARDUS absolvitur, & pater Marchisij cum cambio cujusdam captivi gentilium liber abscedit. Cùm multa milia Christianorum apud Tyrum & Tripolim applicuissent, GUIDO Rex Jerosolymorum eos Accon petere & obsidere fecit, quibus SALAHADINUS occurrit ut succurrat obsessis, & impetat obsessores: cúmque nostri hostium assultus ferre non possent, valla & aggeres in gyro castrorum facientes, tutiores pugnam acerrimam cum hostibus pertulerunt; & sic in obsidione longo tempore commorantes, multi morbo dissinteriæ perierunt, si quidem à facie & à tergo hostilis eminebat obsidio: & aëris intemperies tanta fuit ac inundatio pluviarum, ut præ nimia humectatione cibaria corrupta deperirent; unde miranda & perpetuò veneranda virorum illorum constantia, quæ tot malis obsita non defecit, sed permansit infracta. In hac obsidione defungitur Regina Jerusalem SYBILLA cum quatuor filiis, quos de Rege Guidone marito susceperat, & habebat solummodò. Post cujus obitum GUIDO Rex jus Regni perdidit, & ad sororem Reginæ nomine IZABELLAM uxorem EUFRIDI de Turone obvenit, sed ab Eufrido separata, quia eam ante nubiles annos, & contra voluntatem suam duxerat, Marchioni CONRADO uxor tribuitur, qui hoc modo Regni Jerusalem obtinuit Principatum.

GUILLERMUS Rex Siciliæ moritur, cujus mors multis intulit detrimentum; nam cùm non haberet heredem, HENRICUS FREDERICI Imperatoris Romanorum filius dicebat se fieri successorem, & pacto promissionis, & jure propinquitatis, quia sororem Regis Guillermi duxerat in uxorem. At Siciliæ Proceres inito consilio TANCREDUM virum illustrem in Regem substituunt, unde propter hoc grandis utrinque fit turbatio, concutiuntur provinciæ, & imprimis Campania & Appulia profligantur. IZA-

BELLIS

BELLIS Regina uxor PHILIPPI Regis Franciæ obiit, & Parisius in majori Ecclesia beatæ MARIÆ sepelitur.

MCXC. RICHARDUS, CONRADUS, TANCREDUS.

PHILIPPUS Rex Franciæ, RICHARDUS Rex Angliæ, ODO Dux Burgundiæ, PHILIPPUS Comes Flandriæ, HENRICUS Comes Campaniæ, THEOBALDUS Comes Blesensis, STEPHANUS Comes Sacri-cæsaris; Episcopi quamplurimi, & ferè Regni Franciæ Barones & Milites universi, signo Crucis Dominicæ insigniti, cum infinito agmine & incredibili apparatu iter transmarinum arripiunt: navésque ascendentes diversis portibus marina tempestate repulsi, diversis littoribus applicuerunt. PHILIPPUS verò & RICHARDUS Reges Messanæ urbi Siciliæ vix appulsi, nec valentes ulteriùs progredi, ibidem insimul hyemaverunt. Tunc venit ad eos Abbas JOACHIM de suo quod in Calabria constituitur Monasterio evocatus, qui de futuris ab eis sciscitatus, respondit quòd mare transituri essent, sed nihil aut parum efficerent, quia tempus non aderat, quo liberanda foret Jerusalem & regio transmarina.

FREDERICUS Romanorum Imperator cum CURSAT Imperatore Græcorum qualicumque pace composita, & Bosphoro transito, Asiam perambulavit, multa suorum damna patitur tam per assultus hostium, quàm per penuriam victualium; timebat enim per æquora transmeare, quoniam sicut dicunt in historiis suis quæ Fredericæ nuncupantur, quòd fatatum ei erat in aqua mori. Ipse verò Soldanum Yconij qui forum venalium quod promiserat sibi deturbabat, usque Yconium persecutus, circumjacentia loca Yconij succendit. Deinde cùm ad quasdam locorum venissent angustias, reperit Turcorum multitudinem infinitam, congrediens eos viriliter debellavit. Habito itaque de hostibus insigni triumpho, dum

quemdam fluvium transiret, heu! tantus Princeps demergitur, suffocatur, & moritur. Vir quidem magnanimus, strenuus, largus, facundus, prudens gestísque clarus, ac sibi rebellium fortis edomitor, qui adeò Imperium dilatavit, ut post CAROLUM MAGNUM parem gestorum magnificentiâ vix habuerit: cui successit HENRICUS filius ejus, qui ad custodiam Imperij relictus fuerat. Frederico Imperatore itaque mortuo exercitus ejus venit Antiochiam, ubi dum fessa reficiunt corpora, & in epulis se distendunt, tot & tanti ex eis ægrotant vel obeunt, quòd de tanto exercitu vix pauca militia remaneret. Filius quoque Imperatoris Dux Suaviæ corpus patris usque ad Tyrum detulit, quo ibidem sepulto, cùm ad obsidionem Aconis venisset, paulo pòst obiit.

Objerunt Philippus Comes Flandriæ, Theobaldus Comes Blesensis, Stephanus Comes Sacri-cæsaris, Procerúmque atque Nobilium turma quamplurima apud Acconem de diversis mundi partibus aggregata.

HENRICUS. MCXCI.

CLEMENTE Papa mortuo Romanæ Ecclesiæ centesimus septuagesimus nonus CÆLESTINUS tertius natione Romanus præsidet, qui in ipso die Paschæ consecrationem pontificalem accepit, & in crastino HENRICUM Frederici Regis filium ad Imperium coronavit. Rex Franciæ PHILIPPUS, qui anno præcedenti cum Rege Angliæ RICHARDO in Sicilia hyemaverat, eum tamquam hominem suum monuit, ut sicut sibi juraverat, mare cum eo transiret; quod id non solùm facere, sed etiam sororem illius quam de juramento tenebatur in uxorem ducere, recusavit, & usque ad mensem Augustum passagium suum distulit. Rex igitur Franciæ mare intrans recto itinere Accon applicuit, & ab his qui longo tempore sedebant in obsidione quasi Angelus cum gaudio & honore suscipitur: Richardus verò Rex Angliæ cum ratibus & galeis suis post Regem Franciæ de Sicilia

movens, venit in Cyprum, ibíque inveniens quemdam Pſeudo-Imperatorem inſulæ dominantem, ipſum cepit, Cypróque ſic ſubjugata, gente ſua eam munivit. Interim PHILIPPUS Rex Franciæ ad expugnandam Acconem Regem Angliæ expectabat: condixerant enim quòd non niſi pariter impugnarent. Igitur cùm veniſſet, primò foſſata implere contendunt; ſed cùm à Rege Franciæ Rex Angliæ ſæpiùs diſſentiret, & ſicut dicebatur, perurgendis aſſultibus diſſimulanter ageret; Rex Franciæ petrarias adhibens quamplurimas ſuos fecit urbem fortiter aſſilire, quibus nocte & die inceſſanter jactantibus, pars murorum confringitur & turris mirabilis firmitatis, foſſoribus cuniculos ſubter agentibus, conquaſſatur. Tunc hoſtes vehementer attriti cùm nullam ſibi viderent adeſſe potentiam reſiſtendi Regi Franciæ, colloquium expetunt, urbémque, ſe & ſua pariter reddunt. Accon igitur tertio Idus Julij à noſtris recipitur, poſt decurſum fere biennium ex quo cœperat obſideri. Porrò Turci intra urbem reperti cùm pacta quæ cum Rege Franciæ inierant tenere non poſſent, alij evaſere redempti, alij ad ſerviendum compedibus ſunt detenti, alij gladio truncati. Audita ergo captione Acconis timor irruit ſuper hoſtes, & Aſcalonem atque quædam caſtella quæ noſtris abſtulerant diruunt vacuáque dimittunt.

HENRICUS Imperator Romanorum Neapolim obſidet, ſed ibi ægrotans cæde relicta Alemanniam tendit. In Cœnobio ſancti DIONYSII in Francia extractum eſt caput pretioſi DIONYSII Areopagitæ Martyris de capſa ubi cum corpore quieſcebat, ad removendum errorem Canonicorum Pariſienſium, qui dicebant caput prædicti Martyris ſe habere; poſitúmque fuit illud caput ſanctiſſimum in vaſe decenti argenteo, ut palam deinceps ad oſculandum gentibus monſtraretur: quod poſtmodùm venerabilis MATTHÆUS Abbas illius Monaſterij in alio vaſe aureo pretioſo lapidibus & mirabili opere decorato à ſe

constructo transferri fecit per manus venerandi in Christo patris domini SIMONIS sanctæ Cæciliæ tunc Presbyteri Cardinalis, qui postea Papa MARTINUS quartus appellatus est, præsente Rege Franciæ PHILIPPO filio Regis sanctissimi Franciæ LUDOVICI, sicut ad dictum Cœnobium accedentes vident moderno tempore universi.

Apud Accon ortâ discordiâ inter Regem Franciæ & Regem Angliæ, PHILIPPUS Rex Franciæ apparatu suo sub manu Ducis Burgundiæ commendato rediit à partibus transmarinis; Rex verò Angliæ RICHARDUS ibidem remanens, eos qui in opere jam inclusi & quasi capti tenebantur Christiani, suo auxilio liberavit, & multa alia bona fecit.

MCXCII.

Illi qui post discessum Regis Franciæ trans mare remanserant parum aut nihil proficiunt, sed demum inter eos & Salahadinum induciæ usque ad triennium statuuntur; sic tamen quòd Ascalonem, quam nostri cum magno labore & expensis construxerant, rursus dimitterent, & ita in vastitatem civitas nobilis est redacta. CONRADUS Marchio dum in urbe sua Tyro per quemdam vicum incederet, à duobus sicariis, quos hersacidas vocant, cum cultellis occiditur; quorum unus illico occisus est, alter captus vivus inceditur. ODO Dux Burgundiæ multíque nobiles trans mare obeunt, pauci repatriant. HENRICUS Comes Campaniæ uxorem Marchionis CONRADI ab hersacidis occisi accepit in conjugem, & in Tyro ad principandum eligitur. Richardus Rex Angliæ vendidit insulam Cypri quam acquisierat Guidoni quondam Jerusalem Regi, qui Rex fuit ibidem constitutus.

MCXCIII. HENRICUS.

RICHARDUS Rex Angliæ de transmarinis partibus post multa naufragia rediens, dum per Austriam

in patriam ſuam latenter tranſire deliberat, à Duce Auſtriæ capitur, & Imperatori Romanorum Henrico traditur, à quo per annum in cuſtodia detentus, tandem multâ pecuniâ redimitur.

SALAHADINUS Soldanus Babyloniæ & Damaſci obiit; qui moriens juſſit ut ſignifer ejus portans ſudarium ſuum ſuper lanceam per Damaſcum clamaret: *Rex totius orientis nihil ampliùs de ſuis omnibus ſecum portat.* Poſt quem filij ejus Regno compertito cum SAFADINO Salahadini fratre, diutiùs de Regno concertant. PHILIPPUS Rex Franciæ Normanniam ingreſſus Giſortium cepit, aliáque quamplurima caſtra vel vi, vel deditione pervaſa, aut incendit, aut diruit, aut retinet & firmata communit. Eodem anno ipſe Rex Philippus YSEMBURGEM Regis Danorum ſororem apud Ambianis urbem duxit in uxorem, quæ à GUILLERMO Remenſi Archiepiſcopo ibidem inuncta fuit in Reginam; ſed miro Dei judicio ubi eam accepit, ſic exoſam habuit, quòd ſtatim eam relinquere cuperet, & de divortio cogitaret. GUIDO Senonenſis Archiepiſcopus obiit, cui MICHAEL Pariſienſis Eccleſiæ Decanus ſucceſſit.

MCXCIV.

RICHARDUS Rex Angliæ infinita redemptus exactione in terram ſuam regreditur; qui ſtatim caſtrum obſidens, quod GUIDO de Vallegriniosa ex parte Regis Franciæ tenebat, non multum pòſt expugnat; & ſic fecit de multis aliis caſtris in terra ſua à Rege Franciæ detentis. Veniens autem Turonis Canonicos beati MARTINI de Eccleſia ejecit, & res eorum violenter abſtulit. TANCREDUS Rex Siciliæ & ROGERUS filius ejus jam in Regem perunctus Regni ſimul ac vitæ exitum ſortiuntur; quo HENRICUS Romanorum Imperator cognito Appuliam & Siciliam terra maríque aggreditur, ſuſceptúſque eſt à Principibus, totámque terram ſuæ ſubdidit ditioni. PHILIPPUS Rex Franciæ Normanniam in-

Gal *Vavgrigneuſe.*

trans Vernolium obsidet & expugnat, Ebroicásque urbem incendit & subruit.

MCXCV. HENRICUS.

HENRICUS Imperator Romanorum receptâ Siciliâ rediens in Alemanniam thesauros Regum Siciliæ, uxorem Tancredi, & filium ejus, atque quosdam Primates, qui contra se conspiraverant, secum adduxit, & uxorem suam cum filio suo Frederico ibidem apud Pannormum dimisit. Ab Oriente transfretat in Hispaniam Sarracenorum exercitus infinitus, Regémque Castellæ in bello devicit, & partem Hispaniæ rapinis ac cædibus occupat & profligat. Vehemens fames Gallias attrivit, quæ per quatuor annos continuos durans ita confecit populum, ut qui antea divitiis floruerant publicè mendicarent.

PHILIPPUS Rex Franciæ Vallem Ruollij quam munitam tenebat funditus evertit, & post paucos dies sororem suam, quam Richardus Rex Angliæ tenuerat, recipiens, Comiti de Pontivo in uxorem dedit. Cùm autem postea Rex exercitum in Bituricensi pago juxta Yssoldunum collegisset, & Rex Angliæ cum exercitu suo in oppositam partem staret, ac uterque exercitus ad pugnandum armis accingeretur, cooperante Domino, contra omnium opinionem ita factum est, quòd Rex Angliæ depositis armis cum paucis ad Regem Franciæ veniret, & ibi coram omnibus pro Ducatu Normanniæ & Comitatu Pictavensium & Andegaviæ eidem homagium faceret; & sic de pace servanda deinceps uterque Rex ibidem præstat juramentum. FULCO quidam Parisiensis Presbyter cœpit in Gallia prædicare, multósque ad usuræ restitutionem adducere.

MCXCVI.

In Martio subita & nimia aquarum & fluminum inundatio facta pluribus in locis villas destruxit, & in eis habitantes extinxit, atque plures pontes flu-

minis Secanæ confregit. Per totam Alemanniam fit ingens commotio ad liberationem regionis transmarinæ, Archiepiscopo Maguntiæ & Duce Saxoniæ, necnon pluribus Episcopis & Principibus voto se sanctæ Crucis obligantibus. Imperator quoque HENRICUS per Appuliæ & Siciliæ littora tam navibus quàm in victualibus copiosum exhibuit apparatum. Factum est divortium inter PHILIPPUM Regem Franciæ & uxorem suam Reginam YSEMBURGAM, consanguinitate probata inter eam & aliam quam Rex ante duxerat. RICHARDUS Rex Angliæ postposito juramento quod Regi Franciæ fecerat, castrum Virzionis in Bituricensi pago dolo cepit & funditus evertit. Ob hoc Rex Franciæ Philippus collecto exercitu Albammarlam obsedit, ubi dum moram faceret, Rex Angliæ Norencourt castellum pecuniâ datâ militibus ipsum custodientibus recepit; sed Rex Franciæ prædictum castrum minimè relinquens, tantum illud erectis petrariis & aliis ingeniis impugnavit, donec fracta turre & muris, interiores bellatores ad deditionem coëgit, cúmque castrum solo tenus destruxisset, Norencourt obsidens in brevi cepit, & Comiti Drocarum ROBERTO custodiendum tradidit. MAURITIUS Parisiensis Episcopus obiit, cui successit ODO Solliacensis. Hic venerandæ memoriæ Mauritius Episcopus inter innumera bona quæ fecit, quatuor Abbatias fundavit, & de propriis sumptibus dotavit, scilicet Hermallem, Hermerias, Hesderam & Gif. Et quia de resurrectione mortuorum, quam ipse firmissimè credebat, multi in tempore suo dubitabant, moriens scribi fecit in schedula: *Credo quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursùm circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum.* Hanc igitur schedulam in extremis agens super pectus suum præcepit extensam poni, ut ab omnibus ad ejus sepulturam convenientibus posset legi, cujus exemplum secuti sunt omnes ferè Sacerdotes postmodùm morientes. *Iob 19. 25.*

MCXCVII.

Theutonici qui in terram transmarinam transierant, dum omnia turbulenter actitant, inducias quas nostri cum Turcis inierant abrumpunt, urbémque Berytum oppugnant & capiunt; quo Turci permoti Joppem civitatem pervadunt, obtruncant omnes, munitionem diruunt, solóque coæquant. PHILIPPUS Rex Franciæ duxit in uxorem MARIAM filiam Ducis Meraniæ & Bremiæ Marchionísque Histriæ, de qua postea genuit PHILIPPUM Comitem Boloniæ & uxorem Ducis de Lovanio. BALDUINUS Comes Flandriæ, qui anno præcedenti Philippo Regi Franciæ homagium apud Compendium fecerat, ab ejus fidelitate manifestè recedens, RICHARDO Regi Angliæ confœderatus, Regem Franciæ dominum suum, & terram suam graviter persecutus est ubilibet; & REGINALDUS filius Comitis Domni-Martini, cui ex maxima dilectione Rex Comitissam Boloniæ cum Comitatu suo dederat in uxorem. Regina Hungariæ soror Regis Franciæ Philippi, mortuo marito suo apud Accon ultra mare transiit, ibíque paulò pòst obiit.

In eadem quoque urbe & iisdem diebus HENRICUS Comes Campaniæ, qui uxore Marchionis accepta, ibidem super Regnum Jerusalem principabatur, dum in superiore palatij sui cænaculo cuidam fenestræ vertendo se applicaret, miserabili præcipitio collisus expiravit; cujus mater MARIA nomine, quæ Comitatum Campaniæ viriliter regebat, cùm de morte filij sui & sororis suæ Reginæ Hungariæ nuntium accepisset, nimis indoluit, nec multò pòst obiit; cui THEOBALDUS filius ejus frater defuncti Henrici in Comitatu Campaniæ successit. Duæ autem filiæ Henrici Comitis, quas de uxore Marchionis genuerat, apud Accon remanserunt, & una alia quam de Marchione Conrado * habuerat ante istas. AYMERICUS tamen Rex Cypri post mortem GUIDONIS fratris sui

* uxor ejus.

ſui quondam Regis Jeruſalem factus, dictam YSABELLAM matrem præfatarum filiarum, cui jus Regni Jeruſalem competebat, accepit uxorem, & tunc primò cum viro ſuo coronata fuit dicta Iſabellis in Accon in Reginam. PETRUS Cantor Pariſienſis vita & ſcientia clarus apud Cœnobium quod Longus pons dicitur obiit. Francia per CÆLESTINUM Papam ſuppoſita eſt interdicto propter divortium Regis Franciæ & Reginæ; nec multo pòſt ipſo Papa mortuo Romanæ Eccleſiæ centeſimus octogeſimus INNOCENTIUS tertius præſidet. Hic fecit hoſpitale ſancti SPIRITUS, & ſancti Sixti Eccleſiam renovavit. Librum etiam de miſeria conditionis humanæ, & decretales infinitas compoſuit. HENRICUS Romanorum Imperator in Sicilia commorans apud Meſſanam obiit, FREDERICO filio ſuo admodùm paruulo, & uxore ſua in manu Innocentij Papæ derelictis; ſed PHILIPPO fratri ſuo Duci Suaviæ pro dicto puero regendum Imperium dereliquit. Theutonici qui mare in terram ſanctam tranſierant, cùm grandia ſe facturos ſperarent, audita morte Imperatoris repatriant.

PHILIPPUS. MCXCVIII. AYMERICUS, FREDERICUS.

Inter Principes Alemanniæ fit acerba diſſenſio, aliis PHILIPPUM defuncti Henrici Imperatoris fratrem, aliis OTHONEM Ducis Saxoniæ filium Richardi Regis Angliæ ex ſorore nepotem ſublevare volentibus; & ita Regnum illud diu quietum variè perturbatur. Philippus tamen Dux Suaviæ frater Imperatoris Henrici magnam Imperij partem obtinuit: contra quem Otho prædictus auxiliante ſibi Rege Angliæ ſtans, diverſis eum aſſultibus impugnavit. Quædam mulieres ad prædicationem FULCONIS Pariſienſis Presbyteri conjugium reſpuentes, & ſoli Deo ſervire cupientes, in Abbatia ſancti ANTONII Pariſius collocatæ ſunt, quæ cauſa illarum eo tempore fundata fuit. Apud Roſetum in Bria in Sacrificio Altaris vi-

num visibiliter mutatum est in sanguinem, & panis in carnem. In Vermandense territorio quidam miles qui mortuus fuerat revixit, multáque futura multis prædixit, & postea sine cibo & potu longo tempore vixit. In Gallia circa festum sancti Johannis Baptistæ, ros in nocte de cœlo cadens mellitus spicas segetum ita infecit, ut multi eos in ore ponentes saporem mellis apertè sentirent. Mense autem Julio orta est tempestas valida in Episcopatu Parisiensi, tantæque magnitudinis lapides grandinis ceciderunt, quòd à Trembleio villa sancti Dionysij usque ad Cœnobium virginum quod Cala dicitur, & circa loca adjacentia, segetes, vineas, & nemora penitus destruxerint.

PHILIPPUS Rex Franciæ contra omnium opinionem, & suum edictum, Judæos quos ejecerat Parisius reduxit, & Ecclesias Dei graviter persecutus est; nec multo pòst pœna secuta est. Rex enim Angliæ RICHARDUS cum infinita multitudine armatorum Vulcassinum ingressus, omnia circa Gisortium vastavit, Corcellas & plures villas campestres incendens, prædas earum adduxit, & cum triumpho hac vice recessit.

MCXCIX.

RICHARDUS Rex Angliæ dum castrum quoddam Vice-comitis Lemouicensis oppugnat, quarello balistæ oculo percussus, non multo pòst moritur; cui frater ejus JOHANNES, qui *Sine terra* dicebatur, in Regno successit. Sepultus verò fuit Richardus Rex apud Fontem-Ebraudi. PHILIPPUS Rex Franciæ post mortem Regis Angliæ Richardi Ebroicas urbem cum circumpositis munitionibus, scilicet Apriliacum & Acquigniacum cepit, & gente sua munivit, totámque Normanniam usque Cenomannis vastavit. ARTURUS autem adhuc puer Comes Britanniæ nepos Regis Angliæ cum manu valida veniens, Comitatum Andegaviæ cepit, & apud Cenomannos Regi Franciæ occurrens homagium sibi fecit: ALIENORDIS au-

tem Regina mater Regis Angliæ apud Turonis similiter fecit Regi Philippo homagium pro Ducatu Aquitaniæ, & Comitatu Pictavensium, qui eam jure hereditario contingebat; & post datæ sunt treujæ inter Regem Franciæ & Regem Angliæ. HENRICUS Bituricensis Archiepiscopus obiit, cui successit GUILLERMUS Abbas Caroli-loci. Obiit similiter MICHAEL Senonensis Archiepiscopus, cui successit PETRUS de Corbolio, quondam INNOCENTII Papæ didascalus. Generale interdictum in toto Regno Franciæ propter divortium Regis & Reginæ observatur; qua de causa Rex iratus omnes Episcopos sui Regni, qui interdicto faciendo consenserant, à propriis sedibus proturbavit; Canonicos eorum & Clericos de terra sua ejiciens; ad cumulum etiam totius mali INGEMBURG Reginam uxorem suam legitimam apud Stampas in castro suo reclusit; aliud etiam addidit quod totam Franciam turbavit; nam tertiam partem bonorum omnium hominibus Militum suorum violenter abstulit, & à burgensibus suis tallias & infinitas exactiones extorsit.

MCC. JOHANNES.

In festo Ascensionis Dominicæ pax inter Regem Franciæ & Regem Angliæ reformata est; & in sequenti feria secunda LUDOVICUS Regis Francorum primogenitus BLANCHAM ILDEPONSI Regis Castellæ filiam, & Regis Angliæ neptem, duxit in uxorem: pro quo matrimonio JOHANNES Rex Angliæ omnes munitiones, urbes & castra, ac totam terram quam Rex Franciæ PHILIPPUS ceperat super Reges Anglorum, præfato Ludovico & ejus heredibus quittavit, totámque terram cismarinam post decessum suum, si ipsum sine herede mori contingeret, eidem concessit. CURSACH Imperator Græcorum ALEXIUM fratrem suum in tantum apud Græciam extulit, ut non minoris potentiæ esse crederetur quàm ipse Imperator, excepto coronæ privilegio & solo

nomine dignitatis; qui hoc intumescens honore, potentioribus suis per munera conciliatis, fratricida nequissimus insurgit in fratrem & dominum suum, ipsúmque de Imperio dejectum excœcat, & perpetuo carceri mancipavit. Post hæc nomen Imperatoris ignominiosè usurpans, filium Imperatoris Cursach Alexium nomine excœcari præcepit; quo Alexius cognito, fugit ad PHILIPPUM Romanorum Regem, qui sororem suam habebat in conjugem.

MCCI. ALEXIUS.

OTTOVIANUS Hostiensis & JOHANNES Velletrensis Episcopi Legati in Franciam venerunt, per quorum admonitionem Rex Franciæ PHILIPPUS uxorem suam INGEBURGEM in qualemcumque gratiam recepit, & superinductam à se separavit. Hi igitur postea Franciam absoluentes, Suessionis Concilium convocaverunt, ubi præsente Rege & totius Regni Episcopis & Baronibus, tractatum fuit per quindecim dies de matrimonio Ingeburgis Reginæ, confirmando vel separando; post multas verò varias disputationes Jurisperitorum, Rex longâ morâ tædio affectus, relictis ibi Cardinalibus & Episcopis cum Ingemburge uxore sua summo mane ipsis insalutatis recessit, mandans illis per nuntios suos, quòd uxorem suam secum ducebat sicut suam, nec separari ab ea volebat: quo audito, stupefactis omnibus, solutum est Concilium. Regina verò MARIA quam Philippus Rex superduxerat, auditis divortij sui rumoribus, dolore anxia apud Poissiacum moritur: cujus infantes quos duos Regi pepererat, INNOCENTIUS Papa postmodum legitimos ad preces Regis Franciæ mandavit, & litteris suis confirmavit.

THEOBALDUS Comes Trecensis moriens, gravem suis luctum & multis ingerit, tum propter indolem quam præferebat egregiam, tum quia Cruce signatus Jerosolymitano itineri sperabatur profuturus. Hic Regis Navarræ sororem nuper acceperat in uxo-

rem, quæ geminam ex eo susceptam peperit sobolem, vivente marito unam filiam, jam defuncto unicum filium, ex quo prægnans remanserat. Ecclesia de Mirabello in Pictavia dedicata est, & ibi Canonici constituti. GALTERUS Brenensis Comes Romam venit, hac de causa. Uxor TANCREDI quondam Regis Siciliæ ab Imperatore Romanorum HENRICO Siciliam obtinente captivata cum liberis diúque detenta, tandem cum filiabus evadens ad præfatum Comitem se contulerat, eíque filiam suam desponsaverat; quocirca idem Comes sociis quos potuit secum aggregatis, ut sponsa sua hereditaria jura requireret Romam profectus, ab Innocentio Papa solemniter est receptus; cujus auxilio præmunitus, parte sibi Campaniæ tradita, cum TYBODO tyranno qui terram illam occupaverat congreditur, ipsúmque cum exercitu suo fugat, prosequitur & expugnat. Secunda denique congressione ante Carolum insigne Appuliæ oppidum ejusdem tyranni exercitus usque ad internecionem excidit, ipso cum paucis profugo, & in quadam munitione recluso. Hac igitur Comes Brenensis potitus victoria, in sublime evehitur, atque in brevi lætis successibus maximam regionis partem, Tybodi ereptam tyrannidi, suæ subjugat ditioni.

MCCII.

ALIENORDE Regina Angliæ defuncta, cum Rex Franciæ PHILIPPUS submonuisset JOHANNEM Regem Angliæ filium ejus ut Parisius venisset, sibi homagium facturus pro Ducatu Aquitaniæ, & Comitatu Pictavensium & Andegaviæ qui sibi post matris obitum obvenerant, & ipse ad diem præfixum minimè veniret, nec responsalem sufficientem mitteret: Rex Franciæ paratis expeditionibus Normanniam ingreditur, & munitionem quam Boutavant vocant funditus evertit, deinde Arquellum, Montemer & Gornacum castrum occupat & incendit, Conchas, insulam Andeliaci & Vallem Ruollij cepit. Post hæc

castrum fortissimum Gaillardum super Secanam in excelsa rupe ædificatum obsidet, quod tandem obsidione sex mensium impugnatum cepit; & sic Normanniam pervagans prædiis & incendiis circumquaque depopulatur universa.

FULCO ille celeberrimus Presbyter, qui per diversas provincias prædicando populos multos ad succursum terræ sanctæ incitarat, moritur. Innumera populorum milia prædicti Fulconis instantiâ concitati Jerosolymitanum iter arripiunt, quorum rates toto æstivo tempore ventorum intemperie per fretum quod Hispanias Affricámque disterminat circumjectæ, quamplures post longos maris circuitus Marsiliensi portui appulerunt, progredi ulteriùs non valentes. LUDOVICUS verò Comes Blesensis, & Balduinus Comes Flandriæ, ac multi de Regno Franciæ Proceres & Prælati qui Cruce signati fuerant, post multa maris pericula Venecias pervenerunt; sed dum ibidem transituros se putant, quædam causæ inter ipsos & Venetas emergunt, quibus transitus impeditur: ob hoc peregrini multas passi injurias, alij redeunt, alij abeunt, alij dum morantur sua fere prorsus expendunt. Die Maij tricesimo fit terræ motus in transmarinis partibus tribus diebus ante Ascensionem Domini, & vox terribilis audita est; magna pars urbis Acconensis cum palatio Regis corruit, & populus multus periit, Tyrus pene omnino subvertitur, Archas oppidum munitissimum ad solum usque diruitur, Trypolis maxima pars ruit, & plebs plurima suffocatur; Antharadis autem illæsa servatur, in qua Beatus PETRUS Apostolus primam Basilicam Dei Genitricis construxisse dicitur. Dehinc sequitur terræ sterilitas hominúmque mortalitas. GUILLERMUS Remensis Archiepiscopus dum Laudunum venisset, morbo subitaneo præventus opprimitur, & obstruso linguæ officio moritur intestatus; nec multo pòst nepos ejus RETROCUS Cathalaunensis Episcopus decedit simili modo.

JOHANNES Rex Angliæ ARTURUM Britanniæ Comitem filium majoris fratris sui GAUFRIDI defuncti, quem Rex Franciæ PHILIPPUS miserat ad debellandum Aquitaniam, & eumdem novum Militem fecerat, dum minus cautè ageret apud Mirabellum cum pluribus cepit, sed ceteris cum ipso captis per obsides liberatis, Arturum, ut fertur, latenter peremit; super quo à Baronibus Franciæ apud Regem Francorum, cujus vassallus erat, accusatus, cùm comparere non vellet post multas citationes, per judicium Parium exhereditatus sententiatur. Arturo itaque sicut dictum est, interfecto, & ALIENORDE sorore ejus in Angliam exilio relegata, CONSTANTIA mater eorum Comitissa Britanniæ GUIDONEM de Thoarcio maritum accepit; sed postea squalore lepræ moriens, ex ea filiam genuit, quæ data est postmodum uxor PETRO Mauclerc filio ROBERTI Comitis Drocarum patrui Philippi Regis Franciæ, cum Comitatu Britanniæ. Tartari ab oriente surgentes post occisionem domini sui DAVID Regis Indiæ tunc primò exierunt in populorum destructionem.

MCCIII.

PHILIPPUS Rex Franciæ iterum Normanniam repetens, Phalasium castrum fortissimum & Donomnam-frontem ac Cadumum cepit, totámque terram circumpositam usque ad Montem sancti Michaelis suæ dominationi subdidit. Denique Normanni ab eo petentes veniam omnes urbes quas custodiebant ei reddiderunt, scilicet Constantiam, Bayocas, Lexovium, Abrincas cum castris & suburbanis: nam quia Ebroicas & Cadumum jam ceperat, nihil de tota Normannia præter Rothomagum, Archas & Vernolium remanebat.

Peregrini Regni Franciæ post multa impedimenta quæ in Venetia passi fuerant, initis quibusdam pactis cum Venetis, Jaderam Regis Hungariæ urbem maritimam Venetis inimicam expetunt atque eam obsi-

dent, capiunt & incendunt. Tunc ALEXIUS filius CURSACH Imperatoris Græciæ, audito quod Franci cum Venetis apud Jaderam essent, mandavit eis per nuntios, quòd si ei succurrere vellent, eos à debitis triginta milium marcharum erga Venetas liberaret, pretiáque navium solveret, necnon & orientalem Ecclesiam Papæ subijceret, ac terræ sanctæ mirabiliter subveniret; quod Franci audientes ipsum ad se venire faciunt, ac super sponsionibus exsolvendis datis & receptis ab invicem sacramentis, simul cum eis & Venetis apud Constantinopolim navigant, & ibidem in brevi applicant. Per medios igitur fluctus strictioris maris quod Bosphorus, sive brachium sancti Georgij dicitur navigantes intrepidè, turrim quæ Galathas nuncupatur expugnant, & cathenam qua fit accessus ad portum irrumpunt: littoribus verò occupatis terram circumjacentem vi capiunt, Græcis fugientibus & intra urbem se recipientibus: quod videns invasor Imperij cum Francis & Venetis congredi disposuit, habens secum triginta milia equitum, & pedites innumerabiles. Partibus itaque vicinis quantum arcus potest sagittam jacere, tyrannus divinitus pavefactus intra urbem se recepit, fugiens cum paucis ea nocte; quo Græci comperto in palatio congrediuntur, & adolescentis exulis solemnis electio celebratur. Mane facto portas aperientes inermes in castris Francorum se ingerunt, suum requirentes electum, quem illico recipientes, CURSACH patrem ejus de carcere sublevant. His peractis pretia navium, & debita Venetorum soluuntur, ac Francis & Venetis marcarum ducenta milia conferuntur; & dum ibi cum Græcis hyemarent, pacta de obedientia Romanæ Ecclesiæ, & de succursu terræ sanctæ innovantur atque confirmantur.

MCCIV. ALEXIUS.

A fine mensis Januarij usque ad Maïum fuit siccitas continua & calor æstivalis. PHILIPPUS Rex Franciæ Rothomagum

Rothomagum obſidet, & in tantum coarctavit aſſultibus, donec cives ſe dederunt, videntes quòd nec ipſi ſe defendere poterant, nec ſuccurſum à Rege Angliæ obtinere; ſed & duo caſtella Vernolium & Archas quæ hucuſque reſtiterant, Regis Franciæ tradita ſunt ditioni, & ita Rex totam potitus Normanniam ſeptem Epiſcopatibus diſtentam in corpus Regni ſui redegit, poſt trecentos nonaginta * duos annos, ex quo CAROLUS Rex cognomento SIMPLEX ROLLONI Dano, primo de Normannorum Ducibus baptizato nominatóque ROBERTO, dederat eidem Normanniam cum filia in uxorem. Poſtea verò Aquitania fere tota cum Pictavi urbe Regi Franciæ ſe ſubdidit; atque in brevi ita ampliato corpore Regni, quocumque Rex graditur felices eum ſucceſſus lætáque auſpicia proſequuntur.

* triginta.

ALEXIUS Græcorum Imperator Francos & Venetas ſecum apud Conſtantinopolim hyemantes rogat ut egrediantur ex urbe propter diſcordias Græcorum evitandas, qui continuò acquieſcentes ex adverſo urbis interjacente portu caſtra ſibi conſtituerunt, ſed Imperator tam patris quàm Græcorum ſuggeſtione ſeductus, animum avertit ab eis, & claſſem incendere parat quæ ipſum ad coronam adduxerat. At ejus conatus Dei gratiâ ad nihilum deductus eſt. Græci verò poſtea exoſum habentes Alexium Imperatorem ſuum ſibi creant Imperatorem alium; cúmque Alexio Imperatori nulla ſpes eſſet niſi in Francis, miſit ad ipſos MORGULFUM ſibi familiarem multa eis promittens, qui jurat ex parte Imperatoris ſe eis traditurum quaſi pactionis obſidem palatium Blakernam dictum donec fieret plena impletio promiſſorum; ſed dum accedit ad recipiendum palatium Marchio de Monte-ferrato BONIFACIUS, ipſi & Francis illuditur. Interim Morgulfus revelat Græcis ſecretum de reddendo palatio, & in odium Alexij ſtatim tertius Imperator efficitur MORGULFUS, qui mox in Alexium Imperatorem dominum ſuum inſurgens

eum dormientem ſtrangulare fecit, & NICOLAUM alterum Imperatorem creatum occidit. Interim dum hæc agerentur CURSACH pater Alexij Imperatoris moritur, & Morgulfus Francos & Venetas poſtea perſequens, ab eis, capta urbe Conſtantinopoli, occiditur. Mortuo itaque ALEXIO Imperatore & tyrannis invaſoribus, Franci de conſilio Ducis Venetiarum aliorúmque Principum, cum aſſenſu Cleri & populi, BALDUINUM Comitem Flandriarum Imperatorem creaverunt.

PETRUS Arragonum Rex Regnum ſuum obtulit Eccleſiæ Romanæ ac cenſuale conſtituit. Tripolitanus Comes & Rex Armeniæ pro Principatu Antiocheno contendentes diu inter ſe confligunt.

MCCV. BALDUINUS.

Franci & Veneti qui Conſtantinopolim ceperant, dum eis hucuſque ſucceſſiſſet feliciter, circa feriatos dies Paſchæ gravi infortunio ſunt afflicti. Rex enim Blacorum & Bulgarorum cum Cumanis, Græcis & Turcis adverſùs eos pugnantes, Domino permittente vicerunt, majoribus in bello peremptis. Etenim cùm de communi conſilio tripertito exercitu, alij ad cuſtodiam urbis captæ deputati conſiſterent, alij cum HENRICO fratre Imperatoris BALDUINI circumquaque diſcurrerent urbes & oppida nondum ſubacta ſubigentes, vel jam ſubacta ne rebellarent obſervantes; Imperator Balduinus cum majoribus Andrinopolim urbem diſtantem à Conſtantinopoli ſpatio quinque dietarum obſedit. In hac ergo obſidione commorantes, quadam die ab hoſtibus laceſſiti, LUDOVICUS Bleſenſis Comes aliíque nobiles dum eos inconſultè aggreſſi longiùs perſequuntur, perſequentes circumcludit numeroſitas hoſtium de circùmpoſitis inſidiis exeuntium, factáque miſerabili ſtrage Francorum, Imperator ipſe capitur, nobiliúmque quamplurimi perimuntur. Suo igitur capite truncato, exercitus ab obſidione recedens, venit Conſtan-

tinopolim. GALTERUS Brenensis Comes cùm partem Appuliæ plurimam occupasset, & lætis hucusque floruisset auspiciis, à TYBODO circumventus capitur vulneratus, nec multò pòst moritur.

PHILIPPUS Rex Franciæ Lochas & Chinonem castella fortissima capit longa obsidione expugnata; quo facto tota Turonia & Andegavia à Regis Angliæ dominio liberatur.

MCCVI.

ADELA Regina Philippi Regis Franciæ mater Parisius obiit, & in Burgundia apud Pontiniacum juxta patrem suum THEOBALDUM quondam Comitem Campaniæ & Blesis sepelitur. JOHANNES Rex Angliæ transfretat in Aquitaniam, & innumeras secum copias transvehit ad Rochellam, cui PHILIPPUS Rex Franciæ occurrens cum multo apparatu, cùm non longè ab invicem essent duo exercitus, tum mutuos non iniere conflictus, sed exhaustis donariis * & infecto negotio, Johannes Rex inefficax redire compulsus est. OTHO qui contra PHILIPPUM Regem Romanorum diu de Imperio contenderat, deficientibus à se partibus sola sibi favente Colonia intra Coloniam consistebat; sed Philippus Coloniam obsidens, civibus ad pugnam egressis eisque potenter expulsis, & Othone turpiter fugato, Colonia recipitur à Philippo.

* *f.* diariis.

Apud Constantinopolim cùm de morte vel vita Balduini Imperatoris nulla fieret certitudo, Franci & Latini HENRICUM fratrem ejus juvenem strenuissimum ad culmen Imperij provehunt, & coronant. Eodem tempore GALO quidam Clericus à Constantinopoli rediens in patriam, secum faciem capitis sancti Johannis Baptistæ detulit in Franciam, & eamdem Ambianensi Ecclesiæ condonavit. In vigilia sancti Nicolai contra naturam hyemis audita sunt tonitrua, & fulgura micuerunt, à quibus in multis locis ædificia sunt incensa; subsequuta est tanta aqua-

rum inundatio, quòd nemo hujus ætatis erat qui diceret se vidisse tantæ inundationis illuviem aliquando irrupisse. Secana verò Parisius tres archas parvi pontis fregit, & quamplures domos ibi evertens damna multa alibi contulit. BARTHOLOMÆUS Turonensium Archiepiscopus obiit, cui GAUFRIDUS de Landa successit.

MCCVII. HENRICUS.

Satellia civitas munitissima & ad transfretandum in Siciliam portus aptus, qui Christianorum licet Græcorum hactenus fuerat, à Soldano Yconij obsidetur, & cum multo Christianitatis damno capta aliis suffixis patibulo, aliis in vincula conjectis, Turcorum dominio subjugatur. PHILIPPUS Rex Franciæ Aquitaniam ingressus, terram Vice-comitis Thoarcij qui à fidelitate ejus recesserat, & Regi Angliæ adhæserat, vastavit, Partenacum cepit, & alias quamplures circumpositas munitiones evertens, aliquas munitas sub custodia Senescali GUILLERMI de Rupibus dereliquit. HUGO Autissiodorensis Episcopus obiit, cui successit GUILLERMUS, qui apud Regem Franciæ Philippum perpetuam impetravit Regalium Ecclesiæ suæ libertatem.

* Albigensium.

Per idem tempus Bulgarorum * hæresis execranda errorum omnium fere extrema multis serpebat in locis tanto nocentiùs quanto latentiùs; sed invaluerat maximè in terra Comitis Tholosani & Principum vicinorum, ubi dum suum profiterentur errorem, primatum & judicium Romanæ Ecclesiæ spernunt, & communionem Christianorum sub ea positorum declinant, dicentes nullum sub ea vel in ipsius fide posse salvari, omnésque fidei articulos aut negant aut pervertunt, omnem omninò Religionem, cultum & gradum Religionis, pietatémque Ecclesiæ Catholicæ blasphemantes, damnant omne genus hominum præter se solos suorúmque conventicula, Catholicorum Ecclesiam deridentes. Quocirca de consilio INNO-

CENTII Papæ Cistercienſis Abbas aliíque circiter tredecim ejuſdem Ordinis Abbates delegantur, viri probabiles omnes, ſapientiâ & facundiâ præinſtructi, & parati ad ſatisfactionem omni poſcenti reddendam de fide, & pro fide etiam animas ponere non verentes. Egreſſi igitur de Ciſtercio menſe Maïo, per Ararim labuntur in Rhodanum modicis expenſis, equitaturis nullis, ut per omnia viros Evangelicos ſe probarent: ingreſſi denique quò tendebant, bini vel trini ad invicem diviſi partes illas perambulabant, hoſtes fidei ſanæ doctrinæ ſpiculis appetentes; vix tamen in multis milibus paucos invenerunt rectæ fidei profeſſores. Alij verò quorum infinitus erat numerus, ſic ſuo pertinaciter inhærebant errori, ut nullis veridicis acquieſcerent documentis; ſed tamquam aſpides ſurdæ obtureſcerent aures ſuas ad voces incantantium ſapienter, ne mentes eorum deverſas tenebris penetraret auditio veritatis. Per tres itaque menſes, urbibus, villis & oppidis, multo labore & inſidiis appetiti, paucos revocant, paucos fideles repertos de fide certiùs inſtruunt & confirmant. Adfuit etiam cum eis venerabilis ELIDACUS Oximenſis civitatis Hiſpaniæ Epiſcopus, qui & ipſe lucrandis Deo animabus invigilans, de redditibus ſuis ciborum copiam Prædicatoribus verbi Dei largiter exponebat.

In Anglia defuncto HUBERTO Cantuarienſi Archiepiſcopo, cùm eligeretur Rainerius * Superior Cantuariæ à communi, Johannes Rex Angliæ alium in ſede ponere volens, nec prævalens, adeò iratus fuit quòd Cantuarienſem Conventum expelleret, & eorum Eccleſiaſticos redditus confiſcaret. Propter quod Innocentius Papa STEPHANUM * ſancti Griſogoni Presbyterum Cardinalem Archiepiſcopum conſecravit, qui & Regem excommunicans propter Monachorum eliminationem, & bonorum ſuorum confiſcationem, Angliam ſuppoſuit interdicto.

vel potius * Stephanus.

* prædictum.

MCCVIII.

PETRUS de Castro-novo Monachus missus à Papa INNOCENTIO Legatus in terram Albigensium, Comitem Tholosanum excommunicavit; tunc Comes eum apud villam sancti Ægidij satisfactionem de commissis pollicens convocavit, nec tamen voluit satisfacere, sed mortem ei publicè comminatus est. Itaque Legato recedente, duo servientes Comitis se ei adjungunt, & in eodem hospitio pariter hospitati sunt. Mane autem facto Petrus Missâ celebratâ de hospitio recessit, & dum ad flumen Rhodanum pervenisset, unus è duobus servientibus prædictis ipsum lancea feriit inter costas, qui percussorem respiciens, verbum istud sæpiùs iteravit; *Deus tibi dimittat, & ego dimitto.* Post modicum tamen vitam finiens, in Ecclesia sancti Ægidij honorificè tumulatus est.

PHILIPPUS Rex Romanorum cùm jam rerum turbinibus in pace sopitis quieto potiretur Imperio, à LANDEGRAVA Duce Thuringiæ perimitur, ob hoc ut aiunt rancore concepto, quia Philippus filiam suam ei subtraxerat, quam sibi spoponderat se daturum; quo facto uxor ejus filia CURSACH quondam Imperatoris Græcorum nimis affecta dolore paulò pòst moritur. OTHO filius Ducis Saxoniæ nepos JOHANNIS Regis Angliæ per industriam & auctoritatem INNOCENTII Papæ Imperij dignitatem adeptus est.

INNOCENTIUS Papa misit in Franciam GALONEM sanctæ MARIÆ in portu Diaconum Cardinalem, Jurisperitum, bonis moribus adornatum, & Ecclesiarum Visitatorem diligentissimum, mandans & præcipiens Regi Franciæ PHILIPPO & cunctis Regni Principibus, ut cum exercitu magno tamquam viri Catholici terram Tholosanam, & Albigensium atque Narbonensium cum aliis adjacentibus invaderent, & omnes hæreticos qui eas occupaverant extirparent, & si fortè in via vel in bello contra eos facto

morerentur, ab ipſo Papa de omnibus peccatis à die nativitatis ſuæ contractis, de quibus confeſſi eſſent, abſolvebantur. GUILLERMUS de Rupibus Mareſcallus Franciæ, ſub cujus cuſtodia Philippus Rex Franciæ quaſdam munitiones in Pictavia, ſicut ſuperiùs dictum eſt, reliquerat, collectis ferè ducentis militibus Vice-comitem Thoartij & SAVARICUM de Malo-Leone, qui cum manu valida juſſu Regis Angliæ terram Regis Franciæ intraverant, prædáſque inde ducebant, ex improviſo ſuperveniens devicit, & quadraginta milites & ampliùs capiens Regi Franciæ domino ſuo Pariſius miſit. ODO Pariſienſis Epiſcopus obiit, cui ſucceſſit PETRUS Theſaurarius Turonenſis. GUILLERMUS quoque Bituricenſis Archiepiſcopus parans iter contra Albigenſes in Chriſto dormivit. GAUFRIDUS de Landa Turonenſis Archiepiſcopus toxicatus obiit, cui ſucceſſit JOHANNES de Faïa Decanus Eccleſiæ Turonenſis.

OTHO. MCCIX.

PHILIPPUS Rex Francorum vi & armis cepit quoddam caſtrum cui nomen Grapit*, firmatum in Septentrionali latere minoris Britanniæ, de quo facilis tranſitus patebat in Angliam, quod Britanni armis, hominibus & victualibus munierant, in quo etiam Anglicos Regni Franciæ inimicos recipiebant, & circumjacentem provinciam multùm damnificabant. Miles quidam de Gallia illuſtris & ſtrenuus JOHANNES de Bregna nomine, à partibus tranſmarinis electus in Regem Jeruſalem, cum multo transfretat apparatu, & in vigilia Exaltationis ſanctæ Crucis Accon urbem applicans, duxit in craſtino in uxorem filiam primogenitam ISABELLIS Reginæ ex CONRADO quondam Marchione ; paulò enim antè defuncta fuerat Iſabellis Regina dimiſſis tribus filiabus, & huic tamquam primogenitæ Regni hereditas debebatur. Porro in Dominica poſt feſtum ſancti Michaelis, cum favore Principum & populi ſanctæ

* Garplic.

terræ, apud Tyrum solemniter coronatus fuit cum uxore Johannes de Bregna prædictus in Regem Jerusalem, & AYMERICUS Rex Cypri, qui ratione uxoris suæ Isabellis Reginæ defunctæ diu regnaverat, titulum Regni Jerusalem tunc deponit.

OTHO Romanorum Rex intrans Italiam à plerisque urbibus reverenter excipitur, & favente sibi INNOCENTIO Papa, contra voluntatem Regis Franciæ PHILIPPI, & contradicentibus pro maxima parte Romanis, ac Magnatibus Imperij dissentientibus, eo quòd pater Othonis quondam Dux Saxoniæ de crimine læsæ majestatis ab Imperatore FREDERICO convictus & condemnatus judicio Baronum, atque à Ducatu Saxoniæ fuerat in perpetuum dejectus, Romæ die quadam Dominica circa festum sancti MICHAELIS Imperialem benedictionem sortitur. In ipsa verò ejus benedictione Papa jusjurandum exegit ab eo super fidelitate Ecclesiæ, ac jure ipsius conservando, ac super Regno Siciliæ nullatenus impugnando; quæ statim ipsa die violat & dirumpit; propter quod inter ipsum & Papam gravis simultas protinus incandescit.

De cunctis Galliarum partibus tam Episcopi quàm Milites & Barones ac vulgi numerus infinitus contra Albigenses hæreticos Cruce-signati mense Junio apud Lugdunum conveniunt, & inde procedentes versùs Provinciam accensis animis adversùs homines pestilentes & fidei refugas Albigenses se præparant pugnaturi, quibus adjungitur Comes Tholosanus, quem Papa per Legatum suum absolverat, priùs exhibita satisfactione de commissis. Imprimis igitur Biterrim urbem obsident & expugnant nulli sexui parcentes vel ætati, sed omnes à minimo usque ad maximum pariter trucidantur, ita quòd septemdecim milia hominum ferro & incendio perierunt. Carcassonam deinde petentes, ad quam urbem multi de regione circùmjacenti confluxerant, eam protinus obsident; sed ROGERUS de Biterri qui intus erat, vir perfidus,

per

per cujus nequitiam pestilens error increverat, videns Catholicorum fortitudinem & audaciam, & quòd suis non esset potentia resistendi, pactum fecit cum nostris, ut liceret suis recedere quo voluerint sine rebus; illísque recedentibus solus Rogerus sub arcta custodia detinetur. Nostri urbe potita SIMONEM de Monteforti Militem armis strenuum toti præficiunt regioni, & quidquid in urbe repertum est, & pars exercitus sub ejus dominio deputatur. His itaque gestis, ceteri ad propria rediere. Porro videntes Albigenses recessisse Principes, multa mala nostris irrogaverunt; nam discurrentes clanculò per castella & munitiones, tam milites quàm clientes ad oppidorum custodiam derelictos capiunt, alios occidentes, quamplures aurium & narium cum labro superiori & aliorum membrorum detruncatione deformant. Abbatem quemdam Cisterciensis Ordinis in via directum cum suis occidunt, & Monachum unum vulnerantes quem mortuum æstimabant in via dereliquerunt. GIRARDUS autem de Papione illius patriæ vir nimiùm potens ad quoddam oppidum cum multitudine armatorum adveniens, quòd de parte Catholica se tenebat, cùm sex Milites, unum Presbyterum, & quinquaginta servientes qui intus erant non posset ad libitum obtinere, juramentis se obligat si se redderent securè eos conduceret usque ad Carcassonam, qui reddentes se cùm ad mensam propriam Girardi pervenissent, nihílque mali hæsitantes, statim spoliantur & in carcere retruduntur; posteà eductis Militibus & Presbytero cum aliis ignem & paleas lignáque quamplurima Girardus supponere fecit, ministris suis desuper clamantibus, & beatam MARIAM Dei Genitricem blasphemantibus in hunc modum: Haa meretrix sancta MARIA; qui tamen arctati incendio non adusti triduo permanserunt. Porrò Milites diversis cruciatibus efficientes ut Christum Fidémque Catholicam abnegarent, eos tamen in Fide perseverantes propriis pollicibus exoculant, aures, nares, labiúmque su-

perius amputantes, quorum unus in pœnis glorioſus Martyr occubuit, alij ſupervixerunt. Comes Fuxi rupto fœdere quod cum Catholicis inierat, unico filio ſuo obſide derelicto redit ad vomitum, hæreticam pravitatem Fidei Catholicæ præferens, & noſtros poſtea multipliciter inquietans.

MCCX. JOHANNES.

Iterum Procerum & Epiſcoporum totius Galliæ fit celebris motio ſuper Albigenſes. Accendentes igitur adunato exercitu prope Minerbium urbem, eam obſident & capiunt, datúrque optio, ut qui voluerit hæreſim abnegare, liber diſcedat: ſed circiter centum octoginta ibi inventi ſunt, qui potiùs comburi quàm hæreſim abnegare elegerunt. Deinde Terme caſtrum fortiſſimum obſidetur, ubi peregrinum ramalia ferentem ad implenda foſſata quidam baliſtarius ſuper ſignum Crucis quod gerebat in humero carrello feriit, ſed carrellum tamquam ſi ſuper lapidem cecidiſſet reſiliit. Accurrunt undique & mirantur univerſi, cùm vivum reperiunt quem mortuum æſtimabant; de ictu nempe ipſe corruerat, ſed in eo nullam invenerunt veſtis diruptionem, aut corporis læſionem. Obſeſſi longa obſidione tandem fatigati dum noctu fugiunt, ad excubias noſtrorum intercepti, quotquot reperiuntur gladiis obtruncantur.

Pariſius de hæreſi quatuordecim homines, quorum aliqui Sacerdotes erant, convincuntur, ex quibus decem incendio traduntur, & quatuor recluduntur. Inter cetera quæ impudenter docebant, aſſeruere quòd Patris poteſtas duravit, quamdiu viguit lex Moſaïca, & quia ſcriptum eſt, Novis ſupervenientibus vetera projicient, poſtquam CHRISTUS venit, abſoluta ſunt omnia veteris teſtamenti ſacramenta, & viguit nova lex uſque ad illud tempus quo videlicet talia prædicabant. Illo ergo tempore dicebant novi Teſtamenti Sacramenta finem habere, & tempus ſancti Spiritus adveniſſe; ideóque Confeſſionem, Bap-

tiſmum, Euchariſtiam, & alia ſacramenta ſine quibus non eſt ſalus, locum de cetero non habere, ſed unumquemque per gratiam ſancti Spiritus tantùm interiùs, ſine aliquo exteriori actu, inſpiratum poſſe ſalvari. Charitatis quoque virtutem ſic ampliabant, ut id quod aliàs peccatum eſſet, ſi fieret in charitate jam non eſſe peccatum dicerent, unde ſtupra & adulteria ceteráſque corporis voluptates in charitatis nomine committebant; mulieribus cum quibus peccabant, & ſimplicibus quos decipiebant impunitatem peccati promittentes, Deum ſcilicet tantummodò bonum & non juſtum prædicabant.

Henricus Græcorum Imperator congregato exercitu Græciam pervagatur, reſiſtentes ſubjicit, ſubjecta pacificat, & circumquaque dominationis ſuæ terminos dilatavit. Otho Imperator Romanorum ſicut dudum mente conceperat, caſtra & munitiones quæ erant juris Romanæ Eccleſiæ occupavit, Raceſonum, Montem-flaſconis ac pene totam Romaniolam. Inde tranſiens in Appuliam oppugnavit terram Frederici Regis Siciliæ filij Henrici Imperatoris, cepítque multas urbes & oppida quæ erant de feodo Eccleſiæ Romanæ. Miſſis ergo hinc inde nuntiis, cùm Imperator ea quæ occupaverat reſignare nullatenus vellet, quin etiam à ſuis quos in caſtris poſuerat ſpoliari Romipetas faceret; Papa convocato Cardinalium ſuorum Concilio in eum excommunicationis ſententiam promulgavit. Deinde cùm nec ſic reſipiſcere vellet, ſed magis res Eccleſiæ occuparet, ac Romipetarum iter impediret, omnes ſubditos ejus à fidelitate ipſius abſolvit, prohibens ſub anathemate ne quis eum Imperatorem haberet aut nominaret. Sícque receſſerunt ab eo Landegravius Dux Turingiæ, & Archiepiſcopus Maguntinus, & Treverenſis, Dux Auſtriæ, Rex Bohemiæ & multi alij tam Eccleſiaſticæ perſonæ quàm ſæculares.

His temporibus clarebat in territorio Belvacenſi Helinandus Frigidi-montis Monachus, qui

Chronicam ab initio mundi uſque ad tempus ſuum diligenter compoſuit, & librum *de regimine Principum*, & alium *qui planctus Monachi lapſi* dicitur, compilavit.

MCCXI.

OTHONE Romanorum Imperatore, ut ſuperiùs dictum eſt, auctoritate Apoſtolica reprobato, & Imperij collati poteſtate privato, Barones Alemanniæ conſilio Regis Franciæ PHILIPPI, FREDERICUM Regem Siciliæ Henrici quondam Imperatoris ex CONSTANTIA ſorore GUILLERMI Regis Siciliæ olim filium, in Regem Romanorum elegerunt, rogantes Papam ut ejus confirmaret electionem: qui de Sicilia vocatus venit Romam, & à Romanis honorificè ſuſceptus fuit; indéque diſcedens Alpibus tranſcenſis pervenit in Alemaniam, ubi ab omnibus fere gratanter ſuſceptus, apud Maguntiam coronam Regni Theutonici eſt adeptus; cúmque poſtmodùm veniſſet apud Vallem-coloris, quod caſtrum Lotharingiæ eſt ſuper Mozam fluvium ſitum, PHILIPPUS Rex Franciæ miſit illuc filium ſuum LUDOVICUM, ut hinc inde mutuam confœderationem inirent, ſicut fuerat inter eorum prædeceſſores antiquitus conſtituta. PHILIPPUS Rex Francorum Pariſius urbem ampliavit à parvo ponte uſque ultra Abbatiam Regularium Canonicorum ſanctæ GENOVEFÆ, hortos & campos à dextris & à ſiniſtris in circuitu muris fortiſſimis præcingens. Rex quidam Sarracenorum nomine MIRAMOLINUS fines Hiſpaniæ cum magno exercitu ingreſſus, Regi Caſtellæ & Chriſtianis in ſuperbia loquens bellum intulit, qui pugnantes contra eum, & habentes in auxilium Reges illuſtres Arragoniæ & Navarræ, in fide & in nomine Chriſti vicerunt eos cum adjutorio Dei & quorumdam Militum Francorum. In illo verò prælio non ceciderunt de Chriſtianis niſi triginta homines, de Sarracenis autem centum milia ſunt proſtrati. In cujus ſignum victoriæ Rex Arragonum miſit Romam vexillum &

Lanceam Miramolini, quæ uſque adhuc in beati PETRI baſilica reſervantur.

De Regno Francorum iterum fit grandis profectio adverſus hæreticos Albigenſes, qui adunati inſimul Lavallum caſtrum obſident & hoſtes fidei fortiter impetunt & coarctant; ſed interim dum in hac obſidione morantur, eorum quædam caterva permaxima juxta caſtrum quod Mons-gaudij dicitur incautè tranſiens ab hoſtibus intercepta detruncatur, ad quorum meritum declarandum lux cæleſtis emicuit, & globum igneum ſuper corpora proſtratorum cælitus deſcendere multi viderunt. Tunc Epiſcopi & Abbates illuc convenientes cimiterium ibidem dedicaverunt, in quo ſepelierunt corpora defunctorum. Pòſt Lavallum capitur, & Penes in Agenenſi caſtrum aliud inexpugnabile pòſt obſeſſum in deditionem venit. Milites verò ſeptuaginta quatuor in caſtro reperti nolentes errorem relinquere ſuſpendio perimuntur; deinde rogus extruitur, & cunctis aliis datur optio, aut ab errore reſipiſcere aut incendio deperire, qui cohortantes ſe mutuò rogum intrant, & malunt comburi quàm deſerere pravam ſectam. Domina caſtri Girauda, quæ de fratre & filio ſe concepiſſe dixit, in puteum projicitur, & aceruus lapidum ſuper eam protinus cumulatur. Apud Lemovicas matrona quædam nobilis moritur, & ſudario involuta ſervatur; ſed dum præparantur exequiæ, ſubitò reſurgens de morte dixit beatam Mariam Magdalenam ſibi labia tetigiſſe, & ſtatim ſe ſpiritum reſumpſiſſe : in feſto ejuſdem Magdalenæ Viziliacum venit cum ſudario & multis teſtibus ſuæ mortis.

In Hiſpania quidam Presbyter nocte Nativitatis Dominicæ cum quadam muliere concumbens, dum primam Miſſam nec contritus nec confeſſus cantare præſumpſiſſet, & peracto Sacramento orationem Dominicam decantaſſet, ſubitò columba cum impetu advolans, roſtro miſſo in calice, totum abſorbuit, & hoſtiam de manu Sacerdotis arripiens evolavit, &

ficut Presbytero in prima Miffa contigit, accidit in fecunda. Tunc timens & ad cor rediens, contritus & confeffus, & acceptâ pœnitentiâ, Miffam tertiam inchoavit: poft orationem verò Dominicam columba roftro miffo, ficut priùs, in calice quidquid inde haufrat evomuit, & evolans duas hoftias ad pedem calicis collocavit.

FERRANDUS ex Hifpania filius Regis Portugalenfis accepit in uxorem JOHANNAM Flandriæ Comitiffam filiam BALDUINI Comitis, qui fuit, ficut fuperiùs dictum eft, Conftantinopolitanus Imperator, hoc apud Regem Franciæ Regina Portugalenfis Ferrandi matertera, quæ fuit quondam uxor Philippi Comitis Flandriæ, fallaciter procuraverat.

FREDERICUS. MCCXII.

REGINALDUS de Donno-Martino Comes Boloniæ fupra mare, cùm propter Ecclefias quas deprimebat, & viduas & orphanos quos depauperabat, effet excommunicatus, tandem quærens fibi fimiles, ad excommunicatos fe transftulit. Nam confœderatus eft OTHONI Imperatori & JOHANNI Anglorum Regi; propter quod PHILIPPUS Rex Franciæ eidem Comitatus Boloniæ, Moretonij, Donni-Martini, & Albæ-mallæ, quos tam dono Regis quàm potentiâ dictus Reginaldus Comes poffederat, abripuit, & omnia illis Comitatibus appendentia occupavit; & fic Comes Reginaldus à toto Regno Franciæ repulfus ad Comitem Barri confanguineum fuum acceffit.

Eodem tempore cognitum eft quòd REMUNDUS Comes Tholofanus foveret hæreticos Albigenfes, & ideò cunctis ad diripiendum à noftris eft expofitus, & tamquam refuga Fidei ac publicus hoftis Ecclefiæ judicatus. Nivernis Cathedralis Ecclefia conflagratur.

PHILIPPUS Rex Franciæ Prælatis & Baronibus Regni fui Sueffionis convocatis, dedit ibidem MARIAM filiam fuam relictam PHILIPPI Comitis Namurfij Duci Brabantiæ in uxorem. Fuit etiam ibi-

dem de transfretando in Angliam consentientibus Baronibus ordinatum; causa verò quæ Regem movebat, hæc erat, ut Episcopos Angliæ in Regno Franciæ exulantes Ecclesiis suis restitueret, ibíque divinum officium quod jam per septennium in tota cessaverat Anglia renovari faceret, & ut Regem ipsum JOHANNEM qui nepotem suum Arturum Comitem Britanniæ occiderat, qui etiam plurimos parvulos obsides suspenderat, & innumera flagitia perpetraverat, vel pœnæ condignæ subjiceret, vel à Regno prorsus expellens secundùm interpretationem sui nominis sine terra efficeretur. Solus FERRANDUS Comes Flandriæ Regi Philippo Franciæ suum denegavit auxilium, quia Johanni Regi Angliæ mediante Reginaldo Comite Boloniensi confœderatus est. Philippus Rex Franciæ mimos à curia sua expulit, dans exemplum aliis.

MCCXIII.

PHILIPPUS Rex Franciæ Ingeburgem Reginam uxorem suam, quam jam per annos sexdecim & ampliùs dissenserat *, & apud Stampas in castro fecerat custodiri, in gratiam recepit, ex quo Francorum populus plurimùm exultavit. Navigio Philippi Regis Franciæ ad eundum in Angliam præparato, venit ipse Rex cum magno exercitu Boloniam supra mare, & ibi per dies aliquot naves hominésque suos hinc & inde venientes expectans, transivit usque Gravaringas villam in finibus Flandriæ sitam, ad quam tota classis ejus secuta est eum; ibi enim ex condicto FERRANDUS Comes Flandrensis expectatus nec venit, nec in aliquo satisfecit, licet ad ipsius petitionem ille dies ad satisfactionem eidem assignatus fuisset: propter quod Rex dimisso proposito transeundi in Angliam, terram Flandriæ invasit, Casellum cepit & Ypram, & totam terram usque Brugas; facta etiam voluntate sua de Brugis profectus est Gandauum, relictis paucis militibus & satellitibus ad custodiam navium quæ secutæ

* dereliquerat.

fuerant eum per mare uſque ad portum prope Brugas, nomine Dam. Propoſitum enim Regis erat acquiſito Gandavo in Angliam transfretare; ſed dum eſſet in obſidione Gandavi, REGINALDUS Comes Boloniæ, qui pro delictis ſuis à facie Regis Francorum fugiens tunc cum Rege Angliæ morabatur, & quidam alij miſſi latenter per æquora ex parte Regis Angliæ, magnam partem navium Regis Franciæ occupaverunt, & portum Dam ac villam celeriter obſederunt. Quo Rex cognito, obſidione Gandavi dimiſſa, ad Dam reverſus obſidionem ſolvit, & illos fugere compulit, multis tamen ſuorum occiſis, ſubverſis atque captis, cum maxima parte navium ſuarum perdita. Reſiduas autem naves victualibus & rebus aliis evacuari præcipiens, immiſſo ignè ipſas, & villam, ac totam in circuitu regionem incendio conſumpſit; & receptis obſidibus de Gandavo, Ypra, Brugis, & Inſula ac Duaco in Franciam remeavit. JOHANNES Rex Angliæ ſe cognoſcens multis exoſum, vidénſque quòd eſſet in periculum honoris ſui, timuit timore magno: & volens placare plures quos læſerat, primò placavit Papam muneribus, ſubjectos ſuos manſuetudine, Prælatos & Archiepiſcopum STEPHANUM Cantuarienſem quem exulaverat indulgentiâ revertendi, abſolutionem verò à Papa obtinens tradidit eidem Regnum ſuum in feodum, mille marchas in recognitionem ſingulis annis ſoluturus, ſeptingentas ex Anglia & trecentas ex Hybernia. SIMON de Monteforti, qui contra Albigenſes hæreticos apud Carcaſſonam relictus fuerat in caſtro quod Murellum dicitur non longè à Tholoſa, à Comite Tholoſano REMUNDO, qui hæreticos fovebat, & Rege Arragonum, qui in auxilio ejus convenerat, atque à Comite Fuxi obſeſſus, mirabile prælium perpetravit; nam cùm non haberet niſi ducentos & ſexaginta milites, & quingentos ſatellites, equites, & peregrinos, pedites verò ſeptingentos inermes, auditâ Miſſâ de Spiritu ſancto, & ejus gratiâ invocatâ, de caſtro exeuntes cum

cum eis pugnaverunt, & virtute divina freti ſeptemdecim millia hoſtium & Regem Arragoniæ occiderunt; porro de numero Simonis nonniſi octo die illo ceciderunt. Hic SIMON cùm eſſet in bellis ſtrenuiſſimus & multùm occupatus, tamen quotidie Miſſam & omnes horas canonicas audiebat.

JOHANNES Rex Angliæ apud Rochellam applicuit cum multitudine armatorum, contra quem PHILIPPUS Rex Francorum LUDOVICUM filium ſuum miſit; ipſe enim Rex collectis viribus ire adverſùs Ferrandum in Flandrias diſponebat. GAUFRIDUS Silvanectenſis Epiſcopus renuncians Epiſcopatui apud Abbatiam Caroli-loci ſe tranſtulit; cui ſucceſſit frater GARINUS Hoſpitalis Jeroſolymitani profeſſus, Philippi Regis Franciæ ſpecialis Conſiliarius. Similiter GAUFRIDUS Meldenſis Epiſcopus Epiſcopatui renunciavit, & in Monaſterio ſancti VICTORIS Pariſius divinæ contemplationi ſe arctiùs mancipavit; cui ſucceſſit GUILLERMUS Cantor Pariſienſis.

MCCXIV.

JOHANNES Rex Angliæ Comiti Marchiæ & ceteris Proceribus Aquitaniæ reconciliatus, urbem Andegavim cepit, mitténſque curſores ſuos cum turba militum ultra Ligerim, juxta Nannetum ceperunt Robertum Comitis Drocarum primogenitum, qui in auxilium LUDOVICI, PHILIPPI Regis Franciæ primogeniti veniebat; qui tantis ſucceſſibus elatus præſumens reſiduum terræ amiſſæ recuperare, caſtrum quod Rupes-Monachi dicitur tranſito Ligeri fluvio obſedit, quo audito Ludovicus Philippi Regis Franciæ filius qui tunc apud Quinonem in Turonia morabatur, obſeſſos ſuccurrere properavit. Cúmque jam per unam tantùm dietam à loco diſtaret Francorum exercitus, Johannes Rex Angliæ ſibi timens relictis papilionibus & belli utenſilibus, atque urbe Andegavi, Ligeri tranſito revertitur in Aquitaniam, ſicut Eſau vagus & profugus omnia derelinquens: Ludo-

vicus verò urbem Andegavim recuperans, muros ejus quos Johannes reparaverat, deſtruxit.

PHILIPPUS Rex Francorum eodem tempore quo ejus filius Ludovicus contra Regem Angliæ in Pictavia decertabat, in terram FERRANDI Comitis Flandriarum hoſtiliter intraverat, & uſque ad Inſulam omnia devaſtabat. In redditu verò ejus ab Inſula, OTHO Romanorum Imperator depoſitus, Regis Angliæ nepos, qui apud Valentianas in auxilium Ferrandi Comitis Flandriarum advenerat, cùm non diſtaret à Rege niſi per quinque miliaria, de Moretania juxta Tornacum movit exercitum prope pontem Bovinarum, ut in * retrogardam Regis Francorum inſultum improviſum faceret. Cúmque Rex Franciæ Othonem venientem cum exercitu cognoviſſet, juſſit acies ſuas ſtare; & poſtmodùm videns quòd hoſtes caſu divino territi non venirent, juſſit iterum acies præparare, & cùm jam fere medietas ſui exercitus pontem Bovinarum tranſiſſet, & ipſe Rex prope pontem proborum virorum vallatus multitudine poſt ſuum exercitum jam veniſſet, hoſtes protinus quaſi ſtupore quodam & horrore perculſi diverterunt à latere exercitus verſùs Septentrionem, ſolem qui die illo ferventiùs incaluerat præ oculis jam habentes: quod Rex Francorum percipiens, tubis ſonitis & armis aſſumptis acies ſuas quæ præceſſerant revocavit, & eas de tuenda diligenter corona Franciæ commonens, protinus in hoſtes ſe immerſit. Quid plura? fere per ſpatium unius diei invicem pugnaverunt, & ad terram proſtratus diúque jacuit, tamen equo recuperato, & Dei fretus auxilio hoſtes undique ſuperavit. OTHO verò Imperator, Dux Lovaniæ, Comes de Limburgo, HUGO DE BOVES, & multi alij terga vertentes fugæ præſidio ſe ſalvarunt, ſigna Imperialia relinquentes. Comes autem Flandriarum FERRANDUS, REGINALDUS Comes Boloniæ & GUILLERMUS Comes Saliſberienſis & frater ejus, duóque Comites Alemanniæ, & multi magni

Gal. * a-riergarde.

nominis tam Barones quàm alij capiuntur; multi tamen ex parte Othonis, pauci de parte Regis Franciæ perierunt. Et ſicut illi qui capti fuerant aïebant, numerus militum Othonis mile quingentorum, & aliorum bene armatorum centum quinquaginta milia, præter vulgus, & infra diem tertium habituri erant milites quingentos & pedites infinitos; ſed miſericors Deus in Rege Franciæ & ſuis canticum Moyſi adimplevit; nam perſequebatur unus ſuorum mile, & duo fugabant decem milia. Rex autem Franciæ perfecto negotio, captíſque hoſtibus per caſtella ſua illos miſit ſub arcta cuſtodia, & Pariſius ſecum adducto Ferrando reverſus, à Clero & populo cum gaudio lacrymabili, & inauditis laudibus eſt exceptus.

Pictavenſes auditâ famâ victoriæ Regis Francorum PHILIPPI multùm perterriti miſſis legationibus elaboraverunt ipſimet reconciliari; Rex verò eorum perfidiam multotiens expertus non acquievit, ſed collecto exercitu in Pictavia, ubi prope erat JOHANNES Rex Angliæ, acceſſit; quod agnoſcens Vice-comes Thoarcij tantum fecit per Comitem Britanniæ, cujus uxor ejuſdem Vice-comitis neptis erat, quòd in amicitiam Regis Franciæ receptus eſt. Sed & ipſe Rex Anglorum cùm ſeptemdecim miliaribus ab illo diſtaret, nec haberet quò fugeret, nec ut in apertum pugnaret procedere auderet; miſſo Comite Ceſtriæ RENULFO cum ROBERTO Legato Sedis Apoſtolicæ de induciis tractari fecit, cui Rex Philippus quinquennes inducias ex ſolita benignitate conceſſit, & Pariſius remeavit.

MCCXV.

Propter victoriam OTHONI Imperatori apud Bovinas à Domino denegatam, in tantum defecerunt ab ejus auxilio viri multi, quòd fortunæ cedens & ab infortunio non diſcedens, in patrimonio ſuo, ſcilicet in Saxonia degeret Imperio denudatus, necnon & ſociorum ſuorum ſolatio deſolatus; qui tandem

morbo diſſinteriæ laborans, convocatis Epiſcopis alióque Clero cum lacrymis abſolutionem petiit, petitámque accipiens, non diu poſtea vixit. FREDERICUS Rex Siciliæ, qui juſſu INNOCENTII Papæ apud Maguntiam in Regem Romanorum coronatus fuerat, audito quòd Otho à partibus Flandriarum ſine victoria in patriam ſuam remeaſſet, à partibus Suaviæ ubi tunc morabatur movit exercitum, & Aquiſgrani perveniens obſedit villam & expugnavit, ibíque octavo Kalendas Auguſti in Regem Romanorum iterum ſublimatus eſt; móxque ne de honore percepto Deo ingratus exiſteret, ſignum Crucis Dominicæ aſſumpſit in terræ ſanctæ ſubſidium cum aliis profecturus.

Quidam Proceres Regni Angliæ contra Regem ſuum Johannem inſurgunt propter quaſdam conſuetudines quas obſervari præceperat, ſed nolebat eas, ſicut juraverat, obſervare; favit verò Magnatibus plebs pedeſtris, manus ſcilicet ruſticana, & plurimæ civitates. Qui timentes tamen ne poſſent ei uſque in finem reſiſtere, LUDOVICUM Regis Francorum primogenitum de ferendo ſibi auxilio per internuntios convenerunt, promittentes eidem, expulſo Rege ſuo, totius Angliæ Monarchiam; qui acceptis obſidibus ab eiſdem, ipſis militum multitudinem deſtinavit. Menſe Septembri paſſi ſunt naufragium & ſubmerſi viri nobiles tam Brabantij, quàm Flandrenſes volentes tranſire in Angliam in auxilium Regis, qui profuſa ſtipendia venientibus in ſuum auxilium promittebat: ſuper quo lætati Regis adverſarij, ad rebellandum vehementiùs ſunt animati, aſſerentes quòd manifeſtè in omnibus eſſet manus Domini contra Regem.

Menſe Novembri INNOCENTIUS Papa Generale Concilium, quod Lateranenſe dicitur, Romæ celebravit, in quo fuerunt Epiſcopi quadringinti & duodecim, inter quos Patriarchæ duo affuerunt, Conſtantinopolitanus & Jeroſolymitanus: Antiochenus

verò gravi morbo detentus venire non potuit, sed misit pro se Episcopum Antaradensem; Alexandrinus etiam sub Sarracenorum dominio constitutus fecit quod potuit, mittens pro se Diaconum germanum suum. Primates autem, Metropolitæ septuaginta unum, Abbates & Priores Conventuales ultra octingentos; Legatorum verò Imperatoris Romanorum, Imperatoris Græcorum, Regis Francorum, Regis Jerusalem, Regis Angliæ, Regis Cypriæ, Regis Hispaniæ aliorúmque Regum & Principum ingens adfuit multitudo. Ibique sancta Synodus multa utilia constituit, multáque constituta à retroactis temporibus confirmavit. REMUNDUS autem Comes Tholosanus & REMUNDUS filius ejus tamquam hæretici condemnantur, multíque alij hæretici & fautores eorum gladio anathematis feriuntur. Libellus verò vel tractatus de Trinitate quem Abbas JOACHIM contra Magistrum PETRUM Lombardum edidit, reprobatur; & perversum AMORRICI dogma tamquam impium & hæreticum condemnatur.

Eodem tempore cùm quidam faterentur DIONYSIUM Areopagitam fuisse Dionysium Corinthiorum Episcopum & in Græcia passum Martyrium atque sepultum, aliúmque Dionysium extitisse qui fidem Christianam apud Parisius in Gallia prædicavit; alij verò assererent illum post mortem Apostolorum Petri & Pauli venisse Romam, & à sancto Clemente Papa Petri Apostoli successore in Gallias destinatum fuisse; INNOCENTIUS Papa neutri volens præjudiciare sententiæ, sed cupiens Ecclesiam sancti Dionysij in Francia honorare, corpus sancti Dionisij Corinthiorum Episcopi & Confessoris, quod quidam Cardinalis Legatus in Græciam * Romæ detulerat, apud sanctum Dionysium prædictum in Francia per Monachos illius Monasterij missos ad Concilium destinavit, & ad sacras hujus sancti reliquias accedentibus omnibus verè pœnitentibus & confessis quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis relaxavit.

* è Græcia Romam.

MCCXVI.

SYMON de Monte-forti, qui apud Carcaſſonam contra Albigenſes hæreticos relictus à Francis fuerat, venit in Franciam adverſùs Arragones auxilium petiturus, à quibus propter necem PETRI Arragonum Regis aſſultus aſſiduos ſuſtinebat; qui infra paucos dies centum viginti Milites colligens de Francia revertens ſecum duxit. GALO ſancti MARINI Presbyter Cardinalis Legatus in Franciam diligenter monuit LUDOVICUM PHILIPPI Regis Franciæ primogenitum, ut à propoſito tranſeundi in Angliam contra JOHANNEM Regem Angliæ deſiſteret, patrémque ſuum Philippum Regem ut filio tranſitum diſſuaderet monens; conſimiliter denunciavit ei ſententiam excommunicationis quæ à Papa lata fuerat in omnes Regi Angliæ adverſantes. Cúmque nihil proficeret, navigavit in Angliam compoſiturus pacem ſi poſſet inter Regem & Proceres Anglicanos; ſed interim Ludovicus filius Regis Franciæ navigio præparato tranſiit in Angliam, & ab iis qui eum advocaverant jocundè & reverenter ſuſceptus homagia eorumdem recepit: ſed GALO Cardinalis pugnans pro Rege Angliæ, ſpirituali gladio ſancti Petri terras eorum qui Ludovico adhæſerant, interdicto ſuppoſuit, & perſonas ipſas vinculo anathematis innodavit.

Tertio Idus Junij HENRICUS Conſtantinopolis Imperator apud Theſſalonicam obiit anno Imperij ſui decimo; poſt cujus deceſſum PETRUM de Cortenayo Autiſſiodorenſem Comitem Philippi Regis Franciæ conſanguineum, & Henrici defuncti Imperatoris ſororium in Imperatorem Græcorum Franci & Latini communiter elegerunt, & ad eum quærendum in Franciam ſolemnes nuncios deſtinaverunt; quibus ſuſceptis electioni aſſentiens cum uxore YOLE Comitiſſa Namurcij venit Romam, duobus filiis quos de ipſa habebat Namurcio derelictis. INNOCENTIO

Papa defuncto Romanæ Ecclesiæ centesimus octogesimus primus HONORIUS tertius natione Romanus præsidet. JOHANNES Rex Angliæ moritur, cui successit HENRICUS filius ejus puer decennis à Galone Legato Romanæ Ecclesiæ in Regem coronatus. Quo facto LUDOVICUS filius Regis Franciæ de Anglis confidens obsides quos ab eis receperat liberavit, & dimisso exercitu, ut alium majorem congregaret in Franciam reversus est.

MCCXVII. PETRUS, HENRICUS.

LUDOVICUS Philippi Regis Franciæ filius congregata post Pascha equestri pedestríque multitudine, in Angliam remeavit, ægrè ferens quòd quidam ex nobilioribus Angliæ in absentia sua eum spretis juramentis reliquerant, & in partem transierant novi Regis. Qui dum Doveram obsedisset, THOMAS Comes Partici qui in auxilium ejus convenerat, apud Lincolniam dolo Anglicorum occisus est; quo audito Ludovicus proditionem percipiens Anglicorum & infidelitatem, incensis machinis suis, se & sua Londoniam contulit. Et postea videns dolos Baronum Angliæ, ac persecutionem totius Regni, & impeditionem portuum propter seipsum, sed & intentionem GALONIS Sedis Apostolicæ Legati, qui totis nisibus procurabat impedimentum suimet & suorum, timens quòd si Londoniam exiret cum Anglis pugnaturus, portæ sibi clauderentur revertenti, facta compositione rediit in Franciam; qui utique mirabilem habuisset victoriam, si fidelitatem debitam invenisset.

HONORIUS Papa PETRUM Autissiodorensem Comitem, & YOLEM ejus uxorem Comitissam Namurcij sororem HENRICI Imperatoris Græcorum defuncti, ad Imperium Constantinopolitanum Romæ in Ecclesia sancti LAURENTII extra muros consecravit, ne jus in Romano Imperio habere viderentur. Qui nono die consecrationis suæ ab urbe cum uxore recedens, eam quia prægnans erat per

mare apud Constantinopolim transmisit, & cum centum sexaginta militibus & multis aliis ad pugnam præparatis, per terram gradiens JOHANNI de Columna Presbytero Cardinali, qui in Romania & Venetia Legatus missus fuerat, apud Brundusium obviavit; cui se Cardinalis ad transeundum in Græciam socians, mari transito statim obsedit urbem Dyrrachium Imperator. Promiserat enim Venetis & inde litteras confecerat, quòd dictam urbem, quam sibi olim violentiâ Ducis ablatam dicebant, eisdem protinus resignaret, si sibi à Domino capiendi eam copia præstaretur. Cùm verò dies multos in hac obsidione inutiliter consumpsisset non sine suorum maximo detrimento, obsidionem deserere compulsus est. Dúmque iret apud Constantinopolim & fuisset inter montes nemorosos & fluvios ubi erat via difficilis ad transeundum, proditionaliter à THEODORO Duce Dyrrachij, qui securum eidem conductum promiserat, capitur cum suo comitatu.

Uxor illustris SIMONIS de Monte-forti venit in Franciam, contra Albigenses hæreticos auxilium petitura; ita enim arctaverat virum suum Comes Tholosanus & Arragones, quòd perditis quibusdam castellis, vix spem haberet de reliquis retinendis, nisi succursus sibi celeriter præstaretur. Eodem anno fuit ventus vehementissimus, qui domos multas & Ecclesias evertit, & evulsit arbores infinitas.

MCCXVIII.

SIMON de Monte-forti Comes à Francia succursu recepto Tholosam obsedit, sed dum assultus fierent ictu petrariæ percussus obiit. Vir utique eleganti forma, fide & armis strenuus, & perpeti laude dignus; cui successit in Comitatu suo & terra Albigensium GUIDO * filius ejus. Sanctus GUILLERMUS Bituricensis Archiepiscopus à Papa Honorio canonizatur, ejúsque successor GIRANDUS moritur, cui successit SIMON Cantor Bituricensis. HUGO Dux Burgundiæ

* *Amalricus ex aliis, omisso isto.*

Burgundiæ moritur & apud Cistercium sepelitur. GALTERUS Abbas Pontigniaci fit Carnotensis Episcopus. Mense Octobri vineæ & arbores ita gelu non modico sunt exustæ, quòd exustionem hujusmodi se nemo vidisse assereret vel audisse.

HENRICUS Nivernensis Comes, & GALTERUS Regis Franciæ Camerarius, ac multi tam Barones quàm Episcopi, Milites & plebani Cruce signati, mari transito circa Festum Apostolorum Simonis & Judæ applicant Damietam, ubi Johannes Rex Jerusalem & Dux Austriæ ad hanc singulariter oppugnandam cum valido exercitu mense Maïo accesserant, ceteris Sarracenorum urbibus prætermissis; dicebant enim quòd si dicta civitas capi posset, de facili terra sancta poterat à Gentilibus emundari, Deo autem favente res eo usque devenerat, quòd nostri cum labore nimio & strage multorum expugnaverant quamdam turrim in alveolo fluminis Nili sitam, & ad sui præsidium sufficienter necessariis præmunitam. Porro quia multi de populo Christiano peribant, Clerici processionibus factis, in pane & aqua quatriduanum jejunium omnibus indixerunt. Nam in vigilia sancti Andreæ Apostoli intumuerant fluctus maris crescentes, & excursus facientes usque ad castra Fidelium, & ex alia parte incautos inundans Nili fluvius occupavit, unde navium & victualium damna non modica pertulerunt; duravit autem tempestas ista assidua per tres dies: invasit præterea dolor repentinus quorumdam pedes & crura, & caro corrupta gingivas in dentes obduxit, potentiam auferens masticandi; quorum plurimi dolore morientes, & reliqui usque ad tempus vernale durantes, caloris tamen beneficio incolumes evaserunt. Sanè in festo beatæ Agathæ Virginis Pater misericordiarum & Deus totius consolationis, suis in obsidione Damietæ positis conferre dignatus est victoriam gloriosam; nam cùm quidam Christianorum fluvium Nili transissent causa undique obsidendi civitatem, Soldanus Babyloniæ & sui qui cum multo

exercitu super ripam fluvij tentoria sua fixerant, divino terrore perterriti ante lucis auroram in fugam versi sunt tentoria sua relinquentes, quod nostri perpendentes statim transeunt flumen Nili, castra fugientium occupantes, ubi spolia reperiunt infinita, & sic in crastino per gyrum à nostris obsessa fuit Damieta.

PHILIPPUS Rex Franciæ fecit constitutionem generalem per Regnum suum de Judæis suis, ut nullus in vadium recipiat Ecclesiæ ornamenta. Item ut Judæus non tradat mutuò pecuniam Religioso sine assensu Abbatis sui & Capituli. Item ut nullus Christianorum vendere compellatur hereditatem vel redditus suos propter debita Judæorum, immo duæ partes hereditatis seu reddituum debitoris & plegij assignentur Judæo, ac deinceps non currat debitum, & ut debitum non currat ultra annum à mutuo facto. Item ut libra non lucretur nisi duos nummos in qualibet septimana, & ut propter hoc non capiatur corpus debitoris.

Jerusalem quæ inexpugnabiliter munita videbatur, destructa est à CONRADINO filio SAPHADINI: Muri enim cum turribus in acervos lapidum redacti sunt, præter templum Domini & turrim David. De sepulcro autem Domini destruendo consilium habuerunt Sarraceni, & hoc per litteras civibus Damietæ ad eorum solatium significaverunt, sed huic temeritati nemo manus apponere præsumpsit. Sicut enim in Alchorano libro legis eorum scriptum habent; JESUM CHRISTUM Dominum nostrum credunt de Virgine MARIA conceptum & natum, ac sine peccato vixisse Prophetam & plusquam Prophetam, protestantes cæcos illuminasse, leprosos mundasse, mortuos suscitasse & ad cælos asseverant firmiter ascendisse. Unde in tempora treugarum sapientes eorum Jerosolymam ascendentes, codices Evangeliorum sibi exhiberi postulabant, & osculabantur & venerabantur propter munditiam sanctæ legis quam CHRISTUS docuit, & maximè propter Evangelia

Lucæ ſcilicet : *Miſſus eſt Gabriel* : quod litterati inter ipſos ſæpiùs repetunt & retractant.

MCCXIX.

LUDOVICUS filius PHILIPPI Regis Franciæ poſt mortem SIMONIS de Mõnte-forti apud Tholoſam ictu petrariæ obruti, cum copioſo exercitu Cruce ſignatorum de cunctis Galliæ partibus iter movit adverſus hæreticos Albigenſes & Tholoſanos. Primum caſtrum, quod Mirmanda dicitur, ab hæreticis munitum obſidet & expugnat, quo facto Tholoſam adiit & obſidet, diúque expugnat, ſed ſicut dicitur, proditione aliquorum Nobilium partis ſuæ interveniente redire inefficax eſt compulſus; poſt cujus reditum noſtri qui remanſerant à Tholoſanis hæreticis ſolito audacioribus factis multas moleſtias ſuſtinuerunt, nonnulli caſtra dimittentes, quæ proditione quorumdam in ſuam redegerunt hæretici poteſtatem.

Noſtri in obſidione Damietæ poſiti, per ingeniorum erectionem & lapidum fulminationem, necnon per terram & aquam frequentes aſſultus facientes, tota æſtate captioni civitatis operam impendebant : ſed Sarraceni eos bellis ordinatis impugnantes fortiter à propoſito ipſorum, quod aliquando videbatur eſſe proximum effectui, revocabant. In feſto verò Decollationis ſancti Johannis Baptiſtæ contra Soldanum ad pugnandum ſuperbè & inordinatè prodeuntes, cùm in fortitudine ſua non in Domino confiderent, cadunt & pereunt multi, non tamen ſine damno militiæ Paganorum. Capti fuerunt de noſtris viri nobiles MILO de Nantolio electus Belvacenſis, Vice-comes de ſancta Suzanna, GALTERUS Regis Franciæ Camerarius, & quidam alij Francigenæ potentes titulo militiæ glorioſi. Illo die JOHANNES Rex Jeruſalem viriliter ſe habens igne Græco fere combuſtus fuit, ſed pius & miſericors Deus ſuum Militem conſervavit, & aliorum noſtrorum ſuper-

biam sic oppressit. Circa verò Festum Omnium Sanctorum cùm quidam de nostris ad quamdam portam urbis missi fuissent de nocte ut statum inclusorum explorarent, cùm intus neminem vigilem percepissent, scalis appositis muros ascendunt, portas aperiunt, paucos resistentes capiunt & occidunt. Sic igitur Nonis Novembris capta est à nostris Damieta, absque deditione vel oppugnatione aut violenta deprædatione, in oculis Soldani Babylonis, qui divino terrore territus non est ausus more solito CHRISTI milites aggredi, ut soli Deo victoria adscribatur. Cùm verò nostri timerent intrare civitatem propter circumstantem exercitum Paganorum ne castra eorum invaderent, divino nutu fluvius Nili adeo inundavit, quòd inaccessibilia castra ipsorum redderet, ostendens manifestè Deus quòd pro Christicolis contra insensatos ipsa se elementa opponerent & pugnarent: quod percipiens Soldanus castra sua combussit fugiens timidus & confusus; nostri verò ingredientes civitatem invenerunt plateas stratas cadaveribus mortuorum pestilentia & fame deficientium. Dominus enim evaginaverat gladium suum super eos, & in tantum interfecerat manus ejus, quòd à tempore obsidionis urbis infra viginti menses perierunt in civitate septuaginta millia Paganorum, exceptis tribus millibus qui vivi sunt reperti. Inventa autem sunt in civitate victualia multa, aurum, argentum, panni serici, lapides pretiosi, & aliæ divitiæ infinitæ. De quibus omnibus & de civitate similiter facta est divisio, & datum est unicuique secundùm quod eum decebat juxta providentiam discretorum, ad hoc de communi consilio electorum; dominium verò civitatis datum est JOHANNI Regi Jerusalem ad augmentum Regni Jerosolymorum in perpetuum possidendum. Purgata denique civitate Legatus Apostolicæ Sedis PELAGIUS cum Clero & populo, accensis candelis & luminaribus, cum hymnis & canticis in die Purificationis beatæ MARIÆ processionaliter ingressus urbem de Mahu-

meria, quam priùs purgari fecerat, basilicam in honore beatæ Dei Genitricis Virginis MARIÆ consecravit, & Episcopalem sedem in ea constituens, ibidem Missarum solemnia cum lacrymis & magna devotione populi celebravit. Civitas hæc præter naturalem situm loci quo muniebatur, triplici cincta erat muro, turribus latericiis multis & magnis fortissimè firmata, clavis & antemurale totius Egyptiæ regionis olim Heliopoleos dicta.

MCCXX.

FREDERICUS Romanorum & Siciliæ Rex ab HONORIO Papa ad Imperij dignitatem coronatur. ROBERTUS de Meduno Aniciensis Episcopus à quodam Milite occiditur, quem excommunicaverat pro injuriis Ecclesiæ irrogatis; quod populus Aniciensis grave ferens in parentes ipsius Militis graviter insurrexit, castella & domos eorum funditus evertens, & ipsos perpetuo exilio condemnavit.

YOLES Imperatrix Constantinopolis relicto BALDUINO admodùm parvulo obiit; & quia PETRUS Imperator maritus ejus adhuc in carcere tenebatur, Franci & Latini qui in Græcia morabantur, per solemnes nuncios filium ejus Comitem Namurcij ad imperandum Græciæ convocaverunt; qui honorem sibi debitum & oblatum respuens, HENRICUM fratrem suum juniorem se eisdem in Græciam destinavit, quem gratanter suscipientes Imperiali diademate & honore sublimaverunt. Mense Julio corpus beati THOMÆ Martyris à STEPHANO Cantuariensi Archiepiscopo in theca aurea lapidibus pretiosis ornata, & opere mirabili cælata diligentissimè collocatur. PETRUS Parisiensis Episcopus apud Damietam obiit, post cujus obitum cùm Parisienses Canonici in electione discordassent, GUILLERMUS Autissiodorensis Episcopus jussu HONORII Papæ ad Parisiensem Cathedram translatus est.

GUIDO filius SIMONIS de Monte-forti, qui

patri defuncto in terra Albigensium successerat, à Comite sancti Ægidij ignominiose occiditur; cujus mors omnes Catholicos in partibus illis commorantes inconsolabiliter contristavit. Quo audito Almaricus frater ejus tactus dolore cordis intrinsecus promisit se ab obsidione cujusdam castri, quod frater ejus obsederat, non recessurum donec illud vi, vel deditione in suam redigeret potestatem, sed postea suorum auxilio destitutus ab illo castro, infecto negotio, remeavit : quo recedente in tantum eum tristia auspicia prosequuntur, quòd fere omnia castra quæ priùs tenuerat hæreticorum dominio subderentur.

Non minore miraculo, immo majori donavit Dominus Christianis apud Damietam congregatis Thanis civitatem Ægypti, sicut fecerat Damietam; nam nostri habito diligenti consilio miserunt in festo sancti Clementis exploratores per Nilum fluvium in navibus usque Thaneos, ut de casalibus propè sibi tollerent victualia, & statum prædictæ urbis diligenter explorarent; qui prope civitatem accedentes, cùm nullos in muris vel turribus defensores conspicerent, statim in ipsam irruperunt, sed eam vacuam invenerunt. Habitatores autem illius audita captione Damietæ nimio pavore territi fugerant, putantes totum exercitum Christianorum advenire; & sic posuit Dominus in Ægypto in illo tempore signa sua. Sed tunc Diabolo instigante, orta fuit dissensio inter Johannem Regem Jerusalem & Pelagium Romanæ Ecclesiæ Cardinalem. Ipse enim Legatus Pelagius usurpabat dominium exercitus universi, ad hoc ut dicebatur laborans, ut quidquid fiebat vel factum jam fuerat per ipsum effici videretur, & ob hoc Johannes Rex à Damieta discedens in Syriam est profectus.

Henricus. MCCXXI.

Tartari Georgiam & Armeniam majorem intrantes eas vastaverunt, & suo dominio subjecerunt. Apud Damietam videns Pelagius Sedis Apostoli-

cæ Legatus populum Dei innumerabilem nihil diu proficere propter JOHANNIS Regis absentiam, per suas litteras deprecatus est eum, ut compatiendo Christianitati apud Damietam quamcitiùs posset reverteretur; cujus precibus Rex libenti animo acquiescens protinus remeavit, & de voluntate ipsius Legati atque consilio, ipse Rex & Legatus cum magna multitudine partis exercitus in Festo Apostolorum Petri & Pauli accincti armis bellicis & victualia secum usque ad duos menses deferentes exeunt de Damieta, per terram & aquam versùs Babylonem profecturi. Qui cùm venissent ad quemdam locum distantem à Babylone per viginti quatuor stadia, & totidem à Damieta, ubi Nilus fluvius tripertitus tria magna flumina de se facit, quemdam pontem navium quem Sarraceni construxerant occupaverunt, & in planitie littoris sua tentoria posuerunt; quorum videns Soldanus audaciam & ingentem multitudinem, consilio cum suis habito, dimicare noluit, sed statim suis præcepit viarum aditus custodiri & muniri, ne de Damieta ad eos possent vel succursus gentium vel victualia pervenire, sperans arte execrabili sine suorum læsione populum Domini deperire. Quod peccatis nostris exigentibus ita factum est; nam nostris victualia defecerunt, & Nilus more solito totam terram in qua erat exercitus Christianus occupavit. Sic ergo populus Domini medias vires perdens, & usque ad genua in cœno aquarum palustrium residens, coactus est reddere Damietam, tali conditione quòd pars ligni Crucis Dominicæ quod SALAHADINUS Soldanus Damasci de Jerosolymis asportaverat, Christianis redderetur, & treugis firmatis usque ad octo annos, datoque salvo conductu usque Accon, Sarraceni captivos Christianos universos penitus liberarent, & sic Damieta cum multis laboribus & sumptu capta, ac per annum & amplius à nostris possessa, in Festo Nativitatis beatæ MARIÆ Virginis matris Domini reddita est Sarracenis. MANASSES Episcopus Aurelia-

nensis obiit, cui successit PHILIPPUS sancti GUILLERMI Bituricensis Archiepiscopi nepos.

MCCXXII.

HENRICUS Nivernensis Comes, qui ante captionem Damietæ de partibus transmarinis redierat, veneno occiditur, qui primùm apud castrum sancti Aniani in Bituria tumulatus, & pòst apud Pontigniacum Cisterciensis Ordinis Cœnobium: reliquit unicam filiam, quæ data est uxor GUIDONI Comiti sancti Pauli.

Magister PETRUS de Corbolio Senonensis Archiepiscopus die Synodi suæ moritur, & in Ecclesia Senonensi præsente Synodo sepelitur; cui successit Magister GALTERUS Cornutus. Obiit etiam GUILLERMUS Parisiensis Episcopus, qui ab Abbatia sancti ANTONII Parisiensis partem Monacharum Cisterciensium apud Autissiodorum in loco qui Cella dicitur, collocavit.

MCCXXIII.

JOHANNES Rex Jerusalem ex amissione Damietæ & debilitate suorum ultra modum dolens effectus, à partibus transmarinis transfretavit in Italiam, à Papa auxilium petiturus; ibíque à Papa HONORIO & FREDERICO Romanorum Imperatore honorificè susceptus, dedit eidem Imperatori Frederico unicam filiam suam heredem Regni Jerusalem in uxorem coram Papa, cum omni ipsius jure Regni; de qua postmodùm suscepit filium Imperator nomine CONRADINUM: & sic de Regno Jerusalem hîc annotare supersedeo, quia quamvis plures postea jus Regni istius jure successionis aut alio modo per titulum obtinuerint, nullus tamen in eodem regnasse usque ad nostra tempora visus fuit. HENRICUS Frederici Imperatoris Romanorum filius ex sorore Regis Arragoniæ puer decennis ex mandato patris ad Regnum Alemanniæ coronatur. Initio mensis Julij ante noctis crepusculum

crepuſculum octo diebus per Regnum Franciæ cometes apparuit Regni denuntians detrimentum. Nam cùm PHILIPPUS Rex diuturno tempore quartanis febribus premeretur, proh dolor! apud Meduntam pridie Idus Julij rebus bene diſpoſitis diem clauſit extremum, & in craſtino à CONRADO Portuenſi Epiſcopo Cardinali, qui in terra Albigenſium Legatus advenerat, necnon à viginti quatuor tam Epiſcopis quàm Archiepiſcopis, qui pro negotiis ſuis divino nutu illuc advenerant, in Monaſterio ſancti Dionyſij in Francia honorificè eſt ſepultus, præſente JOHANNE de Bregna Rege Jeruſalem, qui paulò antè in Franciam advenerat, & multùm ſuper mortis ejus infortunio, cum innumera multitudine Militum, Clericorum & vulgarium condolente. Eodem enim die & eadem hora Pontifex Romanus HONORIUS cùm eſſet in quadam urbe Campaniæ Italorum, exequiarum officium pro dicto Rege, revelatione ſibi divinitus oſtenſa per ſanctitatem cujuſdam Militis *, cum Cardinalibus celebravit. Rege igitur ſic ſepulto, LUDOVICUS ejus filius octavo Idus Auguſti in Remenſi Eccleſia à GUILLERMO Remenſi Archiepiſcopo cum BLANCHA uxore ſua in Regem Franciæ coronatur anno ætatis ſuæ viceſimo ſexto.

* *cui fortè ſemianimi revelata fuerat mors Regis.*

JOHANNES Rex Jeruſalem primâ Dominicâ Quadrageſimæ baculum peregrinationis accipiens, ad ſanctum Jacobum in Gallicia profectus eſt; qui inde rediens per Regem Caſtellæ, ſororem ejus BERENGARIAM neptem Reginæ Franciæ Blanchæ in conjugium accepit. ALMARICUS Comes Montisfortis de partibus Albigenſium propter inopiam victualium in Franciam rediens, Carcaſſonam urbem fortiſſimam & alia caſtra, quæ cum labore maximo ſuper Albigenſes hæreticos acquiſita fuerant, dereliquit.

LUDOVICUS. MCCXXIV.

Tertio Nonas Maij LUDOVICUS Rex Franciæ &

CONRADUS Cardinalis Apoſtolicæ Sedis generale Concilium Pariſius convocaverunt, in quo per eumdem Cardinalem HONORIUS Papa indulgentiam quæ Lateranenſi Concilio contra Albigenſes hæreticos inſtituta fuerat, auctoritate propria revocavit, & REMUNDUM Comitem Tholoſanum fide Catholicum approbavit. LUDOVICUS Rex Franciæ in craſtino ſancti JOHANNIS BAPTISTÆ Turonis exercitum congregavit, indéque recedens Niortum caſtrum in Pictavia adiit & obſedit; SAVARICUS verò de Malo-Leone Miles, qui intus erat ad defendendum caſtrum, videns Regis fortitudinem, illud Regi reddidit, ut liceret ſibi recedere ſalvis ſuis: quo ita reddito Rex inde progreditur ad ſanctum Johannem Angeliacum, ubi oppidani ſibi occurrentes pacificè eum & honorificè ſuſceperunt, eidem poſtmodùm fidelitatem debitam facientes. Inde Rex ad Rochellam profectus obſedit eam, & machinis erectis per novem dies aſſilire faciens inceſſanter, muros quamplurimùm debilitavit; ſed Savaricus de Malo-Leone & trecenti ferè milites qui intus erant, cum burgenſibus villæ & ſervientibus plurimis defendentes ſe viriliter, Regem & ſuos multotiens impugnabant: demum conſiderantibus ſe non poſſe ab aliqua parte ſuccurſum recipere, villam Regi reddiderunt, facientes ei omnes fidelitatem, præter Savaricum qui cum Anglicis per mare receſſit. Tunc Lemovicenſes & Petragoricenſes, & omnes Aquitaniæ Principes, exceptis Gaſconibus qui ultra Garomnam fluvium erant, fidelitatem Regi promiſerunt; & ſic in Franciam eſt reverſus.

Infra octabas Aſſumptionis beatæ MARIÆ Matris Domini apud Montem-Peſſullanum auctoritate Apoſtolica Concilium celebratur. Nam HONORIUS Papa Narbonenſi Archiepiſcopo dedit in mandatis, quòd modum pacis, quam REMUNDUS Comes Tholoſanus & alij Albigenſes ſanctæ Matri Eccleſiæ offerebant, audiret, & id quod faceret remandaret:

qui convocatis totius provinciæ illius Episcopis & Abbatibus atque Clericis universis, à Comite Tholosano aliisque Baronibus juramenta recepit, quòd terram securam & obedientem Romanæ Ecclesiæ redderent, Clericisque redditus restaurarent, & de hæreticis confessis & convictis justitiam facerent indilatam, ac pro posse suo per universam provinciam pravitatem hæreticam extirparent. SAVARICUS de Malo-Leone qui cum Anglicis in Angliam transfretaverat, percipiens quòd ipsum latenter capere præpararent de eo diffidentes, salubri accepto consilio in Franciam reversus est, & Regi Ludovico homagium faciens eidem se submisit.

MCCXXV.

Tempore Paschali quidam homo venit in Flandrias sub habitu peregrino, qui dicebat se esse BALDUINUM quondam Imperatorem Constantinopolitanum perditum, & de carcere Græcorum quasi per miraculum liberatum; quem videntes plurimi de Flandria Nobiles favent ei propter aliqua intersignia quæ eis dicebat, & dicta multa atque gesta Comitis Balduini: sed Comitissa Flandriæ JOHANNA, quæ per eum Comitatum suum amittebat, Regem Franciæ adiit LUDOVICUM, rogans eum ut sibi succurreret & restitueret Comitatum; quo audito, Rex illum apud Peronam convocavit, & quis eum Militem novum fecerat, aut ubi patri suo Regi PHILIPPO homagium præbuerat, requisivit, qui super hoc petens inducias, cùm respondere nollet, de Regno Franciæ jussus infra triduum est exire, ipse verò apud Valentianas rediens à suis deseritur. & tandem sub specie mercatoris per Burgundiam fugiens, à quodam milite captus redditur Flandriæ Comitissæ, quem sui diversis pœnis afficientes ad ultimum patibulo suspenderunt.

Cùm Rex Franciæ LUDOVICUS apud Quinonem exercitum congregasset, Vice-comitem Thoarcij de-

bellaturus, advenit ibidem ad ipſum ROMANUS ſancti Angeli Diaconus Cardinalis in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli, ob cujus amorem, quia Legatus in Franciam advenerat, Rex Vice-comiti treugas uſque ad feſtum beatæ Mariæ Magdalenæ conceſſit, & cum Legato Pariſius ſe recipiens ad Parlamentum ſuos Proceres convocavit, ad quod veniens Vicecomes Thoarcij, coram Legato & Baronibus Regi fecit homagium, & quidquid erga ipſum deliquerat emendavit. Circa Purificationem beatæ Virginis MARIÆ Ludovicus Rex Francorum, & Magnates quamplurimi, Archiepiſcopi & Epiſcopi, & multi alij de Regno Franciæ Pariſius adunati per manum Romani Cardinalis Crucis Dominicæ ſignum contra Albigenſes hæreticos aſſumpſerunt.

MCCXXVI.

LUDOVICUS Rex Franciæ & omnes Cruce-ſignati circa Aſcenſionem Domini iter arripientes adverſus hæreticos Albigenſes, apud Avinionem urbem in Vigilia ſancti Barnabæ Apoſtoli pervenerunt. Erat autem illa civitas à ſeptennio excommunicationi ſuppoſita propter hæreticam pravitatem; quam Rex & Barones ſtatim obſidentes multa ibidem paſſi ſunt, ſed tandem uſque ad feſtum Aſſumptionis beatæ MARIÆ eam viriliter impugnantes, ipſam ſibi ſubjiciunt, & ibidem quemdam Monachum Cluniacenſem Epiſcopum ſtatuerunt. Deceſſit ibidem in caſtris GUIDO Comes ſancti Pauli lapide petrariæ percuſſus; & Comes Campaniæ THEOBALDUS rediit ad propria ſine Regis licentia & Legati. Rex ergo muris civitatis deſtructis, & centum domibus turralibus quæ intus erant ad ſolum coæquatis, inde amovit exercitum, & per provinciam gradienti redduntur ſibi pacificè civitates & caſtra atque omnes forteritiæ uſque ad leucas quatuor à Tholoſa; qui poſtmodùm revertens in Franciam, IMBERTUM de Bello-joco Militem toti illi præpoſuit regioni; & tunc Rege repatriante moriun-

tur Archiepiſcopus Remenſis GUILLERMUS, & Comes Namurſij Regis Franciæ conſanguineus fratérque HENRICI Conſtantinopolitani Imperatoris. Rex etiam LUDOVICUS dum apud Montpencier in Arvernia deveniſſet, lecto decidens in octavis Omnium Sanctorum defunctus eſt, & apud ſanctum DIONYSIUM in Francia delatus, juxta patrem honorificè ſepelitur; cui ſucceſſit in Regno LUDOVICUS filius ejus, & per induſtriam & prudentiam venerabilis matris ſuæ BLANCHÆ Reginæ infra menſem poſt patris obitum, primâ ſcilicet Dominicâ Adventûs, Remis per manum Epiſcopi Sueſſionenſis vacante ſede Remenſi coronatur, anno ætatis ſuæ quartodecimo non impleto. Eodem anno FERRANDUS Comes Flandriæ, qui per duodecim annos Pariſius in carcere Regis Franciæ detentus fuerat, multa redemptus pecunia liberatur. HONORIO Papa defuncto centeſimus octogeſimus ſecundus Romanæ Eccleſiæ Papa GREGORIUS nonus præſidet.

LUDOVICUS SANCTUS. MCCXXVII.

JOHANNES Rex quondam Jeruſalem recedens à Francia cum uxore ſua Berengaria venit in Lombardiam, & per aliquantum tempus apud Bononiam moratus eſt; quod Papa GREGORIUS intelligens eidem totam terram Romanæ Eccleſiæ tradidit conſervandam. LUDOVICUS Rex Franciæ conſilio Reginæ BLANCHÆ matris ſuæ Epiſcopos & Milites plurimos in terra Albigenſium miſit, qui venientes ad partes Tholoſanas, Tholoſam urbem & totum Comitatum in deditionem receperunt. HUGO Comes Marchiæ, THEOBALDUS Comes Campaniæ, necnon PETRUS Comes Britanniæ contra dominum ſuum Regem Franciæ Ludovicum conſpirantes, fœdus ad invicem inierunt; quo Rex cognito, contra illos de conſilio matris ſuæ Reginæ Blanchæ incredibilis multitudinis exercitum collegit, & uſque ad quarreriam de Curceyo properavit. Quod videns ac

timens ſibi Comes Campaniæ à propoſito maligno reſipuit, & Regi Franciæ adhærens, à Comitum Marchiæ & Britanniæ conſortio celeriter reſilivit; quem Rex benignè ſuſcipiens, alios duos Comites regali edicto ſemel & bis ad ſuum colloquium convocatos, ſed venire contemnentes, ne aliquid contra jura videretur agere, tertio Parlamento mandavit intereſſe. Tunc illi ſtultam ſui ſuperbiam & Regis clementiam perpendentes, apud Vindocinum Regi occurrentes, ei quidquid forefecerant emendaverunt.

MCCXXVIII.

Quidam Barones Franciæ dolentes quòd Comes Campaniæ contra voluntatem Comitum Marchiæ & Britanniæ, ac fœdus quod cum ipſis inierat, LUDOVICO Regi Franciæ adhæſiſſet, & eorum nefanda conſilia denudaſſet, infinitum exercitum colligentes terram Comitis Campaniæ per deverſùs Alemanniam hoſtiliter intraverunt, villas & caſtella atque municipia igne conflagrantes; qui dum Barrum ſuper Secanam obſediſſent, nec ad Regis mandatum inde recedere vellent: Rex collecta multitudine armatorum adverſùs eos celeriter properavit, cujus adventum Barones agnoſcentes, à ſede quantociùs receſſerunt; & ita Rex ab illis hominem ſuum defendens Pariſius remeavit.

GREGORIUS Papa monuit FREDERICUM Romanorum Imperatorem, qui à longo tempore Cruce ſignatus fuerat, quatinus votum ſuum adimplendo in terræ ſanctæ ſubſidium transfretaret; quod ille facere ſe promittens, diem certum quo id faceret Papæ & Curiæ ſignificavit, unde Papa omnibus Cruce ſignatis diem illum ſignificans, mandavit eis quòd parati apud Brunduſium, ubi Imperator ex condicto mare debebat intrare, celeriter convenirent. Interim autem Imperator adverſantes ſibi quoſdam in Regno Siciliæ perdomans, & Sarracenos per diverſa loca Regni Siciliæ habitantes in unum locum Apuliæ con-

gregans, civitatem unam ex ipsis quæ Nuceria Sarracenorum appellatur sibi tributariam effecit. PETRUS Britanniæ Comes fretus auxilio & consilio quorumdam Franciæ Baronum adversùs Regem LUDOVICUM insurgens, fecit Regem Angliæ HENRICUM cum maxima Anglorum multitudine transfretare; quod audiens Ludovicus Rex collecto exercitu usque ad Belesmum castrum, quod Comes Britanniæ in custodia à Rege Ludovico defuncto receperat, sed noluerat reddere, properavit & obsedit : cúmque ictibus tormentorum ita concussum esset, ut in aliqua parte sui ruinam minaretur, obsessi pavitantes se Regi Franciæ reddiderunt, & tunc Rex Angliæ sibi timens cum pudore & ignominia in Angliam remeavit, & Rex Ludovicus Parisius se retraxit.

Eodem tempore quo LUDOVICUS Sanctus Rex Franciæ Belesmum castrum expugnavit, JOHANNES de Vineis Miles strenuissimus colligens exercitum in Normannia & ducens Haye dictæ Paenel, eam infra paucos dies Regi Franciæ subjugavit. Obiit uxor FREDERICI Romanorum Imperatoris filia JOHANNIS quondam Regis Jerusalem, relicto unico filio CORRARDO nomine dicti Regni Jerusalem herede. Defuncta JOHANNA Comitissa Flandriæ, Comitatus Flandriæ & Hanoniæ sorori suæ MARGARETÆ uxori BUCHARDI domini de Avenis obvenerunt.

MCCXXIX.

Comes Britanniæ PETRUS dolens quòd Belesmum castrum perdidisset, adjecit iterum terram Regis Franciæ infestare; quod Rex LUDOVICUS sanctus ægrè ferens, iterum adversùs eum exercitu congregato usque ad castrum Adou properavit, & obsidens expugnatum cepit. Deinde ad aliud, quod Chantoceaux nominatur, se transferens, ipsum per deditionem recepit. Et sic Petro Comite Britanniæ humiliato, tranquilla pace per quatuor annos & ampliùs Rex

Ludovicus sanctus Regnum Franciæ gubernavit.

Rex Arragonum cepit super Sarracenos Insulam Majoricarum & Nicænæ, atque Valentiam civitatem, ubi sanctus Vincentius martyrisatus fuit, & inde Sarracenis expulsis Christiano nomini dedicavit. Sancta ELIZABETH filia Regis Hungariæ conjunx LANDEGRAVII Ducis Thuringiæ, & beatus ANTONIUS de Ordine Fratrum Minorum sanctitate clarent. Multitudo magna peregrinorum Cruce signatorum, de mandato Papæ GREGORII apud Brundusium congregata, ut cum FREDERICO Romanorum Imperatore in terram sanctam transfretaret : dum cum eo mare intrant, ipse furtivè ab eis per galeas recedens, Brundusium est reversus : ipsi verò peregrini prospero vento navigantes apud Acon applicuerunt. Quo audito Romanus Pontifex Gregorius Imperatorem excommunicavit, & per totam Christianitatem denuntiari excommunicatum præcepit. Eo tempore quo peregrini apud Acon applicuerunt, CORADINUS Soldanus Damasci defunctus fuit, relictis duobus sub tutore filiis, & tunc treugæ Christianitati concessæ sunt.

MCCXXX.

Sanctus LUDOVICUS Rex Franciæ fundavit Abbatiam Regalis Montis Ordinis Cisterciensis prope Bellum-Montem super Isaram in Episcopatu Belvacensi. FREDERICUS Romanorum Imperator mittens nuncios ad Soldanum Babyloniæ, contraxit cum eo amicitias Christianitati suspectas. Parisius inter Scholares & Burgenses magna dissensio est exorta; nam Burgenses quosdam de Clericis occiderant, & ideò Clerici Parisius recedentes per diversas mundi provincias dispersi sunt ; videns autem sanctus Rex LUDOVICUS quòd studium litterarum & Philosophiæ per quod thesaurus scientiæ, qui cunctis aliis præeminet & prævalet, acquiritur, recessisset Parisius (quod primo venerat ab Athenis Romam, & à Roma cum

cum militiæ titulo per CAROLUM MAGNUM in Franciam, ſequendo Dionyſium Areopagitam, qui ibidem primus apud Pariſius cùm eſſet Græcus fidem Catholicam ſeminavit) graviter dolere cæpit; metuénſque Rex piiſſimus ne tantus ac talis theſaurus à Regno ſuo elongaretur, eo quòd, *Divitiæ ſalutis ſapientia & ſcientia*, & ne ipſi à Domino diceretur: *Quia repuliſti ſcientiam repellam te*; ſupradictos Clericos mandans Pariſius redire, clementiſſimè redeuntes recepit, & ab ipſis Burgenſibus quidquid antea Clericis forisfecerant, fecit ipſis celeriter emendari. Enimverò ſi tam pretioſiſſimus theſaurus ſapientiæ ſalutaris à Regno Franciæ tolleretur, maneret utique liliatum ſignum Regum Franciæ mirabiliter deformatum; nam ex quo Deus & Dominus noſter JESUS-CHRISTUS fide, ſapientiâ & militiâ ſpecialiùs quàm cetera Regna, voluit Regnum Franciæ illuſtrare; conſueverunt Reges ipſi Franciæ in ſuis armis & vexillis florem lilij depictum trino folio comportare, quaſi dicerent toti mundo, fides, ſapientia & militiæ probitas abundantiùs quàm regnis ceteris ſunt Regno noſtro Dei providentiâ & gratiâ ſervientes. Duo enim paria folia ſapientia & militia ſignificante, quæ Fidem trinum folium ſignificantem, & altiùs in medio duorum poſitam, cuſtodiunt & defendunt; nam fides gubernatur & regitur ſapientia, atque militia defenſatur. Quamdiu enim prædicta tria fuerint in Regno Franciæ pacificè, fortiter & ordinatim ſibi invicem cohærentia, ſtabit Regnum; ſi autem de eodem ſeparata fuerint vel avulſa, omne Regnum in ſe ipſum diviſum deſolabitur atque cadet.

MCCXXXI.

Nunciis FREDERICI Romanorum Imperatoris de tranſmarinis partibus à Soldano Babyloniæ reverſis, ipſe Imperator qui erat excommunicatus, parvi pendens excommunicationem Papæ, ſine abſolutione, & Papa inſcio iter Jeroſolymitanum arripuit; qui

per mare navigans cùm applicuisset Cypro, terram cepit, & illic moram contraxit donec Senescalus ejus, quem tunc misit in Acon cum magna multitudine armatorum, voluntatem sibi Soldani Babyloniæ nuntiaret. Consilio Regis Franciæ LUDOVICI sancti, & Religiosorum virorum Monasterium sancti Dionysij in Francia renovatur sub Abbate ODONE Clementis; hoc enim antea Monachi facere non audebant propter dedicationis mysterium, quod idem Monasterium noscitur à Domino suscepisse

MCCXXXII.

SYMON Bituricensis Archiepiscopus obiit, cui successit PHILIPPUS priùs Aurelianensis Episcopus. Senescallus FREDERICI Romanorum Imperatoris missus in Accon multa damna peregrinis Christianis intulit, & multociens latenter exiens ab urbe, consilium habuit cum Soldano Babyloniæ & Sarracenis; quorum voluntate comperta, ut optabat dominus ejus, mandavit ei venire in Accon tempestivè: qui statim appulsus de Cypro significavit Papæ GREGORIO quòd ipse erat in Accon ultra mare, petens excommunicationis vinculum sibi relaxari; sed Papa præagnoscens ipsum detestabili amicitia conjunctum fuisse Sarracenis, & compositionem Christianitati damnosam iniisse cum Soldano, non acquievit, immo Templariis & Hospitalariis ne eidem adhærerent, aut sibi ferrent auxilium districtè prohibuit & mandavit. Quod agnoscens Imperator, priùs tamen, ut dicitur, in Jerusalem coronari se faciens, & ad custodiam Templi Domini dimissis Sarracenis, atque cum Soldano usque ad decem annos treuvis Christianitati imploratis, reversus est cum indignatione magna in Apuliam; ubi terram Ecclesiæ Romanæ & Hospitalis atque Templi, necnon & redditus eorumdem, qui erant per totum Imperium suum, tyrannicè invasit, & Papæ ac Cardinalibus atque toti Clero damna quamplurima irrogavit.

Clavus ſanctiſſimus Domini unus de illis ex quibus corpus Dominicum Cruci affixum fuit, qui à tempore Caroli Calvi Regis Francorum & Imperatoris Romanorum in Eccleſia ſancti Dionyſij in Francia dono ipſius ibidem permanebat, de ſuo vaſe dum daretur gentibus ad oſculandum cecidit, & ſic perditus eſt inter multitudinem oſculantium tertio Kalendas Martij : ſed prima die Aprilis ſequentis inventus fuit multis prodentibus miraculis, & ad prædictam Eccleſiam cum magna exultatione & gaudio in die ſancto Paraſceves allatus eſt.

MCCXXXIII.

Apud Belvacum urbem Galliæ facta eſt diſſenſio inter majores & minores villæ Burgenſes, unde pluribus ex majoribus occiſis, multi de minoribus captis per diverſa loca Regni Franciæ ſunt carceribus mancipati. Et quia LUDOVICUS ſanctus Rex manum ultricem appoſuerat tamquam ſuperior, MILO ejuſdem civitatis Epiſcopus & Comes Epiſcopatum ſuppoſuit interdicto; ſed dum Romam pro hac re proficiſceretur, in itinere obiit : cujus ſucceſſor GAUFRIDUS eidem cauſæ inſiſtens, dies paucos & afflictione plenos in Epiſcopatu peregit : cujus ſucceſſor ROBERTUS pacem cum Rege compoſuit, & ſic ab interdicto diœceſim abſolvit. PHILIPPUS Comes Boloniæ filius PHILIPPI Regis Franciæ obiit, & ſepultus eſt apud ſanctum Dionyſium. Fratres Prædicatores & Minores juſſu Papæ per Franciam prædicantes, plures Barones & Milites ac plebanos, Clericos & laicos Cruce ſignantes in terræ ſanctæ ſubſidium tranſmittere paraverunt; ſed annuente Papa GREGORIO per annos quatuor aut quinque paſſagium diſtulerunt.

MCCXXXIV.

Defuncto Rege Navarrorum THEOBALDUS Comes Campaniæ ejus nepos ex ſorore fit Rex Navarræ.

Sanctus LUDOVICUS Rex Franciæ accepit uxorem filiam Comitis Provinciæ nomine MARGARETAM, quæ coronata fuit Senonis per manus GALTERI Senonensis Archiepiscopi circa Dominicam Ascensionem. Cum ROBERTUS Græcorum Imperator totum id amisisset quod patruus suus HENRICUS Imperator quondam acquisierat, præter urbem Constantinopolim, & circumjacentem urbi provinciam, multis à suis afflictus injuriis tandem defunctus est absque prole. Et quia BALDUINUS frater ejus quindecim annis existens non valebat in tanto rerum discrimine Græcorum motibus obviare, Franci & Latini, qui apud Constantinopolim morabantur, consilio & assensu GREGORII Papæ JOHANNEM quondam Regem Jerusalem ad vitam suam procuraverunt Imperatorem consecrari, & MARIAM ejus filiam Balduino puero heredi Imperij matrimonio conjunxerunt: qui apud Constantinopolim cum honore susceptus, inimicos Imperij quantum potuit debellavit, & Balduinum generum suum fideliter conservans, fecit eum ad Imperij dignitatem sub se cum uxore ad ultimum coronari.

MCCXXXV. JOHANNES.

Facta est fames valde magna in Francia, maximéque in Aquitania, ita ut homines herbas campestres sicut animalia comederent; valebat enim sextarius bladi centum solidos in Pictavia, ibidem verò multi fame perierunt, & sacro igne accendebantur.

MCCXXXVI.

VETULUS de Montanis Rex Harsacidarum misit in Franciam nuntios Harsacidas, præcipiens ut occiderent Regem Franciæ LUDOVICUM; sed dum abirent Deus cor ejus immutavit, eíque cogitationes pacis & non occisionis immisit, unde post primos quantocius alios mittens mandavit sancto Regi Ludovico ut se à primis nuntiis custodiret; propter quod

Rex ex tunc fecit corpus ſuum diligentiùs cuſtodire, & per ſecundos nuntios primos invenit, quibus inventis ſanctus Rex gaudens utroſque muneribus honoravit, & Regi ipſorum in ſignum pacis & amicitiæ exenia & dona pretioſa quamplurima delegavit. Habitabat autem iſte Rex peſſimus & malivolus in confinio Antiochiæ & Damaſci in caſtris munitiſſimis ſuper montes. Hic multùm erat reveritus à Chriſtianis & Sarracenis Principibus propinquis & remotis, propter hoc quòd multotiens eos per nuntios ſuos indifferenter occidere faciebat; nam quoſdam pueros de terra ſua præcipiebat in palatiis educari, & ibi addiſcebant omnia idiomata, & docebantur dominum ſuum ſuper omnia timere, eíque uſque ad mortem obedire, ut ſic poſſent ad paradiſi gaudia pervenire; quiſquis in obedientia moriebatur, à gentibus terræ Harſacidarum pro Angelo colebatur, & ſic Regi ſuo obedientes multos ſæpè Principes occidebant de morte ſua minimè metuentes.

MCCXXXVII.

Multi Barones & alij de Regno Franciæ qui per prædicationem Fratrum Prædicatorum & Minorum Cruce-ſignati fuerant, iter Jeroſolymitanum arripiunt, Principem habentes exercitus Regem Navarræ Comitem Campaniæ THEOBALDUM; cúmque eſſent ultra mare, PETRUS Comes Britanniæ communi neglecto conſilio ivit ad deprædandam quamdam terram, & cùm ſibi proſperè ceſſiſſet, ALMARICUS Comes Montis-fortis, HENRICUS Comes de Barro & alij famoſi Milites invidiâ ducti ſimile, inconſulto communi, peragere tentaverunt; & cùm per totam noctem equitaſſent, mane in locis ſabuloſis propè Gazam venientes, ab illis de Gaza qui adventum eorum per exploratores præſenſerant, cùm eſſent nimio labore fatigati, capti fuerunt & morti traditi ferè omnes; ibidem Comes de Barro captus vel mortuus, nuſquam poſtea repertus eſt.

MCCXXXVIII.

Sanctus LUDOVICUS Rex Franciæ ROBERTUM fratrem suum majorem natu apud Compendium novum Militem fecit, quem paulò antè filiæ Ducis Brabantiæ MATILDI nomine legitimo fecerat matrimonio copulari; & tunc eidem fratri suo Comitatum Attrebatensem cum pertinentiis jure hereditario possidendum concessit. FREDERICUS Romanorum Imperator Regi Franciæ Ludovico mandavit ut usque ad Vallem-coloris accederet cum ipso colloquium habiturus; sed audiens postea quòd Rex sanctus duo millia militum armatorum, cum ingenti peditum & servientium multitudine in suo vellet ducere comitatu, mandavit Regi iterum quòd nec ad diem præfixam, nec ad locum quem nominaverat adveniret: sperabat enim Regem sanctum ducere paucos secum milites, quod & toto animo affectabat, eo quòd, ut à pluribus dicebatur, quemadmodum malitiosus & seductor aliquid satagebat in Regem & Regnum Franciæ machinari.

MCCXXXIX.

Sanctus LUDOVICUS Rex Franciæ fecit sibi Coronam spineam sacratissimam, quâ CHRISTUS filius Dei voluit in passione sua pro nostris enormitatibus coronari, de Constantinopolitanis partibus Parisius asportari, & à nemore Vincenarum milliario ab urbe distante, quintâ feriâ post Assumptionem beatæ Virginis Matris Domini ipsam Rex & fratres sui cum maximo Cleri plebísque tripudio nudis pedibus incedentes, primò usque ad Majorem beatæ MARIÆ Ecclesiam, & inde ad Capellam domus suæ, quam ipse mirabili & sumptuoso opere construi de novo fecerat, cum hymnis & canticis dulcissimis deportaverunt. Eodem tempore JOHANNES Constantinopolitanus Imperator multùm à suis depressus adversariis, deficiente sibi pecunia quamdam summam pe-

cuniæ à Venetis mutuò sumpsit, & loco pignoris vexilla posuit Dominicæ Passionis, scilicet maximam partem sanctæ Crucis, & ferrum lanceæ qua fuit corpus Dominicum perforatum, & spongiam cum qua aceto potatus est; quod audiens devotissimus Rex Franciæ Ludovicus, promissu & dono ipsius Imperatoris & ejus generi BALDUINI, tantas reliquias suis redemptas opibus procuravit Parisius deportari, & in Capella domus suæ fecit honorificè collocari.

SIMON de Monte-forti Miles quidam de Gallia strenuissimus, filius Simonis Comitis Montis-fortis, apud Tholosam ictu petrariæ defuncti, infensus Reginæ Franciæ matris Regis piissimi Ludovici fugit in Angliam ad Regem HENRICUM, quem ipse Rex benignè suscipiens, dedit eidem in conjugio sororem suam cum Licestriæ Comitatu. RICHARDUS Comes Cornubiæ frater Regis Angliæ Henrici cum magno exercitu in terram sanctam profectus, multùm invenit Francorum ibidem exercitum perturbatum; qui terræ sanctæ valde compatiens, fecit communes treugas inter Christianos & Sarracenos pactis initis confirmari, & captivos quos tenebant procuravit fideliter liberari. ALMARICUS Comes Montis-fortis de carcere Sarracenorum liberatus, in reditu suo dum Romam venisset ibidem defunctus est, & in basilica beati Petri venerabiliter sepultus; cui successit in suo Comitatu JOHANNES filius ejus.

MCCXL.

FREDERICUS Romanorum Imperator contra Romanam Ecclesiam acriùs insurgens solito, Romipetis insidias collocavit; propter quod JACOBUS Prænestinus Episcopus à Papa causâ subsidij latenter in Franciam missus, dum reverteretur peracto negotio ab Imperatore captus est; sed & OTHO Cardinalis jampridem à Papa in Angliam missus, eodem tempore rediens consimiliter detinetur. Et dum Papa propter hæc apud Romam Episcoporum Concilium

evocare niteretur, multi de Regno Franciæ, & terris aliis iter aggressi similiter capiuntur. Prælatis itaque captis & incarceratis, & multis tabulationibus undique pressis, viam universæ carnis GREGORIUS Papa ingressus est; cui centesimus octogesimus tertius Romanæ Ecclesiæ Pontifex successit CÆLESTINUS tertius, quo post decem & septem dies mortuo Ecclesiæ Romanæ sedes per viginti & duos menses Antistite vacavit. Apud Cremonam facta est tempestas maxima, ceciditque ibidem lapis grandinis in Monasterio sancti Gabrielis, in quo erat Crux & Imago Salvatoris expressa, desuper aureis litteris scriptum habens: JESUS NAZARENUS REX JUDEORUM; qui lapis dum de aqua in aquam liquefieret, Monachi illius Ecclesiæ de illa aqua laverunt oculos cujusdam Monachi, & statim clarè vidit.

Sanctus LUDOVICUS Rex Franciæ videns Ecclesiam Dei omni humano auxilio destitutam, compatiénsque Prælatis Regni, mandavit Imperatori supplicando quatinus Regni sui Prælatos liberaret; cui rei primò non acquiescens, mandavit Regi, quòd non miraretur si Cæsar in angusto eos tenebat, qui ad Cæsaris angustias tenebantur. Quod audiens sanctus Rex mandavit iterum, quòd locum à potentia non traheret, quia Regnum Franciæ non erat adeò debilitatum, ut se permitteret ejus calcaribus perurgeri; cujus verba intelligens Imperator omnes licet invitus liberavit, pertimescens Regem Franciæ offendere Ludovicum.

MCCXLI.

Sanctus LUDOVICUS Rex Franciæ ALPHONSUM fratrem suum apud Salmurum Militem novum fecit, & eidem quem paucis diebus antè transactis JOHANNÆ filiæ Comitis Tholosæ lege maritali fecerat solenniter sociari, terram Alverniæ Pictaviæ, & terras Albigensium concessit perpetuò possidendas. Præcepit autem ibidem Comiti Marchiæ HUGONI, ut pro terra

terra quam habebat in Pictavia fratri suo homagium faceret, ut debebat; quod ille vento inflatus superbiæ renuit se facturum, unde Rex iratus vehementer, quia paratus non erat ad eum debellandum, cum indignatione maxima Parisius remeavit.

MCCXLII.

Sanctus LUDOVICUS Rex Franciæ præsumptionis Comitis Marchiæ HUGONIS non immemor, cum magna multitudine armatorum terram illius aggressus est; & primò castrum quod Mosteriolum in Gastina dicitur, & turrim Birgiæ cum duobus castellis Gaufridi de Lisigneio Novento & Fontenaio fortissimis, qui de parte Comitis se tenebat, cepit ac dirui quædam fecit; deinde occupans Rex sanctus omnia usque ad Xantonas, ibidem cum HENRICO Anglicorum Rege & HUGONE Comite Marchiæ prædicto, qui ipsum Regem Henricum, eo quòd matrem ejus habebat in conjugem, cum magna multitudine Anglicorum fecerat transfretare, conflictum habuit ante urbem, & eos fortiter debellans, multis captis & retentis de prælio fugavit: Rex autem Angliæ Garumnam transiens apud Blaviam se recepit, & cives Xantonenses in crastino fugam Regis & Comitis perpendentes urbem Regi Franciæ reddiderunt; ad quem locum supplex veniens cum uxore & filiis Comes Marchiæ quidquid deliquerat in Regem Franciæ emendavit, & quod Rex super ipsum ceperat quittavit Comiti Pictavensi, & eidem tam ipse quàm alij ejusdem Comitis adjutores se facturos homagium juraverunt; & Rex Angliæ multum timens, missis Regi Franciæ nuntiis, vix quinquennes inducias potuit impetrare: & ita deinceps dispositione divina sic factum est, quòd Barones Franciæ contra Regem suum Christum Domini nihil facere attentarent, videntes manifestissimè cum illo Dominicam manum esse.

Tartari vastatâ Georgiâ, Indiâ, Armeniâ majori, omnes simul congregati, primam Turquiæ civitatem

Arſaron vaſtaverunt, & uſque ad Fauſtre & Iconium Regiam civitatem ſibi Turcos & Turquiam ſubjecerunt. Per unum etiam de Principibus ſuis nomine BATHO vaſtaverunt Poloniam & Hungariam, atque juxta mare Ponticum, Ruſſiam & Gazariam cum aliis triginta Regnis, & uſque ad fines Germaniæ pervenerunt. Cúmque verò Hungariam tranſire timerent dæmonibus immolantes tale accepere reſponſum: Ite ſecuri quia ſpiritus diſcordiæ & incredulitatis vos præcedent, quibus turbati Hungari vobis non prævalebunt. Sícque factum eſt, nam ante introitum ipſorum, Rex & Principes, Clerus & populus invicem diſſidebant, & ideò noluerunt ad prælium ſe parare, unde pavore concuſſi hinc inde fugientes, multa millia occiſa ſunt.

MCCXLIII.

Poſt biennem ſedis Apoſtolicæ vacationem Romanæ Eccleſiæ centeſimus octogeſimus quartus natione Januenſis INNOCENTIUS quartus Papa præſidet. LUDOVICUS primogenitus filiorum ſancti LUDOVICI Regis Franciæ naſcitur. GALTERUS Cornuti Senonenſis Archiepiſcopus obiit, cui ſucceſſit ÆGIDIUS Cornuti ipſius frater. ODO Clementis Abbas ſancti Dionyſij in Francia fit Archiepiſcopus Rothomagenſis; & Abbas Cluniaci Epiſcopus Lingonenſis. YVELLUS quoque priùs Turonenſis Archiepiſcopus factus eſt Remenſis Pontifex. ALBERICUS Cornuti Carnotenſis Epiſcopus obiit, cui ſucceſſit HENRICUS de Greſſeio Archidiaconus Bleſenſis.

MCCXLIV.

INNOCENTIUS Papa apud Lugdunum Galliæ urbem venit ut ibi Concilium celebraret. VASTACHIO & AZANO duobus majoribus Græciæ Baronibus qui diſcordes fuerant, ad invicem reconciliatis, adverſùs JOHANNEM Conſtantinopolitanum Impera-

torem crevit potentia inimicorum; propter quod Imperator ipſe Johannes, habito cum ſuis conſilio, BALDUINUM generum ſuum juvenem Imperatorem miſit in Franciam pro ſuccurſu, & ut Comitatum ſive Marchionatum Namurſij, atque Caſtellaniam Curtineti quæ ſibi debebant ex deceſſu fratris ſui Comitis Namurſij evenire, ope & conſilio ſui conſanguinei ſancti Regis Franciæ reciperet LUDOVICI. Miſit etiam cum eodem tres filios ſuos, ALPHONSUM, JOHANNEM, & LUDOVICUM ætatis parvulos, Regem Franciæ deprecans LUDOVICUM, & piam ejus matrem BLANCHAM Reginam, cujus erant pronepotes, ut eos in clientes habere & recipere dignaretur; quos ſanctus Rex Ludovicus honorificè poſtmodùm & gratanter ſuſcipiens carè dilexit, & eos plurimùm exaltavit.

Quidam Infideles qui Chorafini vocabantur, à Soldano Babyloniæ invitati atque conducti, in Regnum Jeroſolymitanum venientes & Chriſtianos debellantes, ante Gazam maximam eorum multitudinem, permittente Domino, proſtraverunt. In quo bello non ſolùm Templi militia, verùm etiam Hoſpitalis potentúmque ac nobilium terræ ſanctæ cecidit non modica multitudo: deinde Jeruſalem invadentes Sepulcrum Domini deſtruxerunt, & intra atque extra ſanctam civitatem Chriſtianos quamplurimos occiderunt. Circa feſtum ſanctæ Luciæ Virginis LUDOVICUS ſanctus Rex Franciæ apud Pontizaram exiſtens graviter ægrotavit, & ſic in illa infirmitate anima ejus abrepta eſt à corporis ſenſibus, quòd à multis æſtimaretur animam exiviſſe. Ut autem ab illa extaſi ad ſeipſum rediit, Crucem protinus tranſmarinam inſtanter petiit & accepit; cujus in brevi poſtea ſanitas ſubſecuta Francorum corda multiplici lætitia adimplevit.

MCCXLV.

In feſto Apoſtolorum Philippi & Jacobi prima die

Maij natus fuit PHILIPPUS sancti LUDOVICI Regis Francorum filius. INNOCENTIUS Papa circa festum Apostolorum Petri & Pauli apud Lugdunum Concilium celebravit, in quo diligenti deliberatione præhabita cum Prælatis ibidem congregatis super nefandis FREDERICI Romanorum Imperatoris, ipsum omni dignitate indignum denuntiavit, & sententiando privavit, omnésque qui eidem Frederico juramento fidelitatis aut confœderationis erant astricti, juramento hujusmodi absolvit, & illis ad quos in eodem Imperio Regis Romanorum spectabat electio, eligendi liberam annuit potestatem. Post illud autem Concilium destinavit idem Papa ODONEM de Castro Radulphi Episcopum Tusculanum sedis Apostolicæ Cardinalem Legatum in Franciam, ut de ipso Regno Prælatos & Barones atque populum sua exhortatione ad Crucis Dominicæ signum recipiendum animaret, & ad transfretandum cum sancto Rege Franciæ Ludovico, qui Cruce-signatus fuerat, ad terræ sanctæ subsidium eorum animos præpararet.

LANDEGRAVIUS Dux Thoringiæ electione Principum Alemanniæ & auctoritate Papæ INNOCENTII Rex Romanorum efficitur, & prædicatur Crux circa fines Hannoniæ & Flandriæ auctoritate ipsius Papæ hominibus, ut irent in auxilium Landegravij contra HENRICUM Frederici Imperatoris depositi filium, qui vices patris per Alemanniam defendere nitebatur. Sanctus LUDOVICUS Rex Franciæ apud Lugdunum Papam INNOCENTIUM visitavit, & in reditu suo filiam Comitis Provinciæ sororem uxoris suæ MARGARETÆ Reginæ fecit fratri suo CAROLO desponsare.

LANDEGRAVIUS. MCCXLVI.

Turci & Armenij confœderationem cum Tartaris facientes, spoponderunt eisdem magnam summam pecuniæ cum ingenti copia pannorum sericorum annuatim reddere pro tributo. Sanctus LUDOVICUS

Rex Franciæ in festo Pentecostes fratrem suum CAROLUM novum faciens Militem, eidem Comitatum Andegaviæ largitus est. Apud Constantinopolim JOHANNE Imperatore defuncto, BALDUINUS gener ejus rediens à Francia imperavit. INNOCENTIO Papa adhuc in Regno Franciæ commorante, mittitur ab ipso Legatus quidam in Italiam Cardinalis, ut contra FREDERICUM Imperatorem depositum spiritualiter & temporaliter dimicaret.

MCCXLVII. BALDUINUS.

Apud Iconium Turquiæ civitatem, cùm quidam joculator cum urso in via communi luderet, ursus levato crure super Crucem quæ ibi propè sculpta erat in quodam pariete minxit, sed statim videntibus omnibus ibidem expiravit: cúmque Christiani qui in eadem urbe morabantur super id quod acciderat Deum benedicerent atque laudarent, quidam Sarracenus indignatus est valde, quòd ibi super miraculo facto Deum attollerent; ideò ibidem accedens cum impetu, tamquam in contemptum ipsius Crucis & Christianorum Crucem percussit de pugno, sed statim brachium ejus cum tota manu exaruit: iterúmque Sarracenus alius propè ibi ebrietati vacans in taberna, dum audiret illam admirationem *, & super eo Christianorum laudem, continuò quasi amens effectus ista vilipendens, à potatione surgens & in contemptum Christianitatis super Crucem mingere volens, morte subitanea percussus interiit. Sanctus ETMUNDUS Cantuariensis Episcopus, cujus sacri corporis gleba apud Pontigniacum Cœnobium Galliæ requiescebat, auctoritate apostolica canonizatus de terra elevatur, & Catalogo est Sanctorum deputatus. LANDEGRAVIUS Rex Romanorum obiit, cui WILIQUINUS qui & GUILLERMUS Comes Hollandiæ successit.

f. * narrationem.

GUILLERMUS. MCCXLVIII.

Sanctus LUDOVICUS Rex Franciæ inter Pentecosten & festum sancti Johannis iter transmarinum arripiens, transivit per Burgundiam, & apud Lugdunum secundò Papam INNOCENTIUM & Cardinales ibidem commorantes visitavit : deinde ab eis recedens venit secundùm Rhodanum ad Rocham du Gli, ubi quia dominus castri illius à transeuntibus per fluvium Rhodanum exactiones illicitas requirebat, & eos bonis omnibus indebitè spoliabat, eam obsedit, quam satis citò in deditionem accipiens, in parte destruxit. Postea verò accepta pactione à loci illius domino quòd de cetero ab injuriis & exactionibus illicitis abstineret, illam eidem restituit, & ad portum Aquarum-mortuarum perveniens die Martis in crastino beati Bartholomæi Apostoli navem cum suis intravit. Comitissa verò Attrebatensis uxor fratris sui Roberti cùm esset prægnans in Franciam rediit, ibíque usque ad transitum Comitis Pictavensis ALPHONSI, qui cum BLANCHA Regina matre sua ad Regni Franciæ relictus fuerat custodiam, expectavit. Rex autem in Cypro terram capiens cum sua comitiva de consilio Baronum ibidem hyemavit. Rex Cypri & fere omnes illius insulæ nobiles exemplo Francorum animati crucis signaculum assumpserunt. Soldanus Babyloniæ qui versùs partes Damasci in terram Christianorum venire paraverat, auditis de Regis Franciæ adventu in Cypro rumoribus iter propositum revocavit : erant quoque inimicitiæ inter ipsum Soldanum & illum qui Soldanus Damasci fuerat & Halapinos. Obierunt de peregrinis Francis in Cypro ROBERTUS Episcopus Belvacensis, JOHANNES Comes Montis-fortis, Comes Vindocinensis, GUILLERMUS de Melloto & GUILLERMUS de Barris probi Milites, HERCHAMBAUDUS dominus de Borbonio, Comes Drocarum & alij quamplures Milites usque ad ducentos quadraginta.

MCCXLIX.

Sanctus Ludovicus Rex Franciæ cum peregrinorum multitudine infinita de Cypro ubi hyemaverat circa Ascensionem Domini recedens, apud Damietam primam Ægypti civitatem applicuit; sed cùm vasella nostrorum usque ad terram siccam attingere non possent propter maris planiciem, Franci relictis vasellis suis contra Sarracenos, qui littus observantes nitebantur eis defendere terram, saliendo in mare cum armis suis usque ad genua in aquis se miserunt, & viriliter in Sarracenos impetum facientes, terram hostibus repulsis & pluribus interfectis occupaverunt: deinde verò galeæ ipsorum os Nili fluvij occupantes, fugientibus Sarracenorum galeis, littus ac portum acceperunt, & ipsa die quâ venerant, in littore sua tentoria posuerunt; quod percipientes de Damieta Sarraceni, mox subitò divina virtute perterriti, illa nocte populus, & die crastino Magnates de urbe exeuntes in fugam versi sunt, priùs igne posito circumquaque; quo statim à nostris percepto, commoto exercitu simul concurrentes civitatem intraverunt, & in ea amoto igne garnisionem Regis Franciæ posuerunt. Demum mundata civitate sanctus Ludovicus Rex Franciæ, Rex Cypri & Barones totius exercitus Christiani, Legatus & Patriarcha Jerosolymitanus cum Clero universo nudis pedibus eam processionaliter intraverunt, & Mahomeriam, quæ dudum in altera ejusdem urbis captione fuerat beatæ Mariæ Virginis consecrata Ecclesia, reconciliaverunt; deinde redditis inibi de impensis beneficiis gratiarum actionibus Deo altissimo, celebrata fuit Missa solemniter in honore beatæ Mariæ Genitricis Dei à Legato. Sic ergo divinitus captâ Damietâ octava die post Trinitatem, Rex Franciæ & totus exercitus Christianus ibidem tota æstate usque ad decrescentiam Nili fluminis perstiterunt, timentes ne in ejus crescentia damnum incurrerent, sicut aliàs tempore

Regis Jerusalem legitur Christianis accidisse. ALPHONSUS Comes Pictavensis sancti LUDOVICI Regis Franciæ frater, qui ad Regni custodiam cum matre relictus fuerat, eidem dominæ matri suæ BLANCHÆ Reginæ dimissâ Regni custodiâ cum uxore fratris sui ROBERTI Comitis Attrebatensis iter transmarinum arripuit, & die Dominica ante festum Apostolorum Simonis & Judæ applicuit apud Damietam. Sanctus LUDOVICUS Rex Franciæ Damietâ victualibus & gente munitâ, vicesima die Novembris de urbe cum exercitu recedens, processit adversùs Sarracenos, qui apud Massoram in magnum fuerant exercitum congregati. Cùm verò ibidem tota hyeme nostri cum Sarracenis bene & viriliter decertassent, quamplurimos ex ipsis occidentes, & damna non modica inferentes; tandem dum una die inconsultè & inordinatè contra eos ad prælium processissent, Sarraceni resumptis viribus nostros undique circumvallentes, non modicam stragem ex ipsis fecerunt; ibi namque ROBERTUS Comes Attrebati sancti Ludovici Regis Franciæ frater alios præveniens inconsultè, ut vidit villam Massoræ apertam, se infra eam impetuosè ingerens cum Sarracenis fugientibus, & minùs cautè quàm decebat inter manus hostium incidens, temporaliter est amissus.

MCCL.

Sancto Rege Franciæ LUDOVICO Sarracenos apud Massoram expugnante, nostris occulto Dei judicio omnia successerunt in contrarium. Nam peste diversarum ægritudinum, & etiam mortalitate generali tam in hominibus quàm in equis ita afflicti sunt, ut in exercitu eorum vix aliqui essent qui mortuos suos, vel ad mortem non plangerent ægrotantes. Unde pro magna parte fuit diminutus Christianus exercitus atque consumptus; tantus enim erat defectus victualium, quòd quamplures fame & inedia defecerunt; non enim ad exercitum vasella navalia de

Damieta

Damieta transire poterant propter Sarracenorum galeas quæ in flumine fuerant collocatæ. His igitur incommodis nostros arctatos inevitabilis necessitas illos induxit à loco recedere, & ad partes Damietæ redire, si Dominus providisset. At verò dum quinta die mensis Aprilis essent in itinere revertendi, Sarraceni illud percipientes mox cum infinita multitudine armatorum eos viriliter sunt aggressi. Accidit quoque permissione divina, peccatis fortasse aliquorum exigentibus, quòd Rex Franciæ sanctus LUDOVICUS cum duobus fratribus ALPHONSO Pictavensi & CAROLO Andegavensi Comitibus, ac ceteris qui cum eis redibant in manus Sarracenorum inciderent, & capti sint. Itaque per terram nemo penitus evasit præter paucos, Legatum & quosdam alios, qui paulò antè recesserant ab exercitu Christiano; major etiam pars quæ per fluvium revertebatur similiter fuit capta & interfecta. Eodem tempore Regina Franciæ MARGARETA enixa est puerum JOHANNEM nomine apud Damietam, quem TRISTAN cognominari fecit, propter tristitiam quam de captione viri sui & fratrum ejus habuit, atque de infortunio populi Christiani.

FREDERICUS Romanorum Imperator depositus HENRICUM filium suum, quem pridem Regem fecerat coronari Romanorum, accusatum sibi de rebellione captum ducens in Apuliam squalore carceris expiravit *; & pòst cùm inter civitates Lombardiæ Parmam tamquam sibi magis exosam in manu valida obsedisset, à Legato Papæ INNOCENTII & à Parmensibus devictus, amissis thesauris & rebus aliis, in Apuliam rediit, & pòst in * Apuliam transiens, gravi infirmitate correptus diem clausit extremum. Post cujus mortem, filius ejus CONRADUS de filia quondam JOHANNIS Regis Jerusalem cœpit in Apulia & Regno Siciliæ fortiter dominari. INNOCENTIUS Papa audita Frederici nece de Lugduno Galliæ recedens, profectus est in Italiam apud Affi-

* interemit

f. * per

liam *, & ibidem longo tempore moratus eſt. Soldanus Babyloniæ MELECH Helvahenni ultimus de genere SALAHADINI, qui ſanctum Regem Franciæ LUDOVICUM tenebat captivatum, à ſuis interfectus eſt; & tunc ſanctus Rex pretio dato Sarracenis & Damietâ redditâ, cum fratribus ſuis & ceteris captis Chriſtianis liberatus eſt. Porrò poſt liberationem ſuam, mittens duos fratres ſuos CAROLUM & ALPHONSUM in Franciam ad conſolandam matrem ſuam, ipſe Rex ſanctus transfretavit in Acon & infortiavit eam muris & turribus, ſimiliter autem Joppem & Sydonem, & quædam caſtra firmare taliter fecit, quòd ſuis poſſent reſiſtere inimicis; & per ſpatium quinque annorum vel circiter in terra ſancta remanens, multos captivos Chriſtianos redemit, & multa alia bona fecit.

f. * Aſſiſiam.

MCCLI. CONRADUS.

Mirabile prodigium & novitas inaudita in Regno Franciæ accidit. Nam quidam latronum principes ad ſeducendum ſimplices & diſſeminandum Crucem in populo, falſis adinventionibus fingebant ſe viſionem Angelorum vidiſſe, & beatam MARIAM Virginem apparuiſſe & præcepiſſe, ut Cruces aſſumerent, & de paſtoribus & ſimplicioribus populi quos elegerat Dominus, quaſi exercitum congregarent ad ſubveniendum terræ ſanctæ, & Regi Franciæ illis in partibus ſuccurrendum; & hujuſmodi viſionis tenorem in baneriis quaſi ante ſe deferri faciebant, cælatis imaginibus depingebant. Qui primò per Flandriam & Picardiam tranſeuntes, per villas & campos deceptivis exhortationibus paſtores & ſimpliciores populi quaſi ferrum adamas attrahebant: qui cùm perveniſſent in Franciam, in tanta numeroſitate jam creverant, quòd ſub millenariis & centenariis conſtituti quaſi exercitus procedebant, & cùm per campeſtria loca pertranſirent juxta caulas & greges ovium, paſtores relictis gregibus & inconſultis parentibus neſ-

cio quibus debacchationibus agitati, ſe cum illis in facinus involuebant; & cùm paſtores & ſimplices, licèt non ſecundùm ſcientiam, bona intentione hoc facerent, erant tamen inter eos latrones & homicidæ quamplurimi arcani ſceleris conſcij, quorum conſilio magiſtrorum fallax * regebatur. Qui cùm per villas & civitates tranſitum facerent, erectis in altum appaſutis * & ſecuribus aliíſque armorum utenſilibus, ita terribiles populo ſe reddebant, quòd vix aliquid erat de judiciaria poteſtate, qui non in aliquo eiſdem contradicere formidaret; ipsíque in tantum errorem jam deciderant, quòd deſponſalia faciebant, Cruces dabant, & etiam de peccatis, ut dicitur, facie tenus abſolvebant, & quod deterius erat, ita communem populum ſecum in errorem involverant, quòd affirmabant plurimi, & alij credebant, quòd cibaria & vina coram eis appoſita non deficerent propter eorum comeſtionem, ſed potiùs augmentum recipere videbantur. Clerus autem cùm audiret populum in tantum errorem incidiſſe, condoluit: & quoniam hujuſmodi errori contradicere voluit, paſtoribus & populis exoſus efficitur, & tam iniquo odio hos oderunt, quòd plures eorum in campis repertos occidentes, Martyres ut credimus effecerunt. Regina verò BLANCHA quæ ſola Regnum Franciæ mira ſagacitate tunc regebat, fortè non ſuo errore eos ſic incedere tolerabat, ſed quia filio ſuo ſancto Regi LUDOVICO & terræ ſanctæ per eos ſperabat adjutorium pervenire. Cùm autem tranſiſſent urbem Pariſius, putaverunt ſe ab omnibus periculis evaſiſſe, jactantes ſe quòd boni eſſent homines, & hoc per rationem arguebant; quia cùm fuiſſent Pariſius ubi eſt fons totius ſapientiæ, numquam fuerat eis in aliquo contradictum. Tunc errores ſuos cœperunt vehementiùs augmentare, & ad furta & rapinas ſtudioſiùs intendere; qui cùm Aurelianis perveniſſent, cum Clericis Univerſitatis prælia commiſerunt, plurimos eorum occidentes, ſed de illis plurimi conſimiliter occiſi ſunt. Dux au-

f. * phalanx.

f. * maſucis.

tem eorum quem Magiſtrum de Hungaria nominabant, dum de Aurelianis Bituris cum eis perveniſſet, Synagogas Judæorum intrans, libros eorum deſtruxit, & eos bonis omnibus indebitè ſpoliavit; ſed dum receſſiſſet ab urbe cum populo, Bituricenſes eos cum armis inſequentes Magiſtrum cum pluribus occiderunt, poſt quorum caſum alij in diverſis locis diſperſi, propter maleficia ſua interfecti vel ſuſpenſi fuerunt, ceteri quaſi fumus evanuerunt.

MCCLII.

In Dacia HENRICUS Rex Dacorum inclytus ab ABEL fratre ſuo juniori ut regnaret pro eo in mari ſuffocatur, ſed parum honoris & commodi propter hoc eſt aſſecutus; nam ſequenti anno Regni ſui cùm Friſones ſubjugare voluiſſet, à Friſonibus eſt occiſus. INNOCENTIUS Papa conſtituit, ut omnes Cardinales Romanæ Eccleſiæ portent in capite capellum rubeum dum equitant, ut diſcernantur & cognoſcantur ab aliis ſecum equitantibus, per hoc innuens quòd in perſecutione Fidei & juſtitiæ Romana Eccleſia, quæ caput eſt omnium aliarum, præ ceteris caput debet apponere, ſi neceſſe fuerit, cruentandum. ALPHONSUS & CAROLUS ſancti LUDOVICI Regis Franciæ fratres de tranſmarinis partibus in Franciam redierunt. Pariſius orta eſt turbatio inter Clericos & Religioſos ibidem ſtudentes, propter quemdam librum quem magiſter GUILLERMUS DE SANCTO AMORE Canonicus Belvacenſis compoſuerat, de mundi periculis intitulatum; ſed ipſo Magiſtro propter hoc ad Romanam Curiam accedente, dicta eſt diſcordia per Papam INNOCENTIUM conſopita.

Eodem tempore Abbas ſancti DIONYSII in Francia GUILLERMUS miſit per duos ejuſdem loci Monachos ſancto Regi Franciæ Ludovico in tranſmarinis partibus commoranti navem pannis varij coloris ad veſtiendum aptis, caſeis & volatilibus one-

ratam, quos Rex ſanctus tamquam Patroni ſui ſancti DIONYSII nuntios ſpeciali lætitia ſuſcipiens, tanto itinere fatigatos diu ſecum retinuit, oblatis multis muneribus, ſi recipere voluiſſent; qui cum ejus licentia poſtmodùm recedentes ab eo, ſani & incolumes poſt gravia maris pericula ad propria remearunt.

MCCLIII.

Neapolis civitas Apuliæ quæ per biennium paſſa fuerat inſultus MANFREDI Principis Tarentini filij FREDERICI quondam Imperatoris de quadam concubina, à CONRADO filio dicti Frederici legitimo obſidetur; qui cùm eam quinque menſibus obſeſſam tenuiſſet, & eam quibuſdam pactis cum civibus initis recepiſſet, omnes muros civitatis & meliores domos civium funditùs evertit, & idem poſtea fecit ſimiliter de Capua & Aquino; qui cùm patris veſtigia in perſecutione Eccleſiæ ſequeretur, juſto Dei judicio percuſſus interiit, relicto unico filio admodùm parvulo nomine CONRADINO, poſt quem Regnum Siciliæ MANFREDUS ejus frater ſimulata nepotis ſui Conradini fide tutoria uſurpavit. Regina Franciæ BLANCHA ſancti Regis genitrix LUDOVICI obiit, & apud Pontiſaram in Abbatia Monialium feminarum Ordinis Ciſtercienſis, quam ipſa permiſſu filij ſui Regis Ludovici fundaverat, ſepelitur. Tunc ergo quia Rex ſanctus Ludovicus aberat, fratres ejus ALPHONSUS & CAROLUS Comites Regni cuſtodiam habuerunt; nondum enim LUDOVICUS & PHILIPPUS filij ſancti Regis ætatem attigerant, ut poſſent vel ſcirent ad fortia ponere manus ſuas. INNOCENTIUS Papa audita morte CONRADI filij Frederici Imperatoris depoſiti, de conſilio ſapientum Regnum Siciliæ intravit, & uſque Neapolim pervenit. Eodem tempore quidam Turcus nominatus MELEC ELVAHAM, Soldanus Babyloniæ effectus eſt.

MCCLIV. Manfredus.

Innocentius Papa dum præpararet exercitum contra Manfredum Principem Tarentinum occupatorem Regni Siciliæ, apud Neapolim diem clausit extremum; post quem Romanæ Ecclesiæ centesimus octogesimus quintus Alexander quartus natione Campanus præsidet. Conradinus puer filius Conradi metuens Manfredi patrui sui tyrannidem, ad patrem matris suæ Ducem Bajoriæ latenter fugit in Bajoriam. Johannes filius Comitissæ Flandrensis & Hannoniæ Margaretæ primogenitus ex Bucardo domino de Avenis, contra matrem insurgens voluit eidem matri suæ in sua præripere qui eam jure hereditario contingebat Hannoniæ Comitatum; quare mater indignata Carolum Comitem Andegavensem fratrem sancti Regis Franciæ Ludovici in suum adjutorium invocavit, & eidem in contemptum filij dictum Comitatum tribuit & concessit; qui accepto taliter Comitissæ dono, statim apud Valentianas castrum fortissimum caput totius Hanoniæ Comitatus garnisionem magnam militum cum Hugone de Bauceio Milite strenuissimo destinavit, qui contra voluntatem villæ burgensium, qui sibi erant contrarij, portarum aditus & castri munitionem saisierunt. Postea verò Carolus collecto de Francia ingenti exercitu, qui ad quinquaginta millia poterat æstimari, Comitatum Hanoniæ potenter intravit, & multas munitiones & villas vi vel deditione recipiens, ad castrum quod Mons in Hanonia nominatur perveniens, illud obsedit. Interim autem Johannes filius Comitissæ non quiescens, Wiliquinum de Hollandia Regem Romanorum, & multos nobiles de Brabanto & Alemannia ex parte patris de suo genere procreatos, ante Valentianas in magna multitudine gentis & potentia congregavit; quos Hugo de Bauceio gentis Caroli Capitaneus, Petrus de Blemu & quidam alij de villa conspi-

cientes, auſu temerario de caſtro portis apertis contra eos exierunt, cupientes animoſitatem Teuthonum experiri, & conflictu inito ante fores cùm viderent ſibi periculum imminere, intra villam ſe ſe cum impetu detraxerunt: quos perſequens quidam miles ſtrenuus de hoſtili exercitu nomine STRADIOT, caſtrum cum illis neſcio cujus vexillum ante intonans, eſt ingreſſus, ſed portis lapſatis interiùs eſt retentus. Hujuſmodi verò CAROLUS rumores audiens, & timens Valentiani caſtri burgenſium proditionem contra ſuos, mox virum in armis ſtrenuum LUDOVICUM Comitem Vindocinenſem, cum quibuſdam aliis illuc in gentis ſuæ adjutorium deſtinavit; qui cùm Valentianas appropinquare cœpiſſent, banerias ſuas deplicare fecerunt, ut ſui de villa viſis armorum ſignaculis portas aperirent, & hoſtilis exercitus qui ex parte alia ultra Scaldum fluvium reſidebat, de ipſorum adventu forſitan teneretur *. Videns autem * timerent. WILIQUINUS Rex quòd ſuo exercitui cibos diu miniſtrare non poſſet, juxta Carolum cum gente ſua, qui Montem obſederat, ſe retraxit; & quia cibis ſibi & genti ſuæ deficientibus, atque ſumptibus, aut ſtatim pugnare aut citò reddere oportebat, diem pugnæ Carolo nuntiavit. Ille autem quantum in ſe erat iſtud deſiderans, ſed aliquos Barones de Francia ſecum habens, ut erat Comes Bleſenſis, Comes ſancti Pauli & dominus de Cociaco de JOHANNIS ſanguine procreatos, qui certamen fieri minimè permittebant, treugis acceptis, & rebus in tali ſtatu remanentibus, CAROLUS in Franciam ſe recepit: ſed eodem tempore de tranſmarinis partibus reverſus in Franciam ſanctus Rex LUDOVICUS pacis & concordiæ filius, pacem poſtmodùm compoſuit inter ipſos.

HAALON Princeps Tartarorum potentiſſimus civitatem Sarracenorum Baldach ubi erat ſedes Calyphæ cepit, ipſum Calypham fame mori faciens; qui dum valde eſuriret fecit aurum quod nimis dilexerat

ponere ante illum dicens : Comede hunc cibum quem tantum dilexisti.

MCCLV.

WILIQUINUS, qui & GUILLERMUS, Romanorum Rex à Frisonibus est interfectus ; post quem Electores se in duo dividentes, elegerunt quidam Regem Hispaniæ, alij RICHARDUM Comitem Cornubiæ fratrem Regis Angliæ HENRICI ; sed tandem Richardus fuit apud Aquisgranum ope suæ pecuniæ coronatus. Taurinenses de consilio Astensium dominum suum Comitem Sabaudiæ ceperunt ; quod graviter ferens Romana Ecclesia, eo quòd ex dono GUILLERMI Romanorum Regis & Ecclesiæ ipsam Taurinensem urbem receperat, ipsos Taurinenses & Astenses Lombardos excommunicavit, & eorum bona per sanctum Regem Franciæ LUDOVICUM capi in toto Regno ipsius procuravit ; dicta verò civitas Taurinensis fuit obsessa à BONIFACIO Lugdunensi Electo, & à PETRO de Sabaudia dicti Thomæ fratribus, sed non capta. Branchaleon de Bononia urbis Romæ Senator pacis & justitiæ cultor præcipuus, de consilio quorumdam Cardinalium & Romanorum Nobilium orta dissensione obsessus fuit in Capitolio, qui cùm se dedisset, populus eum apud Septem-soles in custodia mancipavit ; sed tandem nobilibus traditus & incarceratus in quodam oppido malè tractatus est, & nisi habuisset Bononiæ Romanorum obsides, Romani eum occidissent, eo quòd in exercitio justitiæ & in rapinarum habitu eidem minimè pepercisset : Bononienses verò licet interdicti à Papa fuissent, tamen nisi civem suum rehaberent, obsidem suum reddere noluerunt.

MARGARETA Flandriæ & Hanoniæ Comitissa videns quòd FLORENTIUS Comes Hollandiæ defuncti Wiliquini Regis JOHANNEM & BALDUINUM suos filios ex Buchardo domino de Avenis contra se tueretur, & eosdem in Hollandia reciperet ;

magnum

magnum ex ſua gente adverſùs eos congregavit exercitum, cui præerant ejus duo filij GUIDO & frater ejus de domino Domnæ-Petræ geniti, atque Guinenſis & Barri Comites, & de Valerico HERARDUS egregius Miles & ſtrenuiſſimus, qui per mare cùm veniſſent ad littus Hollandiæ, à quodam partis adverſæ milite proditi, in poteſtatem Comitis Hollandiæ devenerunt. Comes autem de Guinis & Friſones, qui illuc lucri cauſâ non adjutorij convenerant, HERARDUM de Valerico & Barrenſem Comitem rapuerunt, ſed eoſdem poſtea acceptâ magnâ pecuniâ reddiderunt incolumes ſuæ genti.

RICHARDUS. MCCLVI.

Diſcordia quæ fuerat inter Fratres Prædicatores, Minores & alios Religioſos Pariſius ſtudentes contra Magiſtrum GUILLERMUM de ſancto Amore Canonicum Belvacenſem ſuper librum quem, *De mundi periculis*, intitulatum compoſuerat recidiuavit; propter quam ſedandam & pacificandam miſit Rex Franciæ LUDOVICUS duos ad Romanam Curiam Clericos, ut per Papam ALEXANDRUM finem debitum ſortiretur. Tandem hinc inde multis propoſitis, damnatus & combuſtus extitit liber ille apud Anagniam coram Papa in Eccleſia Cathedrali, non propter hæreſim ut dicebant aliqui, quam contineret, ſed quia contra præfatos Religioſos ſeditionem videbatur & ſcandalum excitare.

GUIDO filius Comitiſſæ Flandriæ & frater ejus, atque omnes de Flandria quos FLORENTIUS Comes Hollandiæ tenebat carceribus mancipatos, auxilio fuerunt CAROLI Andegavenſis Comitis liberati; dictus verò Florentius ex condicto debuit ſororem ducere in uxorem filij Comitiſſæ Flandrenſis, & ad preces ſancti Regis Franciæ Ludovici Carolus frater ejus Comes Andegaviæ, magnâ receptâ pecuniâ, quittavit totaliter Valentianas & Hanoniæ Comitatum; actúmque fuit inter fratres filios Flandrenſis Comi-

tissæ quòd post mortem genitricis eorumdem, Comitatus Hanoniæ ad fratres de Avenis liberè deveniret, & Comitatus Flandriæ GUILLERMI de Domna-Petra filiis cum terris aliis remaneret. Mense Septembri fuit apud Romam & Anagniam terræ motus ita magnus, quòd Romæ campana sancti Silvestri per se pulsaverit, & ejus tinnitus audiretur.

MCCLVII.

Soldanus Babyloniæ MELECH Elmahem de genere Turcorum cùm regnasset quinque annis, ab uxore sua in balneo suffocatus est; cui successit filius ejus MELECH EMEMOR, qui cùm regnasset anno uno, à quodam de Admiralibus suis, qui vocabatur SEFEDUS Cotos, ejectus est de Regno, & ille Admiralius Soldanus efficitur, vocatúrque MELECH ELVACH.

Cùm CAROLUS Comes Andegaviæ Comitatum Provinciæ, qui uxorem ejus jure hereditario contingebat liberè suscepisset, Marsiliæ civitas opulenta, quæ de jure sub dominio Comitum Provinciæ solet esse, à fide Caroli descivit; propter quod Carolus adversùs Marsilienses insurgens, viriliter eorum insolentiam in brevi repressit, & Francorum fretus auxilio superbiam castigavit. BRANCHALEO de Bononia in Senatorem urbis Romæ iterum electus, cùm Romæ venisset, turres urbis dejiciens præter turrim Neapolionis Comitis, plures nobiles faventes Ecclesiæ captivavit.

HENRICUS Senonensis Archiepiscopus obiit.

MCCLVIII.

MARIA Constantinopolis Imperatrix, quæ propter succursum viro suo ferendum BALDUINO Imperatori venerat in Franciam, dum Castrum Namursiæ, quod Balduinum virum suum jure hereditario contingebat, occupasset, Comes de Luceburgo eam in fortalitio existentem juvante sibi villa Na-

murſij, obſedit; ad cujus auxilium venientes Comitiſſa Flandriæ, Comes Augi & alij duo ejuſdem Imperatricis fratres JOHANNES & LUDOVICUS, cum multis Francorum militibus, parum aut nihil profecerunt, unde oportuit illam recedere uſque ad tempus magis poſtea opportunum. GUILLERMUS de Buſſiis Aurelianenſis, & GUILLERMUS Rollandi Cenomanenſis Epiſcopi obierunt. In Menſe Septembri tanta fuit in pluribus locis inundatio pluviarum, quòd ſegetes in campis & granchiis germinaverunt, & racemi in vineis ad debitam maturitatem pervenire minimè potuerunt; fuerúntque poſtea vina adeo virida, ut cum remorſu & vultus impatientia biberentur.

MCCLIX.

In Epiſcopatu Pariſienſi fundatum eſt Cœnobium ſororum Minorum juxta ſanctum Clodoaldum ſupra Secanam à Religioſa & illuſtri domina YZABELLA Virgine, ſorore ſancti Regis Franciæ LUDOVICI, ipſo Rege eidem Monaſterio poſſeſſiones & redditus in ſuſtentationem ſororum congruos aſſignante: quæ Yzabella habitum ſororum ibidem ſuſcipiens, religioſè vivendo vitam ſuam fine laudabili terminavit.

MANFREDUS Princeps Tarentinus filius Frederici quondam Imperatoris, CONRADINI nepotis ſui morte conficta, fecit ſe in Regem Siciliæ coronari contra jus & mandatum Eccleſiæ Romanæ, de cujus feodo Regnum Siciliæ tenebatur; propter quod & alios actus ſuos nefarios atque graves offenſas, quas nimis longum eſſet hîc enarrare, Papa ALEXANDER ipſum excommunicationis vinculo innodatum Principatu Tarentino & alio honore & dignitate qualicumque, tamquam rebellem Eccleſiæ & hoſtem, ſuorúmque jurium invaſorem, occupatorem & detentorem ſacrilegum, ſociatúmque nefando fœdere Sarracenis, ac eorum complicem, ductorem & protectorem publicum auctoritate Apoſtolica privavit.

Rex Angliæ HENRICUS cum Comite Glocestriæ & multis Regni sui Militibus & Prælatis veniens in Franciam, cum sancto Rege Franciæ LUDOVICO pacificatur. Quittavit enim Regibus Franciæ de expressa voluntate fratris sui Regis Romanorum RICHARDI, & consilio Principum ac Baronum Angliæ, quidquid juris requirebat in Ducatu Normanniæ, & Comitatibus Andegaviæ, Cenomaniæ, Turoniæ & Pictaviæ, ac in eorum feodis. Rex verò Franciæ sanctus LUDOVICUS dans eidem magnam pecuniæ summam, assignavit sibi & suis successoribus magnam terram in Lemovicensi, Petragoricensi, Xantonensi & Agenensi Episcopatibus, tali conditione quòd illam terram, Burdegalam & Baïonam cum tota Gasconia de Regibus Francorum ipse & successores sui Reges Angliæ in feodum retinerent, & Rex Angliæ adscriptus in numero Baronum Franciæ, Par & Dux Aquitaniæ de cetero vocaretur; de quibus tunc Rex Angliæ coram Prælatis multis utriusque Regni fecit homagium sancto Regi Franciæ Ludovico.

Eodem tempore LUDOVICUS primogenitus sancti Regis Franciæ LUDOVICI filius obiit, & apud Montem-Regalem Cœnobium Cisterciensis Ordinis præsente Rege Angliæ HENRICO traditus est sepulturæ.

MCCLX.

Sanctus LUDOVICUS Rex Franciæ congregavit Parisius Paschali tempore Barones, Prælatos & Milites Regni sui eo quòd scripserat sibi Papa Tartaros in transmarinis terræ sanctæ partibus irruisse, Sarracenos vicisse, Armeniam, Antiochiam, Tripolim & Damascum, Halapiam & terras alias subjugasse, & tam Acon civitati quàm toti Christianitati illis in partibus periculum imminere. Unde ordinatum fuit ibidem de orationibus multiplicandis, processionibus faciendis, & blasphemiis in Deum puniendis, pec-

catis & ſuperfluitatibus ciborum ac veſtium reprimendis, & injunctum eſt quòd non luderetur aliis ludis, niſi quòd homines exercerent ſe in arcubus & baliſtis.

Reges Hungariæ & Boemiæ pro quibuſdam terris ad invicem diſcordantes, exercitu congregato in finibus Regnorum ex utraque parte innumerabili acriter pugnaverunt; ſed tandem Rege Hungariæ vulnerato, Hungari fugere cœperunt, & in quodam fluvio per quem tranſire debuerant, præter occiſos quatuordecim millia ſubmerſi ſunt. Unde Rege Boemiæ intrante Hungariam, Rex Hungarorum qui evaſerat, pacem quæſivit, & terris quæ diſcordiæ cauſa fuerant reſtitutis, in futurum amicitiam cum Rege Boemiæ mediante matrimonio confirmavit. Florentini Italiæ congregato exercitu ut Senenſem urbem deſtruerent, à militibus MANFREDI Regni Siciliæ invaſoris, & Comite JORDANO, qui civitatem Manfredo traditam defendebat, capti & devicti ſunt, fuítque civitas eorum capta & quamplurimùm deſtructa, ac dominationi Senenſium ſubdita & Manfredi.

Obiit PHILIPPUS Bituricenſis Archiepiſcopus, cujus ſanctitatem poſt mortem ipſius Dominus diverſis ſignis & miraculis declaravit. Succeſſit autem eidem JOHANNES de Soilliaco Decanus Bituricenſis Eccleſiæ.

MCCLXI.

In feſto ſancti Urbani Papa ALEXANDRO defuncto, Romanæ Eccleſiæ centeſimus octogeſimus ſextus URBANUS quartus natione Gallicus de civitate Trecenſi præſidet. Hic primò Patriarcha Jeroſolymitanus, pòſt Papa, Eccleſiam apud Trecas mirandi operis in domo patris ſui conſtrui fecit, & ibi Canonicis ſæcularibus conſtitutis, magnos redditus aſſignavit. BALDUINUS Græcorum Imperator, Franci & Latini à Conſtantinopoli per Græcos ejiciuntur, faventibus eiſdem Januenſibus in odium Venetorum: & ſic à Græcis recuperato Imperio, qui-

dam ex ipsis, PALEOLOGUS nomine, Imperator efficitur, & Balduinus in Franciam exulatur. In diœcesi Lugdunensi quidam cupiditate tractus peregrinum quemdam beatæ MARIÆ Matris Domini interfecit, cujus interfectionis cultellus quamvis frequenter extersus, arena confricatus, & aqua lotus fuisset, sanguinem stillare non desiit, quousque peregrinus inventus sepelitur, & suspenditur homicida.

MCCLXII. PALEOLOGUS.

YZABELLIS filia Regis Arragoniæ apud Claromontem in Avernia PHILIPPO sancti Regis Franciæ LUDOVICI primogenito desponsatur, propter quod matrimonium Rex Arragoniæ in signum pacis & concordiæ quam habere de cetero erga Regnum Franciæ intendebat, quittavit Francorum Regibus in perpetuum quidquid in civitatibus Carcassona, Bliteris * & Amiliano possidebat, & vicissim Rex Franciæ Arragonum Regibus dedit quidquid in Comitatibus de Besudo, Ampuria, Rocilione, Barcinona & Cathalonia reclamabat se habere.

* l. Biterris

Marsilienses consilio, ut dicebatur, & auxilio BONIFACII domini cujusdam castri fortissimi, quod dicunt Castellena, in Provincia, contra dominum suum CAROLUM Andegavensem & Provinciæ Comitem rebellantes, iterum gentes suas urbis custodiæ deputatas crudeliter occiderunt; quod cùm audisset Carolus, contractis undecumque Francorum copiis, primò castrum Bonifacij aggressus, illud tormentorum ictibus conquassatum tandem in deditionem accepit; deinde Marsilienses longa obsidione afflictos, & ciborum penuria maceratos, ita perdomuit, ut coacti se ejus redderent voluntati: sed ne tanta rebellionis præsumptio remaneret impunita, omnes illius seditionis principes fecit in communi spectaculo secundum rigorem justitiæ decollari, & terram Bonifacij occupans ipsum à finibus Provinciæ proturbavit. In quo facto se suis hostibus terribilem reddidit, &

famâ celeberrimum per exteras nationes.

MCCLXIII.

HENRICUS Rex Angliæ cùm quædam ſtatuta ad utilitatem Reipublicæ per Regnum ſuum conſilio Prælatorum & Principum ſtatuiſſet, & ea ipſe Rex & Prælati, Barones & Milites totius Angliæ juramento & excommunicatione interpoſita per Prælatos adfirmaſſent firmiter obſervare; id ipſum SIMONEM de Monte-forti Comitem Lyceſtriæ Regis Henrici sororium, qui eorum levitatem in talibus revocandis agnoſcebat, pavitantem ne poſtea revocarent, facere compulerunt, ipſo etiam jurante quòd numquam poſtea revocaret. Cùm autem poſtmodùm minùs providè illa in nihilum deduxiſſent, & id Simonem conſimiliter facere monuiſſent; ille juramenti dignitatem inviolabiliter obſervare volens, inter ipſos diſſenſionis & guerræ materiam miniſtravit. Nam Rex Angliæ HENRICUS, & RICHARDUS Rex Romanorum frater ejus cum parte maxima Baronum Angliæ contra dictum Simonem ob præfatam cauſam exercitum collegerunt. Ipſe verò cum Comite Gloceſtriæ qui ſibi tunc adhærebat, & civibus Londoniæ eiſdem occurrens cum filiis ex adverſo juxta quamdam Abbatiam quæ Lyans nominatur, eos viriliter aggreditur, & diſſipatis omnibus Regem Henricum & ejus filium Eduardum, Regem Romanorum & ejus filium Henricum, cum pluribus aliis ibidem cepit, & honore quo debuit in tali caſu fideliter obſervavit.

CAROLUS Comes Andegavis & Provinciæ, frater ſancti Regis Franciæ LUDOVICI, in Senatorem urbis Romæ eligitur ad vitam. Sanctus Ludovicus Rex Franciæ affectu piiſſimo cupiens pacem componere inter Regem Angliæ Henricum & Barones ſuos, venit apud Boloniam ſupra mare cum GUIDONE Sabinenſi Epiſcopo Cardinali, quem URBANUS Papa pro dicta diſcordia ſedanda in Angliam deſtinabat;

ſed cùm in Angliam intrare non permitteretur, ſanctus Rex Franciæ Ludovicus per nuntios mandavit de Monte-forti Simonem, & habens cum ipſo colloquium cùm à ſuo inflexibilem conſideraret propoſito, liberè permiſit ad propria remeare.

MCCLXIV.

URBANUS Papa MANFREDI Regni Siciliæ invaſoris nequitiam terminare deſiderans, per Simonem ſanctæ CECILIÆ Presbyterum Cardinalem obtulit ipſum Regnum Siciliæ, Ducatus Appuliæ & Calabriæ, cum Capuæ Principatu CAROLO Andegavenſi Comiti fratri ſancti Regis Franciæ LUDOVICI uſque ad heredem quartum liberè poſſidendum, ſi contra dictum Manfredum inſurgeret, & ſanctam Eccleſiam ab ejus invaſione tyrannica liberaret. Quod donum Carolus lætus grataṅter ſuſcipiens, tamquam filius obedientiæ mandatis Apoſtolicis devotè obediens, contra Manfredum arma corripuit, & undecumque potuit expeditionis ſuæ materiam præparavit. Manfredus tamquam ſibi conſcius timens ne de Franciæ finibus egrederentur aliqui qui ipſum diſcuterent in ruinam, majorem partem civitatum Italiæ donis & promiſſionibus, vel alio modo quo potuit confœderationis auxilio ſibi junxit; & propter hoc ibi ſuum quemdam Vicarium moribus ſibi conſimilem nominatum POILEVOISIN cum copiis armatorum hoſtium conſtituit, quatinus urbes ſibi confœderatas ab incurſibus hoſtium cuſtodiret, & exploratores de quibus timebat, ac nuntios omnes ad Romanam Curiam venientes ſecundùm nominis ſui interpretationem ſpoliaret.

Circa feſtum ſancti Remigij URBANO Papa defuncto Romanæ Eccleſiæ centeſimus octogeſimus ſeptimus CLEMENS quartus præſidet. Hic primò habens uxorem & liberos fuit famoſiſſimus Advocatus, & Regis Franciæ Conſiliarius, mortuáque uxore propter vitam & ſcientiam ejus laudabilem fuit Po-
dienſis

diensis Episcopus, & post Narbonensis Archiepiscopus, deinde Sabinensis Episcopus Cardinalis effectus, ac demum Papa; vigiliis, jejuniis & orationibus intentus multas tribulationes, quas suo tempore Ecclesia sustinebat, Deus suis meritis creditur extinxisse. Florebant hoc tempore Parisius insignes Theologi, Frater THOMAS de Aquino Ordinis Prædicatorum, & Frater BONAVENTURA Ordinis Minorum, atque de sæcularibus Clericis Magister GUERADUS de Abbatis-villa & Magister ROBERTUS de Sorbona, qui scholares Parisius primus constituit Sorbonenses.

MCCLXV.

CAROLUS Comes Andegavis & Provinciæ Paschali tempore ex insperato movens de portu Marsiliæ, per maris pericula & inimicorum suorum insidias Romæ navigio est transuectus; quod videntes Romani & etiam omnes qui sui mirabilis modum transitus audierunt, mirabantur dicentes; Quis putas iste erit, quem nec maris pericula nec hostium terrent insidiæ? Etenim manus Domini cum illo erit. Tunc verò à Papa CLEMENTE & toto Populo Romanorum cum honore & ingenti desiderio est susceptus; qui primò urbis Romæ Senatoriam obtinuit ad vitam, & in brevi unctione sacra linitus à summo Pontifice, acclamante populo, *Vivat Rex*, *vivat Rex,* ad titulum Regni Siciliæ Regali diademate coronatur.

EDUARDUS Regis Angliæ HENRICI primogenitus dolo, ut dicebatur, Comitis Glocestriæ de prisione SIMONIS Montis-fortis Comitis Leycestriæ per cursum equi velocissimi evadens, adversus dictum Simonem & ejus complices magnum valde exercitum congregavit, & in festo sancti PETRI ad Vincula dimicantes Simonem & Henricum ejus filium cum multis aliis Eduardus & sui occiderunt. GUIDO verò alter dicti Simonis filius vulneratus capitur, & Rex Henricus & alij qui tenebantur à dicto Simone libe-

rantur. Poſt hæc Eduardus de Londonienſibus & pluribus aliis triumphans, nec fidem nec ſpem datam pluribus obſervavit; ſed crudelitatibus inſerviens, quoſdam in priſione vitam finire fecit, & alios exheredans terras eorum ſuis fautoribus pro parte diſtribuit. Porro corpus dicti Simonis Monachi cujuſdam Abbatiæ, quæ vocatur Enteſem, juxta quam prælium commiſſum eſt, colligentes in ſuam ſepeliendum Eccleſiam portaverunt. Ad cujus tumulum, ut affirmant indigenæ, multi languentium ſanitatis gratiam conſecuti, CHRISTUM approbant ejus Martyrium acceptaſſe.

In Regno Franciæ contra MANFREDUM Siculum Cruce prædicata ROBERTUS Flandrenſis Comitis GUIDONIS filius CAROLI Regis tunc gener, Buchardus Comes de Vindocino & GUIDO Autiſſiodorenſis Epiſcopus cum pluribus aliis Cruce ſignatis circa feſtum ſancti Remigij iter arripiunt, & tranſeuntes quidam per montes Argentariæ, alij per Provinciam, ſimul convenerunt apud Albiam Italiæ civitatem; & inde tranſitum facientes per Lombardiam, cùm Marchiſio Poilevoiſin & Cremona civitas cum pluribus aliis ſibi adhærentibus ad debellandum eos toto conamine præpararent, ipſi viriliter accincti ad prælium caſtra Cremonæ & Brixiæ ſibi contraria deſtruxerunt, & celeriter uſque Romam ad Regem Carolum pervenerunt.

MCCLXVI. CAROLUS.

Per Franciam menſe Auguſto ante diei auroram cometes apparuit, qui verſus Orientem ſuos radios dirigebat. Ex Africa Sarracenorum multitudo quamplurima per anguſtum mare tranſiens in Hiſpanias, & Sarracenis qui inibi morabantur adjuncta, plagam in Chriſtianis maximam exercuerunt; ſed de diverſis partibus Chriſtiani Hiſpaniæ adunati, Sarracenos licèt cum multo ſuorum ſanguine devicerunt. Apud Romam Francigenis contra MANFREDUM Regni

Siciliæ invasorem in auxilium Regis CAROLI congregatis ipse Rex Carolus de Roma cum suis egrediens, terram suorum hostium ingressus est; qui omnes munitiones ante se capiens per pontem de Ceperano, ubi erat ad terram Apuliæ & Laboris introitus, ingressus, usque ad sanctum Germanum accu-learunt, in quo erat propter loci fortitudinem major pars Manfredi exercitus, pervenerunt: quod statim oppidum invadentes, BUCHARDO Comite Vindocinensi Milite strenuissimo insultum præ aliis inferente, & in villam se cum suis imponente, ex insperato castrum capiunt, & inimicos exinde fugere compulerunt. Sic igitur inopinata & subita hujus castri expugnatione peracta, CAROLUS Rex vires colligens & aliquantulum reparato exercitu hostes suos usque Beneventum, ubi confugerant ad Manfredum potenter est insecutus: cum quibus quodam die Veneris mensis Februarij conflictum iniens ante Beneventum in planicie, ipsorum confecit exercitum, Manfredo cum pluribus interfecto, & illius captis majoribus & retentis. Sed & parum pòst uxor Manfredi cum liberis & sorore Regi Carolo est reddita, & post Beneventum Leuteria Sarracenorum civitas ad deditionem cogitur pervenire. Eodem temporis concursu frater Regis Hispaniæ HENRICUS vir potens in rebus bellicis & multum callidus, sed sceleratissimus & in cultu fidei Catholicæ non diligens prosecutor, offenso fratre suo cùm diu apud Regem Tunarum profugus latuisset, audito quòd Carolus Manfredum superasset & dominaretur in Appulia, venit ad ipsum cum pluribus probis & electis militibus qui eum fuerant de Hispania consecuti: quem Rex Carolus gratanter suscipiens eo quod de suo esset sanguine, & in re militari potens & strenuus, illum quamplurimùm honoravit: & quia intentus erat Regni & terræ illius custodiæ, ut quam de novo acquisierat, si posset fieri, in pace conservaret, dictum Henricum ampliùs honorare cupiens urbis Romæ

Senatoriam eidem loco ſui regendam commiſit; ex quo facto poſtea damnum & gravamen non modicum reportavit.

MCCLXVII.

* Bordar

* BOUDDAR Soldanus Babyloniæ & Damaſci Armeniâ vaſtatâ Antiochiam cepit, & tam viris quàm mulieribus captis & occiſis, urbem tam inclytam Sarraceni in ſolitudinem redegerunt. Sanctus LUDOVICUS Rex Franciæ PHILIPPUM ſuum majorem natu filium & ROBERTUM nepotem ſuum Attrebatenſem Comitem cum multis aliis apud Pariſius die feſto Pentecoſtes Milites novos fecit, & eoſdem in craſtino apud ſanctum Areopagitam Dionyſium Regum Franciæ Patronum & totius Galliæ regionis Apoſtolum in peregrinationem ducere dignum duxit. Apud ſanctum Dionyſium in Francia facta eſt Regum Francorum in Monaſterio illo, per diverſa loca quieſcentium, per ſanctum Regem Franciæ Ludovicum & MATTHÆUM Abbatem illius Monaſterij ſimul adjuncta tranſlatio; & qui erant tam Reges quàm Reginæ de genere MAGNI CAROLI deſcendentes ſimul in dextera parte Monaſterij per duos pedes & dimidium ſuper terram cælatis imaginibus elevati poſiti ſunt, & alij procedentes de genere Regis HUGONIS CAPUTII in ſiniſtra.

MCCLXVIII.

CLEMENS Papa obiit, poſt quem Sedes Apoſtolica per duos annos & novem menſes non valuit propter diſſenſionem Cardinalium Pontificem obtinere, unde permotus populus urbis Viterbij, ubi tunc Curia exiſtebat, donec Papam elegiſſent incluſos tenuit Cardinales. PHILIPPUS filius PHILIPPI primogeniti ſancti Regis Franciæ LUDOVICI naſcitur. CONRADINUS filius Conradi filij Frederici Imperatoris Romanorum depoſiti, qui propter patrui ſui Manfredi tyrannidem ad Ducem Bajoariæ

matris ſuæ genitorem confugerat, ipſius Manfredi necem intelligens, in ſpem Regni Siciliæ elevatus cum magna Alemannorum multitudine venit Romam, & adjunctis ſibi Lombardis, Romanis & Tuſcis quamplurimis, more Imperiali à Romanis militibus ſuſceptus eſt; qui parentum ſuorum prava ſequens veſtigia, & excommunicationem Romanorum Pontificum parvipendens, adjuncto ſibi HENRICO de Hiſpania qui urbis Romæ Senatoriam pro Rege novo Siciliæ Carolo gubernabat, adverſus ipſum Carolum magnum exercitum congregavit. Quo CAROLUS intellecto Leutheriæ civitatis obſidione relicta, quæ poſt primam deditionem ipſum offenderat, contra Conradinum & ſuos qui jam verſus Albam Campaniæ urbem proceſſerant occurrens, cum ipſis in campo de Lions dimicavit, & fugientibus de parte ſua Provincialibus, & multis aliis exteræ nationis ante Henricum de Hiſpania Senatorem, Carolus cum ſuis Francigenis qui ſecum remanſerant confecit aciem Conradini: Henricus autem fugatis Provincialibus de fuga rediens, & in manu ſua putans Carolum jam habere, ab ipſo devictus in prælio fuga elapſus eſt; qui poſtea ad Montem-Caſſinum deveniens captus fuit, & Regis Caroli redditus poteſtati: quem quia captus in ſacro loco fuerat, vel ne Abbas de Monte-Caſſino, ut dicitur, qui ipſum reddiderat, irregularis fieret, aut ob reverentiam fratris ſui Regis Hiſpaniæ Caroli Regis conſanguinei unius Rex Carolus in carcere reſervavit. Conradinus autem qui latenter evaſerat repertus poſtmodùm, & quidam alij viri potentes de genere Manfredi, Caroli Regis judicio decollantur. Et hoc facto poſt dies paucos tota Apulia, Calabria & Sicilia Regis Caroli dominio ſe ſubmittunt. RICHARDUS Rex Romanorum obiit; ſed quia uſque ad annos quatuor vacavit Regis electio, nos eidem annos attribuimus ſubnotatos.

MCCLXIX.

BLANCHA sancti Regis Franciæ LUDOVICI filia missa fuit à patre in Hispaniam FERDINANDO Regis Castellæ primogenito desponsanda tali pacto, eo quòd Rex sanctus Franciæ LUDOVICUS debebat in Regno Hispaniæ ratione matris suæ jus habere legitimum, quòd puer eorum primogenitus de ipsa Blancha postmodum procreandus nullius fraternitatis successione præjudicium inferente, avo vel patre mortuis, Castellæ Regnum pacificè obtineret.

Sanctus Rex Franciæ Ludovicus non perterritus expensis & laboribus quas & quos olim fecerat ultra mare; iteratò cum tribus filiis JOHANNE Nivernensi & PETRO Allensonis Comitibus, PHILIPPÓQUE primogenito atque nepote suo ROBERTO Comite Attrebatensi, & Rege Navarræ Comite Campaniæ THEOBALDO, cum multis aliis Regni sui Baronibus, Militibus & Prælatis propter terræ sanctæ subsidium iter transmarinum mense Martio arripuit, relinquens ad sui Regni custodiam sancti DIONYSII in Francia Abbatem MATTHÆUM, virum religiosum & discretum, & cum eo sapientem Militem & fidelem SIMONEM Clarimontis dominum de Nigella. Verùm ad hoc ut terra sancta recuperaretur faciliùs, incidit Regi & suis consilium ut Regnum Thunicij, quod consistens in medio non parum dabat transfretantibus impedimentum, Christianorum subjiceretur primitus potestati; quod * cùm illuc cum maxima difficultate & magno maris periculo transfretassent, statim portum & Carthaginem quæ prope Tunicum redacta est in parvum oppidum, de facili occuparunt.

f. * cumque

MCCLXX.

Mense Augusto apud Carthaginem circa maris confinia gravis viguit infirmorum mortalitas in exercitu Christiano, & nimis invalescens, primò Regis

Franciæ filium JOHANNEM Comitem Nivernensem, pòst Legatum Romanæ Curiæ Episcopum Albanensem, & demum in crastino festi sancti Bartholomæi Apostoli sanctum Regem Franciæ LUDOVICUM, cum multis aliis Baronibus, Militibus & plebanis de medio sustulit & accepit. Sed quàm feliciter Rex sanctus migraverit ad Dominum, non puto hîc omittendum: Nam in infirmitate positus laudare nomen Domini non cessans, Sanctorum sibi devotorum, maximè sancti Dionysij Martyris specialis Patroni sui, sicut eniti loquendo poterat, suffragia postulabat, unde laborans in extremis, audierunt qui adstabant illum pluries replicantem cum quodam suo susurro finem orationis illius quæ de sancto Dionysio decantatur, scilicet; *Tribue nobis, Domine, prospera mundi despicere, & nulla ejus adversa formidare*; & orans pro populo quem secum adduxerat, dicebat; *Esto Domine plebi tuæ sanctificator & custos:* suspiciénsque in cælum aiebat: *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor tibi, Domine.* Et hoc dicto in Domino obdormivit. Cui Philippo ejus filio in castris subtus Carthaginem succedenti, omnes Barones & Milites qui præsentes tunc aderant, de Regno Franciæ fidelitatem & homagium juraverunt.

Cùm autem de morte ipsius Christianorum exercitus turbaretur, CAROLUS Rex Siciliæ bellator egregius, pro quo adhuc vivens miserat frater suus Rex Franciæ Ludovicus, navigio cum magna militia tunc advenit, de cujus adventu Christianis gaudium, Sarracenísque tristitia est adaucta: & cùm multo plures viderentur Sarraceni quàm Christiani, nullatenus tamen audebant generali bello cum eis congredi, sed per quasdam astutias multa ipsis incommoda inferebant. Ad ultimum autem cùm vidissent, quòd Christiani machinis paratis, & variis instrumentis ad pugnandum necessariis Tunicum per terram & aquam intenderent oppugnare, timore perterriti pacta cum nostris facere tentaverunt; inter quæ dicuntur hæc

fuisse præcipua, scilicet, ut omnes Christiani qui in Regno Tunicij captivi tenebantur liberè redderentur, & quòd Monasteriis ad honorem Christi per omnes civitates Regni illius constructis, fides Christiana per quoscumque Prædicatores Catholicos prædicaretur, & baptizarentur volentes pacificè baptizari; atque solutis expensis quas ibi Reges fecerant & Barones, Rex Thunicij tributum solitum Regi Siciliæ debitum restauraret. Pactis igitur & conditionibus sic utrimque firmatis & initis, Rex Franciæ & Optimates exercitus Christiani videntes exercitum morbi contagio diminutum decreverunt, priùs præposito juramento de reditu in terram sanctam ad gentem Sarracenicam expugnandam, per Regnum Siciliæ & terram Italiæ redire in Franciam, & postea reparatis viribus & Rege Franciæ coronato, induere fortitudinem ad expugnandum fidei inimicos. Dum Christianorum exercitus remearet ad propria de Regno Thunicij, quamplurimi tempestate oceani agitati in portu Traparum Siciliæ perierunt, & plures pedestri itinere moriuntur, scilicet Rex Navarræ THEOBALDUS & ejus uxor filia sancti Ludovici, Regina Franciæ, IZABELLIS de Arragonia, ALPHONSUS Comes Pictaviæ & uxor ejus, & multi alij magni nominis Milites & Barones. EDUARDUS Regis Angliæ Henrici primogenitus, qui tardiùs aliis ad obsidionem Thunarum convenerat, post præfatam compositionem cum Rege Thunarum initam, nolens adhuc ad propria remeare, cum quibusdam Militibus de Regno Franciæ votum quod incœperat volens, si posset, perficere, ad partes Syriæ in Accon ut Christianitati succurreret, transfretavit.

PHILIPPUS. MCCLXXI.

Eodem temporis concursu, dum PHILIPPUS Rex Franciæ in regressu de Thunico Cardinales Romanæ Curiæ, qui inclusi donec Papam elegissent apud Viterbium tenebantur, visitaret; venerat tunc ad

ad Curiam HENRICUS de Allemannia defuncti RICHARDI Romanorum Regis filius, propter Regnum quod pater suus habuerat, si posset facere, obtinendum. Quod agnoscens GUIDO filius de Monteforti SIMONIS à filio Regis Angliæ EDUARDO in prælio perempti, qui filiam RUFI Comitis Tusciæ juxta partes illas desponsaverat, ipsum Henricum insidiis circumventum in Ecclesia sancti LAURENTII de medio suorum evellere putans nec prævalens, ibidem primitùs ictu cultelli transfodit, & tractum postea ante fores Ecclesiæ, licet junctis manibus, ut sibi parceret, obsecrantem per latera ter vel quater feriens de cultello penitus interfecit; statímque septus equitum comitatu quem priùs sibi paraverat ab urbe Viterbij recessit, & ad patrem uxoris suæ Comitem Tusciæ se transtulit. Et quoniam præsente Rege Franciæ in urbe hoc scelus perpetraverat, ejus offensam & indignationem incurrit, & Ecclesiæ Romanæ judicium, cujus vindictæ propter hoc ipsum oportuit postmodum subjacere; nam in pœnam tanti sceleris decrevit Ecclesia, ut in castello fortissimo donec ad tempus sibi misereretur sub arcta custodia teneretur.

PHILIPPUS Rex Franciæ reversus de Thunis in Franciam cum ingenti solemnitate & honore maximo fecit ossa patris sui Regis sanctissimi LUDOVICI, uxoris suæ & fratris Comitis Nivernensis die Veneris ante Pentecostem apud sanctum Dionysium in Francia, ubi sepulturam elegerant, sepelire; ad cujus Regis tumulum mox de diversis partibus venientes multi variis languoribus ægrotantes, fuerunt per sancti Regis merita sanitatis beneficio restituti. JOHANNES de Curtiniaco Remensis Archiepiscopus obiit, cui successit Petrus Barbez Archidiaconus Dunensis in Ecclesia Carnotensi. Mense Augusto in crastino festi decollationis sancti Johannis Baptistæ Remis PHILIPPUS Rex Franciæ coronatur. Sepulto apud Pruvinum in Bria THEOBALDO Rege Navarræ Comitéque Campaniæ cum uxore sua, HENRICUS

ejus frater sibi succedens duxit postmodum in uxorem ROBERTI Comitis Attrebati sororem, neptem videlicet sancti Regis Franciæ LUDOVICI, de qua postea JOHANNAM Reginam Franciæ generavit.

Quidam Harsacida in Accon ad EDUARDUM filium Regis Angliæ perimendum missus, dum cum eo quasi nuntius in secreto thalami loqueretur, ipsum cultello percutiens toxicato lethaliter vulneravit, ita quòd in veneni diffusione interiora corporis occupante maius periculum immineret, quàm in sola vulnerum cicatrice; quem mox Eduardus quasi furibundus arripiens, in ipso injuriam suam morte crudelissima vindicavit, & in brevi postea convalescens, audito quòd pater suus Henricus Rex Angliæ decesserat, parato navigio discessit de Accon, & applicans in Regno Franciæ per ipsum transuectus in Angliam, in Regem pacificè coronatur.

MCCLXXII. EDUARDUS.

Romanæ Ecclesiæ centesimus octogesimus octavus GREGORIUS decimus præsidet. Eodem tempore REMUNDUS Bernardi Comes Fuxinensis in quodam oppido Regis Franciæ vi armorum irruptionem faciens, quemdam sibi adversarium persequendo plures gentes sui adversarij, & multos de Regis familia qui ejus adversarium tuebantur, in ipso oppido interfecit; propter quod Rex Franciæ PHILIPPUS exercitu adversus dictum Comitem Tholosanis in partibus congregato, castrum ejus Fuxinense aggressus est, & dum viam quæ equis & hominibus arcta erat, celtibus rupes discindendo faceret dilatari, Comes timens Regis fortitudinem ad ipsum humiliter & devotè veniens, indulgentiam petiit de commissis: quem Rex suorum consilio apud Bellum-quercum ligatum in vinculis destinavit, & ibidem in prisione fecit eum per anni spatium custodiri. Castrum autem Fuxinense, & alia Comitis castella muniens Rex gente sua, ea ad opus Regni voluit in manu sua usque

ad tempus congruum reservari. GASTO quidam nobilis de Biardo vir præpotens illis in partibus, cujus filiam Fuxinensis Comes habebat in conjugem, audito quòd Regis Franciæ indignationem & iram incurrisset, eo quod diceretur per ejus consilium Fuxi Comitem rebellasse, venit ad Regem trepidus, & genu flexo junctísque manibus, suppliciter exoravit ne hujus facinoris sine causa sibi impositi suspectus de cetero haberetur, promittens se purgaturum scuto & lancea, vel modo alio quo Palatinorum sententia judicaret; qui in tali statu deprecans diu Regem, vix tandem obtinuit ut suspicione sopita, Rex sibi veniam indulgeret.

MCCLXXIII.

RADULFUS de Alsacio Comes Rufus Rex Romanorum efficitur. JOHANNES de Solliaco Bituricensis Archiepiscopus obiit, post quem Decanus Parisiensis GAUFRIDUS de Ponte Cheuroni electus, antequam confirmatus vel consecratus fuit, defunctus est; cui SIMON de Bello-loco in Bria Carnotensis Archidiaconus successit. Comes Fuxi Regi Franciæ reconciliatus recepit terram suam, & ab ipso Rege efficitur Miles novus. PETRUS Comes Allensonis Regis Franciæ PHILIPPI frater accepit in conjugem JOHANNAM JOHANNIS Comitis Blesensis filiam.

RADULPHUS. MCCLXXIV.

Apud Lugdunum Galliæ urbem Concilium solemne celebratur à Papa GREGORIO, in quo multa Ecclesiæ utilia statuuntur, scilicet de terræ sanctæ subsidio, de electione summi Pontificis & statu Ecclesiæ universalis. In hoc autem Concilio Græcorum & Tartarorum solemnes nuntij adfuerunt, ubi Græci redire ad unitatem Ecclesiæ promittentes, in signum hujus rei Spiritum sanctum procedere à Patre & Filio sunt confessi, Symbolum cum aliis in præsenti Con-

cilio decantantes. In eadem verò ſacra Synodo plures Mendicantes Ordines ſunt quaſſati, & bigami qui tonſuram clericalem tunc temporis deferebant, ferre de cetero ſunt prohibiti, & uti privilegio clericali. Numerus verò Prælatorum qui ibidem adfuerunt quingenti Epiſcopi ſexaginta, Abbates & Prælati minores alij circa mille. PHILIPPUS Rex Franciæ ſecundam uxorem accipiens MARIAM ſcilicet ſororem Ducis Brabantiæ, eam die Martis infra octabas Aſſumptionis beatæ Virginis Genitricis Domini deſponſavit. PETRO de Charniaco Senonenſi Archiepiſcopo defuncto, ſucceſſit eidem GILO Cornuti præcentor Eccleſiæ Senonenſis. Rege Navarræ Comitéque Campaniæ HENRICO apud Pampilonem mortuo, uxor ſua quæ unicam habebat ex illo filiam, adhuc in cunis poſitam accipiens, cum illa celeriter in Regno Franciæ ſe recepit; quam Rex Philippus ejus conſanguineus libenter ſuſcipiens, fecit ejus filiam cum ſuis pueris apud Pariſius educari, terrámque puellæ in ſua ponens cuſtodia miſit celeriter in Navarram EUSTACHIUM de Bello-mareſcaſio * probum Militem & diſcretum, qui tamquam cuſtos & totius Navarræ gubernator Regnum illud in manu regia conſervaret.

* *Beaumarchez.*

MCCLXXV.

MARIA Regina Franciæ in feſto ſancti Johannis Baptiſtæ apud Pariſius coronatur & inungitur in Reginam; quam quia PETRUS Remenſis Archiepiſcopus illam inunxerat, GILO Senonenſis Archiepiſcopus in ſuæ Senonenſis Eccleſiæ præjudicium fieri conqueſtus eſt. Nam, ſicut legitur, in quadam Ivonis Epiſcopi Carnotenſis Epiſtola, ad Archiepiſcopum ſedis Belgicæ, quæ eſt Remis, non pertinet extra ſuam provinciam Regum inunctio vel etiam Reginarum. Super quo ex parte Regis fuit allegatum, quòd factum non fuerat unde poſſet conqueri Senonenſis Archiepiſcopus, cùm Capella domus Regis

exempta foret Parisius, & ideo ratione loci ad ipsum inunctio non spectabat. EUSTACHIUS Miles de Bello-Marescasio quem Rex Franciæ PHILIPPUS miserat in Navarram ad Regnum illud pacificè conservandum, dum vellet aliquas consuetudines Navarrorum injustas in melius commutare; inter ipsos contentione exorta à Majoribus illorum apud Pampilionem in castri forteritia obsidetur. Ad quem liberandum Comes Attrebati ROBERTUS inclytus ex parte Regis Franciæ missus cum copioso exercitu armatorum, Pampilionem in brevi expugnans, Eustachium & gentes suas potentissimè liberavit, & Principes seditionis puniens, res Navarræ in melius immutavit. Dum ALMARICUS Clericus de Monteforti, filius Comitis Leycestriæ Simonis de Monteforti ab Anglicis interfecti, sororem suam unicam per mare duceret LOELINO Principi Walensium desponsandam, Rex Angliæ EDUARDUS hoc agnito, illos cum gente sua capi fecit, & eosdem in prisione sua diu sub arcta custodia mancipavit. GREGORIO Papa defuncto Romanæ Ecclesiæ centesimus octogesimus nonus INNOCENTIUS quintus præsidet: Hic de Ordine Fratrum Prædicatorum assumptus, Frater Petrus de Tarentasi vocabatur.

MCCLXXVI.

LUDOVICUS primogenitus Regis Franciæ PHILIPPI obiit, & in Ecclesia sancti Dionysij in Francia sepelitur. Venerunt ad Regem Franciæ Philippum nuntij Tartarorum ab extremis finibus Orientis, dicentes eidem quòd si in partes Syriæ quia Cruce signatus erat, contra Sarracenos proponeret transfretare, Rex ipsorum consilium gentis suæ totaliter & juvamen fideliter promittebat. Si verò veri nuntij, aut exploratores fuerint, Deus novit; non enim erant Tartari natione nec moribus, sed de secta Georgianorum Christiani, quæ natio Tartaris totaliter est obediens & subjecta. Ipsi autem apud sanctum

Dionysium in Francia à Rege missi, ibidem solemnitatem Resurrectionis Dominicæ peregerunt; & postea ut dicebatur, causa consimili ad Regem Angliæ transierunt. Mortuo FERRANDO primogenito ALPHONSI Regis Hispaniarum filio, qui BLANCHAM sancti Franciæ LUDOVICI Regis filiam habebat in uxorem, Rex pater illius adversus duos filios quos de Blancha uxore sua genuerat iniquè agens, contra pactum initum cum Rege Franciæ, eosdem à successione Regni sui totaliter privavit, & matrem ipsorum sine dote & honore, retentis ejus pueris, ad fratrem suum Regem Franciæ PHILIPPUM qui ipsam mandaverat, quasi invitus permisit in Franciam remeare. LOELINUS Princeps Walensium, intellecto quòd Rex Angliæ EDUARDUS cepisset & teneret in carcere puellam quæ sibi matrimonio compulanda ducebatur, contra Regem Angliæ fortiter debellavit, & quemdam montem longum & arduum in terræ suæ confinio, quem dicunt Senaudone forti, adversus eum non minimè roboravit; sed Rex ipsum tempore hyemali obsidens, cùm multos de suis amisisset propter paludium & viarum angustias, tandem ab incepto non desinens ad deditionem coegit Principem pervenire, & pacto cum ipso inito quòd Principatus Walensium post ejus interitum ad suos heredes minimè deveniret, terram & uxorem reddidit, & eam in sua præsentia fecit eidem maritali fœdere copulari. ALMARICUM verò quia Clericus erat Prælatis Angliæ reddens, non suo sed Prælatorum nomine fecit postea per longum tempus sub arcta custodia reservari. INNOCENTIO Papa defuncto, Romanæ Ecclesiæ centesimus nonagesimus ADRIANUS quintus natione Januensis præsidet; sed cùm Mense uno & diebus novem sedisset defungitur. Post quem Romanæ Ecclesiæ centesimus nonagesimus primus JOHANNES vicesimus natione Hispanus successit.

MCCLXXVII.

JOHANNES Papa cùm ſibi vitæ ſpatium per annos plurimos extendi quæreret, & hoc etiam coram multis ſæpè aſſereret, ſubitò cum nova camera, quam pro ſe Viterbij circa palatium ædificari fecerat, ſolus corruit, & inter ligna & lapides colliſus ſexta die poſt caſum hujuſmodi Sacramentis Eccleſiaſticis operibus perceptis expirans, in Eccleſia ſancti Laurentij ſepultus eſt. Poſt quem Romanæ Eccleſiæ centeſimus nonageſimus ſecundus NICOLAUS tertius natione Romanus de genere Urſinorum præſidet. Tyberis Romanæ urbis fluvius in tantum ſuos tranſcendit alveos, quòd ſupra altare beatæ MARIÆ Rotundæ per quatuor pedes & ampliùs viſus eſt excreviſſe. PETRUS de Brocia Regis Franciæ Cambellanus magnus, vir apud dominum ſuum & Regni ejus Principes quamplurimùm honoratus, apud Pariſius communi latronum patibulo eſt ſuſpenſus, cujus cauſa mortis incognita apud vulgus magnam admirationis & murmurationis materiam miniſtravit.

MCCLXXVIII.

CAROLUM Regem Siciliæ Papa NICOLAUS à Vicaria Tuſciæ removens, conſtitutiones fecit tam de electionibus Prælatorum quàm de electione Senatoris urbis Romæ, & ſe Senatorem ad vitam fieri procurans, Senatoriam juſſit per ſuos parentes ferè per duos annos regi. Filia Principis Anthiochiæ MARIA dicta, de Jeruſalem in Francia exulans, jus Regni Jeruſalem quod ſibi competebat Carolo Regi Siciliæ contulit, eo pacto quòd quandiu ipſa viveret ipſe eidem annuatim quatuor millia librarum Turonenſium ſuper proventus reddituum Comitatus ſui Andegaviæ aſſignaret. Cancellarius Pariſienſis Magiſter JOHANNES de Aurelianis, cui Papa Nicolaus per ſuas patentes litteras vacantem Pariſienſem Epiſcopatum contulerat, reſignavit, & ſæculo valefaciens Fra-

trum Prædicatorum Ordinem ingreſſus eſt.

MCCLXXIX.

Bendocbar Soldanus Babyloniæ, qui urbem Antiochiæ deſtruxerat & Chriſtianitati in partibus illis multa mala contulerat, innumerabili congregato exercitu in Turquia contra Tartaros conflictum habuit; ſed maxima parte ſui exercitus cæſa ipſe lethaliter ſauciatus redire compellitur in Damaſcum, nec multo poſt mortuo, ſucceſſit ſuus ſibi filius; ſed non diu illo pacificè dominio functus fuit. Plures enim Admiralium Majores adverſus eum conſpirantes, ipſum in caſtello fortiſſimo vocato le Crac juxta Babylonem cum ſuis obſederunt, unde inter eos tanta paulatim pullulavit diſcordia, quòd ſe ubíque alterutrum occidebant.

Miſſo à Papa Nicolao quodam ad Carolum Regem Siciliæ Cardinali, ut ſuper Tuſciæ amota ſibi Vicaria patientiam ejus animi attentaret; audito quod Carolus ejus nuntium cum honore & reverentia ſuſcepiſſet, & eidem pacificè & modeſtè reſpondiſſet, dixiſſe fertur: *Fidelitatem Carolus habet à domo Franciæ, ingenij perſpicuitatem à Regno Hiſpaniæ, diſcretionem verborum à frequentatione Romanæ Curiæ: poſſemus aliis prævalere, iſtum autem non valebimus ſuperare.* Mortuo Balduino Imperatore dejecto, Philippus ejus filius filiam Caroli Regis Siciliæ deſponſavit, de qua Catherina filia ejus unica procreatur.

MCCLXXX.

Philippus Rex Franciæ ferens graviter & dedignè, quòd Rex Alphonsus Hiſpaniæ ſororem ſuam Blancham inhonorificè ſibi in Franciam deſtinaſſet, magnum adverſus eum apud urbem Gaſconiæ Baïonam exercitum congregavit; ſed dum Hiſpanias intrare nititur, juſſu & mandato Nicolai Papæ præpeditus redire inefficax compulſus eſt. Defuncto Papa Nicolao, poſt quinque menſes & viginti dies

dies Romanæ Ecclesiæ centesimus nonagesimus tertius MARTINUS quartus natione Francus præsidet. Secana flumen Galliæ sic suos transcendit alveos, quòd duas archas majores magni pontis Parisius, & unam consimiliter parvi pontis fregerit, & totam urbem exteriùs ita accinxerit, ut nequiret à parte sancti Dionysij sine suffragio ingredi batellorum; & hæc aquæ illuvies circa festum Epiphaniæ inundavit.

PETRUS Rex Arragonum navigium parans adversus CAROLUM Regem Siciliæ Siculorum monitu, & uxoris quæ filia MANFREDI fuerat Regni Siciliæ invasoris, ne perciperetur quod malè conceperat, misit ad Romanam Curiam solemnes nuntios, fingendo significans quòd cum sumptuoso & sollicito apparatu ad servitium Dei & Ecclesiæ & exaltationem fidei Catholicæ versus Africam super Barbaros potentiæ suæ brachium dirigebat. Hanibaldenses de alto sanguine Romanorum procreati, Nicolai Papæ audito interitu, convocata sua parte, Capitolij & cercocharium urbis Romæ existentium sub custodia Vicariorum quos idem Papa constituerat, invitis Ursinis in civitate par dominium habuerunt; ita quòd ex pacto inter eos habito, unus partis Hanibaldensium, & alius ex parte Ursinorum fuerunt in Capitolio Senatoris gerentes officium constituti, sub quorum regimine multa homicidia, plurimæque dissensiones, & alia mala quamplurima sunt in urbe & ejus districtu habita, nec punita.

MCCLXXXI.

Papa MARTINUS eligitur in Senatorem ad vitam, qui loco sui CAROLUM Regem Siciliæ constituens, de domo ejus sive familia assumpsit Milites ad regendum patrimonium sancti PETRI, quos cum stipendiariis Francigenis ferè octingentis in Romaniolam destinavit contra GUIDONEM Comitem Montis-feltri, qui terram Romanæ Ecclesiæ occupatam illis in partibus detinebat. Apud Urbem Vete-

rem orta fuit magna dissensio inter cives & gentes Caroli Regis Siciliæ, ita ut mortem ad Gallicos proclamarent, & hoc totum factum est per urbis Capitaneum Jamerium qui assensum suis civibus tribuebat; sed ad arma Francigenæ concurrentes plurimos de ipsis occiderunt, & tunc necessitate cogente prædicta dissensio sopita est. Mense Februario piscis marinus in leonis effigie captus, apud Urbem Veterem ubi erat Papa & Curia deportatur; sed quia in sua captione horribiles planctus emiserat, hoc multi signum aliquod futurorum exinde fieri asserebant.

In Regno Siciliæ Pannormitani & Messanenses rabie succensi adversus CAROLUM Regem & Gallicos in eadem Insula commorantes, tam mares quàm feminas, senes & juvenes in Regis contemptu Caroli occiderunt; & quod fuit detestabilius, latus aperientes mulierum prægnantium, quæ dicebantur à Gallicis concepisse, partus peremerunt antequam nascerentur.

LOELINUS Princeps Gallensium contra Regem Angliæ EDUARDUM iterum rebellans, fecit gentes ejus & subditos per Gallas in custodiis existentes per fratrem suum DAVID omnes occidere; quod Rex ægrè ferens protinus terram Gallensium cum magna potentia intrans, Loelini Principis & David fratris ejus capitibus præcisis, Gallas suæ subdidit ditioni. Morte suorum Siciliæ Rex audita, filium suum Salernæ Principem nominatum CAROLUM misit statim in Franciam pro succursu, & ipse Faro cum pluribus transito, obsedit interim Messanenses; quos dum impugnare nititur, ecce PETRUS de Arragonia, qui versus Africam latitabat, à Siculis tamquam eorum dominus & defensor præcipuus evocatus, Siciliam contra domini Papæ inhibitionem cum manu valida subintravit: qui mox insulam totam Siciliæ rebellare faciens, fecit se in contemptum Caroli & Romanæ Ecclesiæ in Regem Siciliæ coronari, mandans Carolo in obsidione Messanensium occupato quòd de Regno

ſuo exiens tempeſtivè non præſumeret Meſſanenſes ampliùs expugnare; quo Rex Carolus intellecto, conſilio quorumdam ſibi adhærentium ad plana ſancti Martini proditus, ut aiunt, in Calabriam ſe retraxit.

Pariſius inter Clericos nationis Picardiæ & ibidem ſtudentes Anglicos tanta fuit orta diſcordia quòd ſtudium deficere crederetur; nam domos Picardorum Anglici confringentes, & aliquos occidentes, extra Pariſius Picardos fugere compulerunt.

MCCLXXXII.

Pridie Kalendas Maij JOHANNES de Apia Miles, & domini Papæ MARTINI ſtipendiarij contra GUIDONEM de Monte-feltri hoſtiliter progreſſi, civitatis Forilivij burgum capiunt, & ibidem uſque in craſtinum commorantes, mane tres acies ordinaverunt ante faciem civitatis: quod videntes adverſarij ſuos emiſerunt diverſimodè bellatores, ut plus aſtutiâ quàm bello conterere Johannem & ſuos prævalerent. Currentibus inſimul aciebus fit acre prælium, in quo cecidit Comes THADÆUS nobilis pugil Eccleſiæ cum quingentis ferè Francis, & ex adverſa parte tam nobiles quàm ignobiles mille quingenti & amplius occiſi ſunt. Tandem nocte ſuperveniente ſuperſtites ad partem ſuam ſe retraxerunt, & ſic nullis eſt victoria attributa.

Solemnis inquiſitio fit de vita & miraculis ſancti Regis Franciæ LUDOVICI. Soldanus Babyloniæ fugatus à Tartaris per octo dietas & ampliùs quingenta ferè millia de ſuis amittens, iterum vires reſumpſit, & ſic fugans Tartaros triginta millia ex illis dicitur occidiſſe.

PETRUM Arragoniæ Regem qui contra Eccleſiæ Romanæ inhibitionem fecerat ſe in Regem Siciliæ coronari, & fuerat propter hoc excommunicationis vinculo innodatus, MARTINUS Papa per ſententiam privavit à Regno Arragoniæ, & ab his omnibus

quæ ab illo de Romana Ecclesia in feodum tenebantur, ejúsque vassallos ab ipsius fidelitate absolvens, Regnum Arragoniæ cum suis pertinentiis CAROLO Regis Franciæ PHILIPPI filio, nepoti scilicet dicti Petri, contulit & concessit. Princeps Salernæ CAROLUS Regis Siciliæ filius, qui missus in Franciam pro succursu fuerat, reversus est in Appuliam cum magna Nobilium comitiva, inter quos PETRUS Allensonis Comes Philippi Regis Franciæ frater, Comes Attrebati ROBERTUS, Comes Boloniæ, Comes Domni-Martini JOHANNES & Comes Burgundiæ OTHELINUS cum multis aliis advenerunt.

PETRUS Rex Arragoniæ succursum præagnoscens de Francia Regi Carolo advenisse, ut dolo potiùs vel artis industria quàm aliquo bellandi genere contra Regem Carolum dimicaret, & se & suos ad bellum interim præpararet, hujusmodi belli pactum Carolo demandavit, scilicet ut haberet quilibet centum quos vellet & posset Milites in planis Burdegalis obtinere, centum contra centum ad pugnandum ad invicem præparatos, inter quos ipsi duo debebant Petrus & Carolus computari, & qui victus fieret infamis perpetuò & absque Regis nomine remaneret, uno contentus de cetero serviente qui cum eo solus incederet; non veniens ad prædictum locum die prima Junij * anni subsequentis sic paratus, similes pœnas & etiam perjurium incurrebat.

* Julij

MCCLXXXIII.

GUIDO de Monte-forti à custodia qua diu detentus fuerat per Papam MARTINUM liberatus, ab eodem Pontifice in suorum auxilium missus est in Romaniolam; cui terras & civitates Ecclesiæ quas GUIDO de Monte-feltri occupaverat statim restituens, juravit se mandatis Ecclesiæ pariturum. Sic igitur terrâ Romaniolæ ad mandatum Papæ pacificè reversâ exceptâ civitate Urbinati, Guido de Monte-forti

hoſtiliter illam aggreſſus, quidquid extra muros reperit accipit & devaſtat.

Prima die Junij CAROLUS Rex Siciliæ apud Burdegalas pugnaturus contra PETRUM Arragoniæ Regem venit modo quo ſibi mandaverat præparatus, ſed non auſus accedere dictus Petrus ut promiſerat, nocte tamen adveniens ſtatutam diem præcedenti cum duobus ſociis, ut tradunt aliqui, loco privato & remoto locutus eſt cum Burdegalis Seneſcallo, prætendens quòd ſervare non poterat pactum ſuum, nec auderet propter fortitudinem Regis Franciæ qui ibidem advenerat imminentem. Quo, ut dictum eſt, minimè comparente Rex Carolus cum Rege Franciæ Philippo nepote ſuo in Franciam ſe retraxit, & ibidem moram traxit uſque ad menſem Martium ſubſequentem. Quidam Miles ab Hiſpania JOHANNES Minimus nominatus Regis Franciæ ſtipendiarius à parte Navarræ Regnum Arragoniæ invaſit, & Petro abſente auxiliúmque ſibi perquirente plura oppida Regni ipſius occupavit.

Comite RUFO Tuſciæ defuncto GUIDO de Monte-forti, qui filiam ejus habebat in conjugem, de Papæ MARTINI licentia, obſidione Urbinatis relicta, exercitu dimiſſo, in Tuſciam ſe tranſtulit, & terram quæ ſibi obvenerat ratione conjugis ſuæ contra Comites Floræ & Anguillariæ qui eam impetebant viriliter defenſavit, & gentes illorum quamplurimos interfecit. CAROLUS Rex Siciliæ Regi & Regno Franciæ valedicto, in terram ſuam Appuliæ reverſus eſt; cujus adventum Siculi agnoſcentes, cum viginti ſeptem galeis armatis gentibus munitis venerunt prope Neapolim, proferentes multos clamores & belli indicia quibus poſſent aliquos ante Regis Caroli adventum offendere, & moverent filium ejus & ibidem exiſtentes Francigenas ad pugnandum. Quos audiens Princeps Salernæ CAROLI Regis filius, qui dimiſſo Comite Attrebatenſi ROBERTO in Calabria certis de cauſis illuc advenerat,

motus & incitatus clamoribus eorumdem, damnosè sumens audaciam cum suis intravit galeas, & ipsos fortiter aggressus est; sed quia navalis prælij gens sua ignara extitit, & fraude nautarum potiùs deceptus, ut dicitur, devictus & captus apud Messanensem urbem ducitur captivandus: quarta verò die sequenti Carolo patre ejus adveniente Neapolim, Neapolitanos qui jam post Principis captionem spiritum rebellionis conceperant, & gentes suas inde expulerant castigavit, & eos à suis permisit sequacibus cruciari. Tandem parato exercitu versus Regium urbem Calabriæ ubi erat Comes Attrebati nepos suus se transtulit, Farum transire cupiens, ut Messanam urbem Siciliæ obsideret; sed non valens quod conceperat adimplere, vasa sua navalia in portu Brundusij, ne per flatus hyemales frangerentur, aut ne ab inimicis capi contingeret, destinavit.

MCCLXXXIV.

Comes Joviniaci illustris Francigena, qui in obsidione remanserat Urbinatis, contra instructionem Guidonis Montis-fortis faciens assultum ad urbem, ibidem extitit interfectus. PHILIPPUS Regis Franciæ PHILIPPI filius major natu in festo Assumptionis beatæ Virginis Matris Domini Miles novus efficitur, & in crastino JOHANNAM filiam defuncti Regis Navarræ Comitísque Campaniæ HENRICI apud Parisius desponsavit. In Vigilia sanctæ CATHARINÆ Virginis tanta fuit venti vehementia de nocte, quòd multæ domus multáque Monasteriorum clocheria, & multæ fortes & magnæ arbores per Regnum Franciæ corruerunt. Septimo die mensis Januarij CAROLUS Rex Siciliæ defunctus est, cujus mortem Papa MARTINUS intelligens lugubres dies cum suis Cardinalibus, sicut licuit, celebravit; & quia idem Princeps Carolus captivatus patri postea successit in Regno, nos eidem annos usque ad coronationem suam attribuimus subnotatos. Mense

Martio PHILIPPUS Rex Franciæ adverſus Arragones excommunicatos à Papa iter arripuit, ut Regnum Arragoniæ ſuo collocatum filio per Romanam Eccleſiam acquireret, ſi valeret.

MCCLXXXV.

Die Mercurij poſt Reſurrectionem Dominicam Papa MARTINO defuncto, Romanæ Eccleſiæ centeſimus nonageſimus quartus HONORIUS quartus natione Romanus præſidet. Hic ſtatim poſt promotionem ſuam tam Comiti Attrebatenſi in Apulia, quàm ceteris ſtipendiariis certis in locis per prædeceſſorem ſuum Papam Martinum ordinatis eos confovendo contulit ſtipendia, & ad ſuſcepta negotia proſequenda ſollicitè animavit. Diverſarum afflicti paſſionum & ægritudinum ad ſepulcrum Romani Pontificis MARTINI quarti venientes ibi multis videntibus ſunt ſanati. PETRUS Arragoniæ præagnoſcens quod Rex Franciæ PHILIPPUS exercitum ad Regnum Arragoniæ pervadendum adduceret, ſtatim ſe de Sicilia tranſtulit in Arragoniam, verens amittere Regni jura; & quia Meſſanenſes Principem Salernæ Carolum ad quoddam caſtellum tranſtulerant, eorum infidelitatem metuens fecit eum de Sicilia in Arragoniam tranſportari, & ipſum ibidem diligentiſſimè cuſtodiri. PHILIPPUS Rex Franciæ circa feſtum ſancti Johannis Baptiſtæ dominium Regni Arragoniæ pervadens, primò in Roſſilionis finibus Januam civitatem ſibi contrariam aggreſſus eſt, & in brevi totam deſtruens, per locum devium juxta paſſum Ecluſæ montes Pyreneos aſcendit, & uſque Geromiam * urbem fortiſſimam ſuum exercitum introduxit. Quod videntes Arragonij qui in ſummo paſſus Ecluſæ vertice ubi erat fortior terræ illorum introitus, armati ſteterant, nec per aliunde credebant Regem Francorum aſcendere, admirantes timuerunt valde, & timore perterriti ad urbes & oppida confugerunt. Rex autem Franciæ Geromiam * obſidens,

* Geraudam.

* Geraudam.

& ibidem assultus plures faciens multùm cives debilitavit; sed ipsi fortiter repugnantes se per tres menses vel circiter tenuerunt. In ipso verò obsidionis termino, videlicet die Assumptionis beatæ MARIÆ Virginis Matris Domini, cùm misisset Rex Franciæ ad portum Rosarum maritimum, ubi classis regia permanebat, pro victualibus quæ ibi servabantur exercitui asportandis, PETRUS Arragoniæ Rex qui hoc novit iter cum quingentis equitibus armatorum & tribus millibus peditum occupavit, ut posset in reditu Francorum victualia deprædari; sed ejus insidias præagnoscens Franciæ Connestabularius RADULFUS dominus de Nigella cum Comite Marchiæ, & JOHANNE de Hardicuria Marescallo, assumptis illico centum quinquaginta sex equitibus armatorum eidem occurrere festinavit. Videntes autem Arragonij quia pauci ad suorum numerum contra se veniebant, Francorum fortitudinem ignorantes, illos protinus invaserunt: sed Franci fortiter repugnantes, Regem Arragoniæ in armis incognitis præliantem, suis ferè omnibus occisis, saucium ad mortem de bello fugere compulerunt; qui in quadam Abbatia se reponens satis citò postea Francis ignorantibus expiravit. Et quamvis in illo prælio fortiores & nobiliores Regni Arragoniæ adfuissent, pauci tamen de tanto numero vivi ad propria rediere. Gerondenses postmodum succursum minimè expectantes urbem suam Regi Franciæ reddiderunt, quâ munitâ gente suâ, Rex qui Petri Regis interitum ignorabat, & infirmitatem incurrerat, parte sui licentiata navigij, versus Narbonam propter instantem hyemem se retraxit. Cujus reditum cognoscentes Arragonij, naves quæ in portu Rosarum remanserant, occisis de gente Francorum quamplurimis, rapuerunt, & satis citò postea Geromiam urbem obsidentes, Francos qui ibidem ad custodiam relicti fuerant ad deditionem coegerunt. Rex autem Franciæ qui infirmus recesserat, dum venisset apud Perpeigniacum defunctus est; cujus caro & viscera

viſcera apud Narbonam in majori Eccleſia ſunt ſepulta, & oſſa cum corde apud ſanctum Dionyſium in Francia deportata. Sed antequam ibidem traderetur ſepulturæ, inter Monachos dicti loci & Fratres Prædicatores Pariſius commorantes propter illud cor regium magna diſſenſio fuit orta. Volebant etenim dicti Fratres Monachis invitis illud cor ad ſepeliendum in ſua Pariſienſi Eccleſia obtinere, eo quod PHILIPPUS juvenis Rex & Regni ſucceſſor ipſum conceſſerat cuidam Fratri de Ordine Jacobito; ſed tandem Rex Fratrum inſtantia pulſatus, qui ſe reputabat dedicere pudoroſum, contra multorum conſilium fecit illud Pariſius ſepeliri in Fratrum Eccleſia Prædicatorum. De quo determinatum fuit poſtmodum per plures Magiſtros Theologos, quod neque Rex neque Monachi dare poſſent, neque fratres ſine diſpenſatione Summi Pontificis retinere. PHILIPPUS autem patri ſuccedens in Regno Remis cum uxore ſua die feſto Epiphaniæ in Regem Franciæ coronatur. Reliquit autem PHILIPPUS Rex defunctus duos filios, CAROLUM Comitem Valeſij, & PHILIPPUM prædictum Regem Franciæ ex prima conjuge Regina Izabelli; & tres alios, ſcilicet LUDOVICUM Comitem Ebroicæ civitatis, MARGARETAMque Reginam Angliæ, ac BLANCHAM Duciſſam Auſtriæ ex MARIA de Brabanto ſecunda uxore.

PHILIPPUS PULCHER. MCCLXXXVI.

ALPHONSUS filius PETRI Arragoniæ Regis patri in Regno ſucceſſit, & JACOBUS ejus frater cum matre CONSTANTIA Siciliam occupans contra inhibitionem & mandatum Romanæ Eccleſiæ fecit ſe in Regem Siciliæ coronari. HONORIUS Papa ſententiam quam MARTINUS Romanus Pontifex prædeceſſor ſuus contra Petrum Arragoniæ Regem protulerat, in filios ipſius Alphonſum & Jacobum atque matrem eorum Conſtantiam eadem firmitate & edicto ſimili confirmavit. EDUARDUS Rex Angliæ in

Franciam evocatus fecit homagium Regi Franciæ pro Ducatu Aquitaniæ & cunctis aliis quæ in Regno ipsius Regis Franciæ obtinebat; & inde apud Burdegalas terræ Gasconiæ urbem Metropolim accedens, ibidem in Natale Domini grande tenuit Parlamentum, in quo loco nuntios plures recipiens Arragoniæ, Siciliæ, Hispaniæ, suspectum fuit ne aliquid contra Regnum & Regem Franciæ moliretur; deliberationem tamen Principis Salernæ consanguinei sui capti à Siculis erga Regem Arragoniæ ALPHONSUM qui eumdem tenebat in carcere procuravit.

Mense Septembri defunctus est MATTHÆUS Abbas sancti Dionysij in Francia Regni Franciæ Consiliarius principalis, qui Monasterium suæ domus à retroactis temporibus incœptum miro & sumptuoso opere ferè à media parte usque ad ultimum consummavit, & Abbatiam suam quam in rebus & ædificiis quasi consumptam invenerat, novis muris & domibus sumptuosis reparans suo tempore ditatam reddidit, & multum in redditibus augmentavit; cujus doctrina & religione præcipua imbuti Monachi ejusdem loci plures fuerunt diversis in Monasteriis Abbates postmodum constituti. Die Parasceves Paschæ HONORIO Papa mortuo, Romanæ Ecclesiæ centesimus nonagesimus quintus NICOLAUS quartus præsidet.

MCCLXXXVII.

Apud Accon urbem Syriæ Rex Cypri fecit se in præjudicium Regis Siciliæ in Regem Jerusalem coronari; & quia id Templarij & fratres Hospitalis permiserant, res eorum & bona per Apuliam & terram Regni Siciliæ in manu Regia capiuntur. ALPHONSUS Rex Arragoniæ contra suum patruum Regem Majoricarum, qui de parte Ecclesiæ se tenens ipsum in hoc offenderat, insurgit, & Regni sui terras aliquas occupavit. Græci ab unitate Ecclesiæ Romanæ separantes se, sibi Papam & Cardinales, ut dicitur, creaverunt. Comes ROBERTUS Attrebati tutor Regni Siciliæ

apparatum faciens ad debellandos Siculos, GUIDONEM de Monte-forti Militem misit apud Venetias & per totam Tusciam vasa navalia congregare.

Circa Natale Domini venerunt ad Curiam Romanam nuntij Arragonum & Siciliæ, proponentes in Consistorio coram Papa & Cardinalibus multa falsa & frivola, quæ apud aliquos favorem non minimum invenerunt. Primò excusabant Arragonij Regem suum Alphonsum eo quod nuntios post patris obitum ad Romanam curiam non misisset, dicenres quòd transire non poterant propter guerras sibi eodem tempore imminentes. Secundò suum dicebant dominum innocentem, quia in nullo conscium facti patris. Tertiò quia diu ante patris obitum Regni possessionem habuerat, in qua remanens petebat sibi pacificè dimitti, & quòd Papa ipsum non permitteret super hoc ab aliquibus indebitè molestari. Quartò se ad servitium Romanæ Ecclesiæ offerebat, & sicut fuerant prædecessores sui eidem Ecclesiæ obedientes & devoti, hoc intendebat præcipuè imitari. De primo Papa non curavit; ad secundum sic respondit: Placet nobis quamplurimum quòd esset innocens, sed ostendit contrarium mittens & mittere non cessans in terram nostram Siciliæ gentem suam nobis & Regi Siciliæ rebellantem; item quòd nostrum minimè permittit interdictum in terra Arragoniæ observari, & quòd patrui sui Majoricarum Regis Ecclesiæ adjutoris terram & dominium occupavit; item quod detinet Principem Salernæ CAROLUM innocentem, quem quamdiu tenebit, non inveniet apud nos gratiam vel favorem; & licet Regnum Arragoniæ teneat, in hoc tamen dicimus minimè jus habere, sed CAROLUM fratrem Regis Franciæ cui per Romanam Ecclesiam est collatum. Verumtamen si ipse de sua velit justitia coram nobis contendere, parati sumus si venerit audire eum, & dare sibi justitiæ complementum. Pòst venerunt duo fratres Minores nuntij Siculorum, proponentes quomodò diu fuissent à Gallicis oppressi,

& cùm minimè possent ampliùs sustinere ipsos, curialiter de terra sua eijcere intendebant, quando quidam maligni subitò irruerunt crudeliter in eosdem, quod displicuit bonis viris: CONSTANTIAM etiam matrem JACOBI occupatoris Siciliæ excusabant de malitia, dicentes quia tamquam mulier viro suo obediens in terram Siciliæ advenerat, & petebant ut Jacobum ejus natum, quem Siculi Regem elegerant, Romanus Pontifex confirmaret. Hæc & multa alia proponentes frivola, fecit eos Papa recedere, dicens ut sanius vel melius consilium procurarent.

MCCLXXXVIII.

Multis undecumque galeis circa Ascensionem Domini apud Neapolim ad expugnandum Siculos congregatis Appuliæ, quidam Miles nomine REGINALDUS de Avella Comitis Attrebatensis consilio & præcepto cum pluribus armatis galeis mare intrans Cathinensem Siciliæ urbem de facili occupavit, & eamdem muniens gente sua, vasa sua vacua redire fecit Neapolim, in quibus sicut promiserant ex condicto alij plures in ejus auxilium debebant occurrere festinanter, & interim dum se parant, Siculi dictum Militem obsidentes, cùm diu se viriliter defendisset, tandem ad deditionem cum suis salva vita & mobili coegerunt. Et dum ad ejus subsidium GUIDO de Monteforti Comes de Bregna, PHILIPPUS filius Flandrensis Comitis Guidonis, & plures alij de Regno Franciæ bellatores advenerunt, à Siculis navali prælio in mari devicti, & à ROGERO de Laurea eorum Amiralio capti diversis sunt carceribus mancipati; sed omnibus fere postmodùm redemptis pecuniâ, solus in carcere Guido de Monte-forti periit, qui deinceps non potuit prece vel pretio quamvis multùm pro eo offerretur redimi, dolo tentus, ut dicitur, Regis Angliæ EDUARDI.

JOHANNES Dux Brabantiæ & Comes de Luceburgo versus Leodium magnum exercitum congre-

gantes pro Comitatu de Lamburgo adversus se invicem pugnaverunt, & hinc inde acerrimo commisso prælio, Comes de Luceburgo cùm tribus filiis ibidem est interfectus, & Archiepiscopus Coloniensis ac quamplures alij, qui in ejus auxilium contra Ducem advenerant, capti sunt pariter & detenti, Duce victoriam obtinente. Princeps Salernæ CAROLUS circa Purificationem beatæ Virginis matris Domini de Regis Arragonum carcere liberatur, eo pacto quòd redderet magnam summam pecuniæ, & pacem pro posse suo Arragonensium erga Romanam Ecclesiam & Regem Franciæ procuraret: Quod si procurare minimè posset, infra triennium pro ut jurare compellitur reverteretur ad carcerem, & donec ista complevisset obsides tres de suis filiis, & nobiles quadraginta tradere coactus est. Tripolis civitas transmarina à Soldano Babyloniæ capitur, ubi multa Christianorum millia trucidantur, & reliqui captivantur; cujus captione perterriti Acconenses biennes trebas protinus requirunt & accipiunt à Soldano.

MCCLXXXIX.

Mille quingenti stipendiarij in terræ sanctæ subsidium à Papa NICOLAO in Accon missi, contra voluntatem civium Templi & Hospitalis militiâ armati de Accon exeuntes, trebas cum Soldano initas irrumpunt, & versus Casalia & Sarracenorum oppida incursantes, absque misericordia Sarracenos utriusque sexus quos reperiunt occiderunt, qui pacificè sub trebis initis quiescere se credebant. Princeps Salernæ CAROLUS liberatus de carcere venit Romam, & ibidem die Pentecostes à Papa NICOLAO in Regem Siciliæ coronatus absolvitur à juramento quod Regi fecerat Arragonum. Jacobus occupator Siciliæ cum magno exercitu terram intrans Calabriæ Gaëtam obsidet civitatem; cui de Roma Rex Carolus occurrere festinans, obsessos protinus liberavit: nam dum utrimque ad prælium se pararent, adveniens quidam Miles

Angliæ Regis ex parte domini sui trebas usque in duos annos inter eos procuravit. Babyloniæ Soldanus cognito quod suis versus Acconem fecerant Christiani, illico mandavit Acconensibus nisi redderent destructores suæ gentis, quòd infra anni curriculum civitatem eorum sicut Tripolim in exterminium adduceret & ruinam. Quod illi facere non valentes * iram & ejus offensam mirabiliter occurrerunt. LUDOVICUS Regis Franciæ PHILIPPI primogenitus ex JOHANNA Regina filius quarto Nonas Octobris nascitur.

f. * volentes.

MCCXC.

Appropinquante termino quo Soldanus Babyloniæ Acconenses minatus fuerat impugnare, de Babylonia exiens versus Acconem cum infidelis populi infinita multitudine properavit; sed gravi arreptus ægritudine jam peracto medio itinere in lectum mortis decidens, septem Amiratos quemlibet habentem sub se quatuor millia equitum & viginti millia peditum armatorum illuc mittere non obmisit. Qui circa medium mensis Martij Accon appulsi, civitatem diversis assultibus usque ad subsequentis mensis medium vexaverunt, sed nihil dignum memoria peregerunt. Cum verò Soldanus interim mortem sibi proximam imminere conspiceret, vocatis amicis suis totius exercitus Amiratis, filium suum qui præsens aderat fecit loco sui Principatus Soldanariæ gubernaculo sublimari, & hoc peracto satis citò postea expiravit. Novus igitur Soldanus sepulto patre ilico versus Acconem cum innumerabili movit exercitu gressus suos, & appropinquans usque ad unicum milliare civitatis ibidem tentoria figi fecit. Suis ergo machinis & instrumentis aliis præparatis, & contra civitatem etiam applicatis, à quarto die Mensis Maij per decem dies continuos Sarraceni Christicolas impugnantes, & infra urbem per jactum lapidis manualis grossos lapides immittentes, eam non modicum damnificaverunt, civibus

habere requiem minimè permittentes. Quo cives perterriti thesauros à civitate cum mercibus & sacrosanctis Reliquiis, senesque & debiles, mulieres & pueros atque cunctos ad pugnam inutiles in Cyprum fecerunt navigio transportari: Multi etiam perpendentes quòd fiebant discordiæ inter cives cum omnibus rebus suis tam equites quàm pedites recesserunt, & sic non remanserunt in Accon nisi millia duodecim vel circiter, quorum erant equites quingenti & reliqui pedites strenui bellatores.

Quinta verò decima die Mensis Maij tam gravem impetum murorum custodiis dederunt perfidi Sarraceni, quòd fere Regis Cypri cedente custodia, nisi nox obscurissima adfuisset & aliquantulæ defensionis aliunde venientis * perstetisset impetus, civitatem *f. deest * resistentiâ.* adversarij intravissent. Nocte igitur insecuta Rex Cypri Teutonicorum militiæ ministro suam tradens custodiam ad tuendum, ad ipsam ut dicebant mane proximo reversurus, cum suis omnibus & cum ferè tribus millibus aliorum per mare turpiter fugit nocte illa. Sarraceni autem ad congrediendum in crastino venientes, & paucos ad propugnacula videntes custodiæ Regis Cypri apparere defensores, illuc undique cucurrerunt, fossatum ex ea parte lignis & aliis implentes, & murum illico perforantes. Intrantes igitur cum magno impetu civitatem, Christianos ferè usque ad medium urbis viriliter repulerunt, sed priùs hinc inde occisorum maxima strage facta, per Marescallum & ministrum militiæ Hospitalis ab urbe in vespere diei illius sunt repulsi, & die similiter subsequenti. Sarraceni verò die tertia ad conflictum undique venientes, per portam sancti Antonij intraverunt, & cum Templariis & Hospitalibus confligentes eos totaliter prostraverunt. Sic urbem denique capientes, eam cum muris & turribus, domibus & Ecclesiis funditus everterunt. Patriarcha verò & minister Hospitalis lethaliter sauciatus tracti à suis in Dromundo in mari cum pluribus perierunt, & ita Accon solum

Christianitatis asylum illis in partibus, peccatis nostris exigentibus, ab inimicis fidei destructa est, quia non fuit qui ejus succurreret angustiæ ex omnibus Christianis.

CAROLUS Comes Valesij frater Regis Franciæ PHILIPPI ad preces CAROLI Regis Siciliæ quittans jus quod habebat in Arragoniæ & Valentiæ Regnis, unam de filiabus suis in crastino Assumptionis beatæ Virginis Dei Genitricis MARIÆ apud castrum Corbolij desponsavit; ob cujus matrimonium contrahendum, & etiam Regnorum quittationem à Carolo Comite factam, dederat ipse Rex Siciliæ eidem Carolo Andegaviæ & Cenomaniæ Comitatus.

MCCXCI.

Gens castri quod Valentianas dicitur in pago Flandriæ & Hannoniæ siti contra JOHANNEM Comitem Hannoniensem dominum suum, qui eos nimis indebitè satagebat opprimere, rebellavit, & diu contra dictum Comitem se tenentes, gentes ejus de villa sua turpiter ejecerunt, filium Flandrensis Comitis GUILLERMUM in suum defensorem & Comitem advocantes. RADULFO Rege Romanorum mortuo, vir non multum locuples, sed in armis strenuus ADULFUS de Naasso Comes eligitur, & in Regem pacificè coronatur.

Acconis civitatis transmarinæ Papa Nicolaus destructione cognita, per suas patentes litteras Prælatos Regni Franciæ quid ad terræ sanctæ subsidium & recuperationem magis esset necessarium ut sibi demonstrarent, consuluit, & ut ad hoc Regem Franciæ, Barones & Milites ac se ipsos & minorem populum incitarent, humiliter exoravit : cujus mandatis & precibus Prælati devotissimè annuentes, Metropolita quilibet per se in sua diœcesi Episcopos, Abbates & Priores, atque sapientes Clericos congregavit, & Conciliis celebratis ad invicem, Papæ quod fecerant mandaverunt, consulentes scilicet quòd oportet

primitus

primitus totius Christianitatis Principes & Barones invicem commotos paci & concordiæ revocare, & maximè sedare Græcos, Siculos & Arragones, & sic demum si Summus Pontifex annueret, aut esse necessarium judicaret, Crux auctoritate ipsius per totum Christianitatis Imperium prædicaretur.

JOHANNES Dux Brabantiæ reconciliatus filio de Luceburgo Comitis cujus patrem in bello peremerat, fecit eidem filiam suam in fœdus amicitiæ desponsare. JOHANNÂ Comitissâ Blesis mortuâ ejus consanguinei Comes sancti Pauli nominatus HUGO & fratres ipsius, atque GALTHERIUS Castellionis dominus hereditatem ad invicem partiuntur. Hugo verò Guidoni fratri suo Comitatum sancti Pauli derelinquens Blesensis Comes efficitur. Papa NICOLAO defuncto, Ecclesia Romana per duos annos & ampliùs vacavit, Antistite viduata.

ADULPHUS. MCCXCII.

EDUARDUS Rex Angliæ ex concepta diu ante malitia, ut dicebant aliqui, magnum apparatum faciens, fingendo quòd properaret in terram sanctam celeriter proficisci, per homines suos de Baïona civitate Gasconiæ & quamplures alios Regni sui navibus assumptis, & bellico apparatu in magna multitudine, fecit gentes & subditos Regis PHILIPPI Franciæ de terra Normaniæ & locis aliis per mare & terram nequiter impugnare, innumeros ex ipsis crudeliter occidendo, capiendo & detinendo, & naves eorum quamplurimas frangendo, & illorum superstites cum bonis & mercibus in Angliam transuehendo. Invaserunt etiam prædicti homines Regis Angliæ Eduardi proditionaliter villam Regis Franciæ quæ Rochella nominatur, facientes in eadem quamplurimos assultus, & occidentes aliquos, ac villæ damna quamplurima inferentes; quod ad Regis Franciæ cùm venisset notitiam, & Regi Angliæ demandasset atque tenentibus locum ejus in Gasconiam ut certum numerum prædictorum

hominum malefactorum apud Petragorum in sua mitterent prisione, pro faciendo de ipsis quod ratio suaderet & justitia postularet. Mandato ejus parere contumaciter & contemptibiliter est neglectum; quapropter Rex Franciæ fecit per suum Conestabularium RADULPHUM de Nigella dominum Militem in manu sua totam saisire Gasconiam ut potè ad sui Regni feodum pertinentem, faciens citare ad suum Parlamentum Regem Angliæ Eduardum.

Cùm JOHANNES Comes Hannoniæ juxta terræ suæ confinium gentes & subditos Regis Franciæ & Ecclesias in ejus constitutas custodia molestaret, nec vellet ad preces aut mandata regalia emendare, CAROLUS Comes Valesij Regis frater apud sanctum Quintinum Viromandiæ castrum magnum adversùs Comitem jussu Regis exercitum congregavit; quem cùm esset in proprio aggressurus, Johannes Comes Hannoniæ potestatem Regis Franciæ pertimescens inermis venit ad Carolum, & devotus atque cum ipso Parisius ad Regem veniens, quidquid adversùs eum & suos subditos jamdudum deliquerat ad ejus beneplacitum emendavit. Apud Rothomagum propter exactiones quas nominant malam toltam de quibus populus gravabatur, contra Magistros Scacarij Regis Franciæ Ministros minor populus insurrexit, & domum Collectoris pecuniæ infringentes, ac denarios collectos per plateas dispergentes, in urbis castello Magistros Scacarij obsederunt; sed postmodùm per Majorem & urbis ditiores homines sedati quamplurimi suspenduntur, & multi per Regis Franciæ diversos carceres mancipantur. GILO Cornuti Senonensis Archiepiscopus obiit, cui STEPHANUS Decanus ejusdem Ecclesiæ successit.

MCCXCIII.

Armagnac. Comes de Hermengniaco contra Fuxi Comitem REMUNDUM Bernardi, quem de proditione appellaverat, apud Gisortium circa Pentecosten coram

Rege Frànciæ & ejus Baronibus in duello cogitur dimicare; sed ad preces Comitis Attrebati ROBERTI negotium ipsorum super se Rex suscipiens, à conflictu quem jam inceperant retrahere fecit illos. Rex Angliæ EDUARDUS pluries & solemniter ad Regis Francorum curiam citatus super injuriis & facinoribus quæ & quas gentes suæ intulerant Regis Franciæ hominibus de Normannia & alibi, venire contemnit; sed ut fallente conscientia fraudulentiori consilio possit iniquitatem perficere quam concepit, Regi Franciæ mandasse dicitur quòd ei quittabat quotquot ex ejus feodo possidebat, putans illud & amplius vi armorum acquirere, & sine homagio cujuscumque de cetero obtinere. Mense Julio Noviomum civitas Galliæ tota igne conflagrata est, præter sancti Eligij & sancti Bartholomæi Abbatias.

GUILLERMUS Autissiodorensis Episcopus obiit, cui PETRUS Aurelianensis Episcopus successit, & eidem Petro in Aurelianensi Ecclesia FERRICUS filius Ducis Lotharingiæ, qui electus fuerat in discordia ad Episcopatum Autissiodorensem. HENRICUS de Hispania, quem Reges Siciliæ vinculatum per spatium viginti sex annorum tenuerant, evadens de carcere apud nepotem suum SANCIONEM Regem Hispaniæ se recepit.

MCCXCIV.

Apud Barrum Lotharingiæ castrum ad nuptias cujusdam filiæ Regis Angliæ JOHANNES Dux Brabantiæ invitatus, fuit ibidem in hastiludio à quodam milite interfectus. Post duorum annorum, trium mensium & duorum dierum Ecclesiæ Romanæ vacationem, centesimus nonagesimus sextus CÆLESTINUS quintus præsidet. Hic frater PETRUS DE MORONE antea dictus, natione Apulus, Monachus & pater cujusdam tenuis Religionis ab eo institutæ, (quæ sancti Benedicti in Montibus appellatur, apud Sulmonem Aprucij vitam arctam heremiticam ducebat;

hic etiam vir magnæ humilitatis, ſanctæ conditionis & famæ celebris, ætatis ut putatur annorum ſeptuaginta & ampliùs, validus tamen & compos, litteraturæ quidem modicæ ſed diſcretionis bonæ & alicujus experientiæ, ex inſperato cùm Cardinales viderentur ſuper electione Papæ in ſua etiam diſcordia obſtinati & confirmati, & tunc ad tractandum de electione non conveniſſent, nec aliàs umquam de ipſo fratre Petro eligendo mentionem aliquam habuiſſent; quodam Cardinali de fama & ſanctitate ipſius in communi conſiſtorio incidenter aliqua referente, divina prout creditur inſpiratione, unanimi cunctorum voto, cum lacrymarum plurima effuſione in ſummum Pontificem eſt electus.

EDUARDUS Rex Angliæ contra Regem Franciæ apertè & potentialiter inſurgens, miſit in Gaſconiam claſſem maximam gentis ſuæ, quæ inſulam dictam *de Ré* verſùs Rupellam in Pictavia de parte Regis Franciæ ſe tenentem depopulans, totam incendio conflagravit. Inde verſùs Burdegalam navigantes Anglici, caſtrum Blaviæ & tres villas vel oppida ſupra mare occupantes, gentes Regis Franciæ eorumdem cuſtodiæ deputatas nonnullos Gaſconum perfidiâ occidendo, turpiter ejecerunt. Cùm autem apud Burdegalam poſtmodùm applicaſſent, nec ibi propter RADULFUM de Nigella Franciæ Coneſtabularium qui intus erat poſſent aliquid attentare, apud Baïonam civitatem ſtolum ſuum celeriter diverterunt: quam proditione civium in deditionem illico ſuſcipientes, Francos omnes in caſtelli forteritia diu expugnatos tandem poſtea fugaverunt. Papa Cæleſtinus duodecim Cardinales ſupra numerum qui tunc aderat ordinavit, & decretalem quam de ſummo Pontifice eligendo predeceſſor ſuus Papa NICOLAUS ſuſpenſam reliquerat confirmavit. Comes Acerrarum in Apulia, quem CAROLUS Rex Siciliæ cuſtodem Provinciæ Comitatus ſui conſtituerat, repertus & probatus peſſimus Sodomita, & ſui domini proditor, mandato ipſius

Regis captus à posterioribus usque ad os veru ferreo ardenti transfigitur, & postea concrematur. Confessus est autem in tormento hujusmodi quomodò defunctum CAROLUM Regem Siciliæ ab obsidione Messanensium proditiosè retraxerat, & qualiter pòst cum Principe Salernæ CAROLO ejusdem filio se capi permittens, Siculos ipsum captum Principem volentes honore Regio insignire, & Arragones de sua terra expellere, disturbavit.

Circa Dominicum Adventum Cælestinus Papa nescio quo ductus Spiritu in pleno Consistorio coram cunctis annulum, mitram & sandalia deponens omni Papali officio & beneficio totaliter resignavit *. Postquem Romanæ Ecclesiæ centesimus nonagesimus septimus BONIFACIUS octavus natione Campanus præsidet. Hic Cælestinum Papam depositum volentem ad locum unde assumptus fuerat redire minimè permisit, sed honorificè fecit eum diligenti custodia in loco tutissimo custodiri. RADULFUS de Grandivilla frater Ordinis Prædicatorum, qui jussu Cælestini Papæ depositi apud Parisius in Patriarcham Jerusalem consecratus fuerat, Romam veniens fuit à Papa Bonifacio degradatus.

f. * renunciavit.

Romanorum Rex ADULFUS Regi Angliæ Eduardo pecuniâ contra Regem Franciæ confœderatus, fecit Regem Franciæ ex parte sui post octabas Nativitatis Dominicæ diffidare, sed auxiliariis sibi deficientibus nequivit perficere quod optabat. GUIDO Comes Flandriæ occultè Regi Angliæ contra dominum suum Regem Franciæ confœderatus, veniens cum quadam filia sua Parisius quam volebat in Angliam Regi Angliæ desponsandam mittere, jussu Regis Franciæ cum illa in custodia detinetur; sed ipsa postmodùm remanente cum pueris Regalibus educanda, Comes satis citò postea liberatur. CAROLUS Comes Valesij frater Regis Franciæ Philippi in Gasconiam cum magno exercitu destinatus Roncium * castrum fortissimum quod Gasconum proditione Anglici detinebant

* Chr. Nangij Gall. MS, habet hoc loco, *La Riole.*

obſidione clauſit : Ibi enim erant JOHANNES de ſancto Johanne & JOHANNES de Britannia atque ceteri Regis Angliæ Eduardi egregij bellatores.

MCCXCV.

RADULFUS dominus de Nigella Franciæ Coneſtabularius, qui à Burdegala in juvamen Caroli fratris Regis Franciæ apud Rioncium * veniebat, munitionem quamdam Pondenciacum dictam, quam in via obſeſſam octo diebus tenuerat, pactione facta cum Anglicis qui eam cum Gaſconibus defendebant, ut vitâ ſalvâ recederent, illam die Reſurrectionis Dominicæ in deditionem recepit, & dimiſſis Anglicis Gaſcones apud Rioncium numero ſexaginta adduxit ad Carolum, quos ipſe fecit feriâ quintâ Paſchæ omnes in patibulis ante fores Rioncij permultari. Illi autem de Caſtro Rioncij hoc videntes, & cognito quòd apud Pondenciacum * hos Anglici prodidiſſent, adverſùs gentes Regis Angliæ qui ſecum intus erant indignatione graviſſima ſunt permoti. Propter quod JOHANNES de ſancto Johanne & JOHANNES de Britannia nocte ſuperveniente cum ceteris Anglicanis de oppido fugientes vix per littus Oceani aſcenſis navibus evaſerunt, ſed à Gaſconibus inſecuti plurimi antequam naves aſcenderent ſunt occiſi : die verò Veneris ſubſequentis in mane perſpicientes Francigenæ nocte illa diſcordiam fuiſſe in oppido, paucis reſiſtentibus aſſultu facto caſtrum protinus intraverunt, & captis pariter & occiſis multis Gaſconibus, villam & caſtrum dominio Regis Franciæ ſubjecerunt. SIMON Prænestinus & BERARDUS Albanenſis Epiſcopi Eccleſiæ Romanæ Cardinales, propter pacem inter Regem Franciæ & Regem Angliæ faciendam in Franciam à Papa BONIFACIO deſtinati Menſe Maïo Pariſius advenerunt. CAROLUS Comes Valeſij poſt Caſtri Rioncij captionem villam ſancti Severij obſedit, & eam toto tempore æſtivali diverſis aſſultibus vexatam ad deditionem venire poſt-

* *La Riole.* Chr. MS. Gall.

Pondency *. MS. Gal.

modùm coëgit; ſed illo poſtea reverſo in Franciam, gens villæ infida rebellionis ſpiritum reſumens à fidelitate Regi Franciæ pollicita reſilivit.

SANCIO Rex Caſtellæ defungitur, cujus binos pueros ætatis parvulos, quos de quadam Sanctimoniali femina ſibi matrimonio conjuncta genuerat, HENRICUS ejus patruus, quem de priſione Regis Siciliæ ſupra retulimus evaſiſſe, ſub protectione tutoria cuſtodivit. Frater EGIDIUS Auguſtini poſt SIMONEM de Bello-loco factum Epiſcopum Præneſtinum per Papam Bonifacium Bituricenſis Archiepiſcopus eſt effectus. Hic de Ordine Eremitarum ſancti Auguſtini in Pontificem aſſumptus, plurimos libros ſuper ſeriem ſacræ ſcripturæ & Philoſophiæ compilavit.

Regis Franciæ ingens claſſis apud Devoram portum Angliæ applicans, quidquid erat extra muros rapuit & incendit; & cùm potuiſſet tantus exercitus totam Angliam de facili occupaſſe, MATTHÆI de Monmorenciaco & JOHANNIS de Hardicuria claſſis illius Amiraliorum auctoritate prohibitus, redire inefficax compulſus eſt. Regina Franciæ MARGARETA uxor ſanctiſſimi Regis Franciæ LUDOVICI Pariſius obiit, & in Eccleſia ſancti DIONYSII in Francia juxta Regem ſanctiſſimum Ludovicum conjugem ſuum honorificè ſepelitur. Hæc antequam deceſſiſſet, Pariſius apud ſanctum Marcellum Cœnobium ſororum Minorum in quo honeſtiſſimè diu vixit conſtituit & fundavit. ALPHONSO Rege Arragoniæ defuncto, JACOBUS occupator Regni Siciliæ ejus frater in Arragoniam ſe transferens ſuſcepit apicem regiæ dignitatis; qui facta pace cum CAROLO Rege Siciliæ unam de filiabus ſuis deſponſavit, & obſides quos Alphonſus frater ſuus Rex defunctus ſuſceperat à Rege Siciliæ liberavit; alter verò frater ejus FREDERICUS Siciliam poſt eum occupavit.

MCCXCVI.

Cælestinus Papa depoſitus diem clauſit extremum. Scoti Regi Franciæ fœderati incurſant Regnum Angliæ & devaſtant; ſed dum à vaſtatione redeunt, Johannes Rex eorum proditus à quibuſdam capitur, & Regi Angliæ deſtinatur. Petrus & Jacobus de Columna Romanæ Eccleſiæ Cardinales, qui Cæleſtini Papæ depoſiti depoſitionem indebitam fuiſſe, & injuſtam Bonifacii promotionem fieri aſtruebant, per hoc Romanam Eccleſiam intendentes ſchiſmate commoveri, à Cardinalitate per Papam Bonifacium deponuntur, & omnibus bonis Eccleſiaſticis & beneficiis ſunt privati. Alphonsus & Ferrandus filij Blanchæ filiæ ſancti Regis Franciæ Ludovici ex filio Regis Caſtellæ mortuo Ferrando primogenito, qui à jure Regiæ dignitatis & excellentiæ ſibi debito per Alphonsum avum ſuum totaliter privati fuerant, & propter hoc in Francia exulabant, Regis Sancionis patrui eorum interitu intellecto, itinere feſtinato petunt Hiſpanias, & pactum cum Jacobo Rege Arragoniæ facientes, ejus & Fratris ſui auxilio, atque filij Johannis Minimi * Baronis Hiſpaniæ Regnum Legionenſe primitùs incurſante ſibi totaliter ſubjecerunt; quod Alphonſus fratrum primogenitus ſtatim cuidam Johanni patruo ſuo in ejus auxilium adventato * à ſe in feodum tenendum contulit & permiſit, per quod factum gentis ſuæ corda mirabiliter ad ſe traxit.

* Nunnij, at in MS. Gall. habetur *fils Iean le petit Baron d'Eſpagne.*
f. * advocato.
* nondum audita.
* decernitur.

Exactio quædam non * inolita, quam nominant malam toltam, per Regnum Franciæ *, primò à mercatoribus ſolummodò, deinde centeſimus, pòſt quinquageſimus bonorum omnium cujuſcumque tam à Clericis quàm Laïcis propter guerram iſto tempore diſcurrentem inter Reges Franciæ & Angliæ exactatur; propter quod Bonifacius Papa ſententiam decrevit, ut ſi Reges aut Principes vel Barones totius Chriſtianitatis de cetero à Prælatis, Abbatibus & Clero

Clero Romanâ Ecclesiâ inconsultâ tales exactiones acciperent, aut si Episcopi, Abbates & Clerus talia * sibi darent, excommunicationis sententiam incurrerent ipso facto, à qua nisi in mortis articulo possent à nemine absolvi nisi à Romano Pontifice, vel mandato ipsius speciali. Urbs Appania à Tholosano Episcopatu hoc tempore separata proprium Episcopum per Papam Bonifacium obtinuit; sed protinus LUDOVICUS filius Regis Siciliæ frater minor duos integraliter est ab ipso Papa Bonifacio consecutus.

f. * talias.

EMUNDUS Regis Angliæ frater in Gasconiam contra gentes Regis Franciæ destinatus apud Baïonam moritur: post cujus obitum dum gentes Angliæ Regis villas & oppida de parte sua se tenentia munitiones * victualibus parant, ROBERTUS egregius Comes Attrebati, qui paulo antea missus ibidem advenerat, eorum providentiam per suos exploratores intelligens, celeriter impedivit; nam cùm essent equites septingenti & pedites quinque millia, ita eorum confecit exercitum, quòd fugatis Gasconibus & Anglorum Majoribus quingentos in mortem prosterneret, & centum vel circiter retineret. Ibi enim JOHANNES de Sancto-Johanne & juvenis GUILLERMUS de Mari-mortuo capti cum ceteris Anglorum Nobilibus captivi in Franciam transmittuntur. Comes autem Lincolniæ & Johannes de Britannia fugati de prælio omnem garnisionem quam ducebant cum bellico apparatu totaliter amiserunt, & nisi nox prælium diremisset, & nemora bello proximo adfuissent, nullus de tanta multitudine evasisset. Sic ergo adversariis Regis Franciæ in Gasconia profligatis, nemo fuit qui auderet de cetero adversùs Attrebatensem Comitem aut Francigenas ad bellum progredi vel exire. FLORENTIUS Comes Hollandiæ, & non multùm pòst filius ejus unicus, à quodam milite proditionaliter occiduntur; quorum necem Comes Hanmoniæ JOHANNES vindicans, Frisiam & Hollandiam consanguinitatis obtinuit ratione.

f. * munire

GUIDO Comes Flandriæ per ſuum deceptus filium ROBERTUM, ut dicunt, apertè inſurgere parans contra dominum ſuum Regem Franciæ PHILIPPUM, per ſuas patentes litteras eidem mandavit Pariſius, quòd nihil ab eo ſe tenere in feodo aut quoquo modo alio advocabat. Menſe Decembri in vigilia ſancti Thomæ Apoſtoli ita Pariſius Secanæ fluvius excrevit, quòd nulla ætas meminit aut ſcriptum reperit tantam aquæ illuviem Pariſius inundaſſe: nam tota civitas aquis totaliter repleta fuit pariter & accincta, ita quòd ingredi ab aliqua parte abſque navigio non valeret, nec per vicos ferè omnes aliquis poſſet incedere ſine ſuffragio batellorum; unde mole aquæ & fluminis rapacitate duo pontes lapidei cum molendinis & domibus ſuperædificatis atque caſtelleto parvi pontis totaliter corruerunt, & tunc fere oportuit per octo dies de cibariis foris allatis in navibus & batellis civibus ſuccurriſſe.

MCCXCVII.

Per Hiſpanias ALPHONSUS & FERRANDUS fortiter agentes nominis & adventus ſui timorem incutiunt univerſis; ad quos tunc adveniens patruus ipſorum Domnus JOHANNES vires eorum non minimùm augmentavit; nam per illum in deditionem villas & caſtra plurima receperunt: qui dum incautè poſtea ſuper hoſtes irrueret & caperetur, Alphonſus inclytus ejus nepos aliter ipſum rehabere non potuit, niſi univerſa quæ acquiſierat reſtauraret. Unde magna ſui cordis liberalitate tractus totum pro ipſo reddidit, majores æſtimans eſſe divitias amicorum quàm rerum labentium habere copiam opulentam. Qui de tanto beneficio ſtatim ingratitudinem incurrens ad hoſtes ſe contulit, & Regnum Legionenſe quod dono nepotis acceperat reddidit inimicis. Sic igitur amiſſis omnibus Alphonſus magnanimitate animi adverſa ſuperans, Regum Franciæ genus altiſſimum unde deſcenderat ad memoriam reducendo, cùm non ha-

beret ubi diverteret, contra suorum opinionem qui consilium sibi dabant in Franciam vel Arragoniam revertendi, ad campos in tentoriis ante quoddam oppidum se contulit, malens pro jure & justitia jus suum requirendo mori quàm reverti sine gloria & honore. Cujus videns industriam ejusdem castri dominus, ipsum cum gente sua pietate motus in oppidum introduxit, per cujus auxilium Alphonsus postea damna multa suis intulit inimicis. Et interdum contendit cum hostibus frater ejus Ferrandus in Franciam petiturus auxilium, & inde ad Romanam Curiam accessit; sed hinc inde parum commodi reportavit.

HENRICUS Comes Barri, qui filiam Regis Angliæ EDUARDI desponsaverat, cum magna multitudine armatorum in terram Comitatus Campaniæ, qui Reginam Franciæ JOHANNAM jure hereditario contingebat, hostiliter intravit, & occisis multis hominibus villam quamdam totaliter conflagravit; ad cujus conatus temerarios reprimendos missus à Rege Franciæ GALTERUS de Creciaco Castellionis dominus, Campanenses habens in sua comitiva terram Barrensis Comitis ferro & ignibus devastavit, & sic eum ad terræ suæ custodiam revocavit. Cardinales de Columna depositi apud Nepesinam Tusciæ civitatem se conferunt, quos tanquam schismaticos Papa damnans, & excommunicatos denuntians, adversùs eos Cruce-signatos Italicos cum magno exercitu destinavit.

PHILIPPUS Rex Franciæ contra GUIDONEM Comitem Flandriarum qui à fidelitate ejus recesserat, magno apud Compendium congregato exercitu, ibidem in festo Pentecostes fratrem suum LUDOVICUM Comitem civitatis Ebroicæ, & alium LUDOVICUM Comitis Clarimontis ROBERTI primogenitum cum aliis centum viginti Milites novos fecit: & inde profectus in Flandrias, invitis hostibus terram intrans obsedit in Vigilia sancti Baptistæ Domini Insulanos, & destructâ Monialium feminarum Abbatiâ

Margata nomine, ibi prope circumquaque Insulam usque ad leucas quatuor ferro & igne Franci omnia vastaverunt. Tunc etiam sancti Pauli GUIDO Comes & RADULFUS dominus de Nigella Franciæ Conestabularius, atque GUIDO frater ejus exercitus Marescallus cum quibusdam aliis exercitum per leucas quatuor elongantes, super fluvium villæ de Comminis cum suis inimicis habito conflictu, ex ipsis quingentos & ampliùs devicerunt, & pluribus occisis ac eorum retentis tentoriis, quamplures stipendiarios Regni Alemanniæ captos magni nominis Milites & armigeros secum ad Regem Franciæ adduxerunt. Eodem temporis concursu Papa canonizavit apud Urbem veterem sanctum Regem Franciæ LUDOVICUM. Rege Franciæ ad obsidionem Insulæ commorante, ROBERTUS Comes Attrebati relinquens Gasconiam Regni Francorum fidelibus conservandam, apud sanctum Audomarum in terram propriam se recepit; & vocato ad se suo filio PHILIPPO cum multis aliorum Nobilibus à parte illa Flandrias est aggressus. Contra quem GUIDO Comes Flandriæ mittens tam equitum quàm peditum ingentem multitudinem armatorum, juxta villam quam Furnas nominant conflictum cum Comite habuerunt; ubi hinc inde aciebus discurrentibus fuit acre prælium, sed Flandrenses cùm essent equites sexcenti & sexdecim millia peditum à gente Comitis occiduntur, & multi tam armigeri quàm milites cum GUILLERMO de Juilliers & HENRICO Albi-montis Comite capiuntur. Qui dum Parisius in quadrigis, & alibi per diversos carceres mitterentur, ad laudem & gloriam Roberti Comitis Attrebatensis militiæ emeritæ ante suas facies vexillum ejus appositum habuerunt. Comes autem Attrebati villam de Furnes in deditionem accipiens, Caselum cum tota valle sua postea occupavit.

Interea verò Insulani diversis assultibus gentis Regis Franciæ fatigati, cùm viderent machinis ejus muros suos sæpiùs conquassari, nec auderet Robertus

Comitis Flandrensis primogenitus qui unà cum eisdem erat in oppido ad bellum exire contra Francigenas, inito pacto cum Rege Franciæ ne bonis & vita privarentur, se & villam Regis subjiciunt ditioni: sed Robertus cum paucis militibus quos habebat exiens de villa, apud Brugas ubi erat pater suus ociùs se recepit. Ibi enim EDUARDUS Rex Angliæ cum paucis parumper antè advenerat à Flandrensi Comite deceptus, ut aiunt, qui sibi pro certo mandaverat quòd captos teneret Comitem Attrebatensem & Carolum fratrem Regis Franciæ apud Brugas, vel ut saniùs potest credi, ut in sua guerra Flandrensem Comitem adjuvaret. Rex autem Franciæ de adventu Regis Angliæ auditis rumoribus, munitâ Insulâ gente sua, versùs Corteriacum oppidum castra movit, quod statim in deditionem accipiens, Brugas postea obsidere festinavit. Sed interim Rex Angliæ & Comes Flandriæ Brugis relictâ cum suis apud Gandauum se ociùs propter loci fortitudinem receperunt. Quo Brugenses perterriti Regi Franciæ devoti & humiles occurrentes se & villam ejus subjiciunt potestati. Ubi Rex parumper exercitu recreato, versùs Gandavum iter arripuit; sed apud quamdam villulam Regis Angliæ receptis nuntiis inducias postulantis, propter instantem hyemem & ob amorem Regis Siciliæ qui propter hoc veniebat in Franciam, usque ad duos annos sibi & Comiti Flandrensi vix annuens *, circa festum Omnium Sanctorum in Franciam remeavit. Exercitus Papæ BONIFACII Nepesinâ Tusciæ civitate expugnatâ inde fugere Cardinales compulit Columnenses, qui apud columnæ oppidum venientes, ibidem denuò sunt obsessi.

* inducias.

Prælatis Regni Franciæ Parisius congregatis, ostendit Rex litteras continentes, quomodò sibi Papa BONIFACIUS & suo primo successori concesserat heredi Ecclesiarum decimam accipiendam, quotiescumque sibi conscientia indicante necessarium esse crederent atque vellent; & item quomodò idem Papa in subsi-

dium expensarum concesserat guerræ suæ omnes redditus, proventus, & obventiones unius anni præbendarum, præpositurarum, Archidiaconatuum, Decanatuum, beneficiorum, Ecclesiarum & aliarum quarumlibet Ecclesiasticarum dignitatum per Regnum Franciæ durante guerra vacantium, exceptis Episcopatibus, Archiepiscopatibus & Monasteriis atque Abbatiis universis. Bonifacius Papa Constitutiones quasdam novas quas animo diligenti & cura sollicita pro statu & commodo universalis Ecclesiæ compilari & ordinari fecerat à peritis in Jure Canonico & Civili, tertia die Maij in pleno consistorio coram omnibus qui præsentes erant tradidit ad legendum, & perlectæ sæpiùs cum magna diligentia atque à Cardinalibus approbatæ, decrevit ipse Pontifex ut libro quinto Decretalium adjunctæ facerent sextum librum.

MCCXCVIII.

Privilegium datum Prædicatoribus & Minoribus de Confessionibus audiendis, à Papa BONIFACIO irritatur, & decrevit idem Papa ut confessus eisdem Fratribus confiteatur eadem peccata proprio Sacerdoti. Mortuo SIMONE Carnotensium Episcopo, successit eidem JOHANNES de Gallendia Subdecanus Ecclesiæ Carnotensis. ALBERTUS Dux Austriæ Regem Romanorum ADULFUM in prælio interfecit, & electus post eum Rex efficitur Romanorum.

Castro de Columna ab exercitu Bonifacij Papæ destructo, & postea Sagarollâ, apud Prænestem urbem fugiunt Columnenses; ubi iterum obsessis dedit vexatio intellectum, ita ut Reatæ ad Papam Idibus Octobris humiliter venientes misericordiam & non judicium postularent, qui benignè & misericorditer à Papa sunt recepti, sed nequaquam ad status pristinos postea fuerunt restituti. Mortuo LUDOVICO Tholosanæ urbis Episcopo Appamea à Tholosa separata proprium suscepit Episcopum.

Sanctus LUDOVICUS Rex quondam Franciæ

gloriosus, qui anno præcedenti proximo Sanctorum catalogo adscriptus fuerat, cum ingenti lætitia & exultatione à Rege Franciæ PHILIPPO & à totius Regni Principibus & Prælatis apud Sanctum DIONYSIUM in Francia congregatis, de terra in crastino festi sancti Bartholomæi Apostoli elevatur, revolutis viginti octo annis ex quo in Regno Thunicij subtùs Carthaginem in Domino obdormivit. Qui quanti meriti ipse Confessor Domini gloriosus sanctus Rex extiterit Ludovicus, apud Deum miracula priùs facta demonstraverunt; specialiùs tamen post exaltationem corporis ejus à terra, in diversis mundi partibus est ostensum. Nam in tantam curationum gratiam excrevit, ut nemo ab eo sanitatem sive subsidium fidenter & fideliter exposceret, quin sine mora effectum perciperet exoptatum. Filius JOHANNIS Nunij Baro quidam Hispaniarum illustris, qui paulo antè in Franciam pro ALPHONSO & Ferrando auxilium petiturus advenerat, à suis in reditu præventus inimicis, vulneratus capitur in bello, & tamdiu mancipatur in carcere, quousque fide firmaverit quòd nullum deinceps ferret auxilium Alphonso & Ferrando, nec de parte ipsorum ampliùs se teneret. PHILIPPUS filius ROBERTI Comitis Attrebatensis unicus defungitur, & apud Fratres Prædicatores Parisius sepelitur. Hic ex uxore BLANCHA filia Ducis Britanniæ Johannis duos filios & duas filias dereliquit, quarum unam postmodùm LUDOVICUS Regis Franciæ frater Comes Ebroicarum in conjugem accepit, alteram verò GASTO filius REMUNDI Bernardi Comitis Fuxinensis. In festo sancti Andreæ Apostoli apud Reatam Italiæ urbem ubi tunc Papa & Curia morabantur, tam ingens & terribilis terræ motus accidit, quòd muris & domibus ferè ruentibus, ad campos omnes fugerunt extra urbem; & versùs finem Januarij per dies plures Cometes visus est in noctis crepusculo apparuisse. ROBERTUS Comes Attrebati tertiam uxorem accipiens filiam Johannis Hanoniæ desponsavit.

ALBERTUS. MCCXCIX.

Dux Calabriæ ROBERTUS filius Regis Siciliæ Caroli quibuſdam galeis armatis in Siciliam intravit, & ibidem occupando quædam caſtra gentes ſuas in eiſdem protinus introduxit; cujus felix auſpicium frater ſuus PHILIPPUS egregius Princeps Tarentinus intelligens, dum ipſum ſequitur inconſultè, cum gente ſua in mari à Siculis captus fuit. Inter Regem Franciæ PHILIPPUM & Regem Angliæ EDUARDUM quibuſdam conditionibus pace facta, idem Rex Angliæ MARGARETAM Regis Franciæ ſororem apud Cantuariam deſponſavit, de qua THOMAM ſuſcepit filium anno poſtea revoluto.

Tartarorum Rex CASSAHAM, qui & magnus Canis dicitur, miraculoſè, ut aiunt, ad fidem Chriſti cum plurima gentis ſuæ multitudine converſus per filiam Regis Armeniæ Chriſtianam quam deſponſaverat, innumerabilem adverſus Sarracenos exercitum congregavit, habens Regem Armeniæ Chriſtianum totius ſui exercitus Mareſcallum, & primò apud Halapiam confligens cum eiſdem, poſtea ad Camelam non abſque ſuorum plurima ſtrage facta victoriam reportavit. Deinde reparatis viribus uſque Damaſcum perſequens Sarracenos ubi Soldanus exercitum magnum collegerat, acre bellum habuit cum eiſdem, in quo centum millia Sarracenorum & ampliùs cæſa ſunt, & Soldanus de prælio fugatus cum paucis hominibus apud Babyloniam ſe recepit. Et ſic Sarracenis Dei nutu à Regno Syriæ atque Jeruſalem ejectis, dominio illa terra ſubjacuit Tartarorum, & in Paſcha ſubſequenti, ut dicitur, Chriſtiani in Jeruſalem divinum ſervitium cum exultatione & gaudio celebrarunt. Columnenſes miſericordiam Papæ BONIFACII expectantes cùm nullam ſibi adeſſe proſpicerent, occultè fugiunt, & quibus locis latuerint uſque poſt mortem ipſius Papæ incognitum fuit multis.

ALBERTUS Rex Romanorum & PHILIPPUS Rex

Rex Franciæ circa adventum Dominicum apud Vallem-coloris insimul congregati, inolita & antiqua utriusque Regni fœdera ibidem ad invicem confirmarunt. Ubi annuentibus Rege Alberto, Baronibus & Prælatis Regni Theutonici, concessum fuisse dicitur quòd Regnum Franciæ, quod solummodò usque ad Mosam fluvium illis in partibus se extendit, de cetero usque ad Rhenum potestatis suæ terminos dilataret. Ibidem etiam HENRICO Comiti de Barro trebæ usque ad annum unicum à Rege Franciæ sunt concessæ. Treugarum termino qui inter Regem Franciæ & Flandrensem Comitem concessus fuerat transacto, CAROLUS Comes Valesij missus à Rege in Flandrias post Nativitatem Dominicam cum magno Francorum exercitu, statim recepit Duacum & Bethuniam in deditionem, & pòst apud Brugas se recipiens, juxta Dam portum maritimum cum ROBERTO Comitis Flandrensis filio acre bellum habuit, sed hinc inde pluribus vulneratis, Flandrenses de prælio recedentes apud Gandavum se ociùs receperunt.

FERRICUS Aurelianensis Episcopus à quodam milite, ut dicebatur, cujus filiam puellam corruperat occisus est; cui successit Magister BERTAUDUS de sancto Dionysio Remensis Archidiaconus, qui sui temporis opinatissimus inter Theologos refulgebat.


MCCC.

CAROLUS Comes Valesij Dam portu Flandriæ expugnato, cùm Gandavum disponeret obsidere, GUIDO Comes Flandrensium stultam suam tunc percipiens superbiam, ad ipsum cum duobus filiis Roberto & Guillermo accessit humiliter, & se cum eisdem & reliquum terræ suæ Carolo reddidit, quibusdam conditionibus interjectis. Qui adducti Parisius ad Regem Franciæ postulantes veniam, minimè consequuntur; sed usque ad tempus congruæ miserationis diversis in locis sub custodia reponuntur. Papa BONIFACIUS indultum faciens concessit plenam indul-

gentiam peccatorum omnium cunctis verè pœnitentibus & confessis, accedentibus per anni præsentis spatium & per quemlibet affuturum annum centesimum ad beatorum Apostolorum PETRI & PAULI Basilicas Urbis Romæ voto peregrinationis humiliter & devotè. Regis Romanorum ALBERTI filius RADULFUS Dux Austriæ sororem Regis Franciæ Blancham apud Parisius desponsavit. ROGERUS de Laurea, qui diu pro Siculis adversus Regem Siciliæ & gentes ejus dimicaverat, absolutus nunc à Papa, & Amiralius classis Regis Siciliæ factus, viginti galeas Siculorum in mari expugnans quingentos ex ipsis & ampliùs interfecit. THEOBALDUS Belvacensis Episcopus nutritor pauperum præcipuus obiit, cui successit Simon Noviomensis Episcopus, & apud Noviomum PETRUS, post quem ANDREAS.

CAROLUS Comes Valesij uxore prima mortua secundam accepit CATHARINAM, scilicet PHILIPPI filij BALDUINI Imperatoris Græciæ quondam expulsi filiam, quam Catharinam jus Imperij contingebat. Sarraceni Nuceriæ civitatis Appuliæ, qui ibidem à tempore Imperatoris FREDERICI congregati sub tributo Regum Siciliæ vivebant legibus suis, à Carolo Rege Siciliæ capti, omnes morti traditi sunt qui Christiani effici noluerunt.

Soldanus Babyloniæ resumptis viribus Tartaros & Christianos sive Armenios à Regno Jerusalem & Syriæ devictos expellit, & terram suo dominio subjugavit.



CONTINVATIO CHRONICI *Guillelmi de Nangis à Monacho Benedictino Abbatiæ S. Dionysij in Francia, ab anno* MCCCI. *ad* MCCCLXVIII.

COMPENDIOSE satis ad multa perutilem Chronographiæ seriem à venerabili fratre Cœnobij nostri Conmonacho GUILLERMO DE NANGIACO ab initio mundi usque huc, hoc est usque ad annum Domini millesimum trecentesimum inclusivè studio diligenti stylóque eleganti digestam, ulteriùs quantum ex alto mihi concessum fuerit aut permissum protrahere cupiens, Regnorum subscriptionem & annorum Christi decursum prout in opere suo idem intitulaverat frater, & ego ipse ordine non mutato annotare & intitulare curavi. Verùm cùm breves sint hominis dies, eorúmque paucitas ita finiatur in brevi, ut caduca mortalis ac misera vita nostra multis repleta miseriis & resperſa tamquam vapor parens ad modicum non subsistat, sed ut fumus ociùs evanescens, dum interdum adhuc ordiri videtur & incipere, à Domino velut à texente subitò præscindatur vel repente præcurritur; Fratres nostros præsentes ac posteros in visceribus charitatis efflagito, quatinus si quid scripsero minus cautè seu etiam viciosè, caritativè corrigant: sed & ubi morte præventus aut alio impedimento detentus legitimo, compulsus fuero stylo finem imponere, ea si placet nostris adjiciant, quæ digna memoriæ pro suis temporibus in futurum evenire continget. Hoc si quidem Fraternæ societatis emolumentum, hoc mutuum veræ dilectionis solatium ex sententia Salomonis fore didicimus, ut dum unus casui proximare visus fuerit, ab alio fulciatur, ac si deciderit sublevetur. Prefatio.

MCCCI.

Tunc temporis clarebant in Francia illustres & honestæ viduæ, BLANCHA videlicet sancti quondam Regis Franciæ LUDOVICI filia in sancta conversatione apud sanctum Marcellum prope Parisius Deo vacans, & MARGARETA Siciliæ Regina primi CAROLI Regis Siciliæ uxor secunda apud Thornodorum Burgundiæ in hospitali pauperum ab ea instructo, pia devotione pauperibus obsequia servitutis & humilitatis impendens. LUDOVICUS Comes Ebroicensis frater Regis Franciæ MARGARETAM filiam PHILIPPI ROBERTI Comitis Attrebatensis filij desponsavit.

CAROLUS Comes Valesij frater Regis Franciæ Romam adiit cum nobili comitiva, disponens postmodùm si Papa consuleret Constantinopolitanum Imperium quod hereditario jure suam contingebat uxorem expugnare : qui à Papa & Cardinalibus honorificè susceptus, Vicariusque ac defensor Ecclesiæ constitutus, multos eis rebelles in Tuscia debellavit. PHILIPPUS Rex Franciæ Comitatu Flandriæ visitato & oppidanorum fidelitatibus Nobiliumque receptis homagiis, JACOBUM sancti Pauli Militem totius custodem dereliquit patriæ. Comes Barri Henricus videns quòd Francorum Rex Philippus terram suam devastare disponeret vi armorum, accessit ad eum humiliter, ac demum veniam de commisso quam à Rege supplex petierat reportavit. Mense Septembris visa est cometa circa noctis crepusculum inflammationis suæ radios sive caudam præcipuè versùs partes Orientis emittens. EDUARDUS Angliæ Rex profectus in Scotiam cùm parum aut nihil proficeret contra Scotos, ad propria remeavit. Soldanus Babyloniæ resumptis viribus Tartaros, Armenios ceteróśque Christianos à Jerusalem & Syria expulit, & terram suo dominio subjugavit. Mense Januario Luna totaliter in aspectu satis horribili eclipsatur.

Legitimatis per Papam BONIFACIUM filiis SANCIONIS Hiſpaniæ Regis defuncti, paternum Regnum FERRANDUS eorum primogenitus occupavit; ſed ALPHONSUS & FERRANDUS frater ſancti LUDOVICI ex filia Blancha nepotes, jus Regni ſibi vendicantes, eis totis viribus ſe opponunt. Primus Apamienſis Epiſcopus in Curia Regis Franciæ ſuper contumeliæ verbis, ut aiunt, prolatis contra Regiam Majeſtatem dum aliquandiu ſub nomine Narbonenſis Archiepiſcopi fuiſſet detentus, tandem de mandato Regis Papæ reſtituitur, ac de regno recedere ſub debita & indicta ſibi celeritate jubetur. Rex PHILIPPUS ad cautelam Regni ſui majorem Regio decrevit edicto ſub certarum imponere pœnarum, ne aurum, argentum aut quælibet mercaturæ extra Regnum Franciæ veherentur, ob hoc magna diligentia introitus omnes & exitus ceteróſque Regni paſſus faciens cuſtodiri.

MCCCII.

CAROLUS Comes Valeſij de Tuſcia in Siciliam juſſu Papæ profectus, Terme caſtrum Siciliæ ad quod aſſultum facere properabat circa Aſcenſionem Dominicam in deditionem recepit. Apud Brugas Flandriarum propter exactiones indebitas oppreſſionéſque minus juſtas, quibus per gentem Regis Franciæ, præcipuè per JACOBUM ſancti Pauli cuſtodem patriæ deputatum, de quo ſupra meminimus, ſe gravari populus ſentiens, ut aiunt, gravi diſſenſione ſuborta inſurgentibus primò minoribus in majores non modicus hinc & inde ſanguis effunditur. Quod cùm Regi nunciatum fuiſſet, & ſtatim armatos mille vel circiter ad reprimendam moderatè ſi poſſet ſeditionem hanc direxiſſet; ecce ſtatim ad aures pervenit Brugenſium, quòd prædictus ſe jactaverat cuſtos eorum quamplures eſſe ſuſpenſuros in brevi; quo audito protinus efferati furioſè cum impetu exilientes, ex inſperato videlicet & de nocte dum in lectis quieſcerent armis

depoſitis, quotquot invenerunt amariſſimæ morti tradunt, præfato Milite vix per occultæ fugæ præſidium evadente. Interea dum Brugenſes apertæ rebellionis ſpiritu ſic aſſumpto, ac cum GUIDONE Namurſij Guidonis Comitis Flandrenſis filio necnon gente, portum marinum quemdam applicant *; & aliis multis eis illico faventibus eorumque partem foventibus viriliter tueri ſe præparant, auxiliarios undique perquirentes: ecce ROBERTUS egregius Attrebati Comes à Rege miſſus in Flandrias cum valida robuſtorum militia ac pedeſtri multitudine copioſa conflicturus cum ipſis inter Brugas & Corteriacum caſtra fixit. Porrò dum quadam die Julij Menſis ex utriuſque partis condicto forent in prælio congreſſuri, Brugenſes robuſto animo & volenti reſiſtere prompti pariter adunati & denſati, valde diſpoſiti venerunt pedites fere omnes; milites verò noſtri præſumptuoſè nimiùm in ſuis viribus confidentes, ipſóſque ut homines ruſticanos habentes deſpectui, mox pedites ſuos qui belli cuneum præcedebant, ex ordine retrahere compellentes, ne peditibus ipſis victoria quam ſtatim obtinere putabant & non equitibus videretur adſcribi, in eos pompaticè & incautè abſque belli ordine irruerunt; quos Brugenſes cum lanceis adjunctis & exquiſiti generis quod gothendar vulgò appellant viriliter impetentes, in mortem dejiciunt quotquot illo impetu obviam habuerunt. Sed & Attrebati Comes egregius illuſtríſque pugnator ſuccurrere ſuis accelerans dum in hoſtes tamquam leo rugiens immergit viriliterque decertat, triginta vel ampliùs ſauciatus vulneribus, ut poſtmodùm teſtati ſunt oculi qui viderunt, tandem, proh dolor! cum ſua nobili comitiva, videlicet GODEFRIDO de Brabanto conſanguineo ſuo, dominóque Virſionis ejuſdem Godefridi filio, Comite Augi, Comite Albæmalæ, filio Comitis Hannoniæ, RADULFO domino Nigellæ Franciæ Coneſtabulario, GUIDONE ejus fratre Franciæ Mareſcallo, Cambellano TAN-

f. * occupant.

QUERVILLE, REGINALDO de Tria emerito Milite, PETRO Flote, JACOBO sancti Pauli, aliísque quasi ducentis Militibus cum multis armigeris probitate conspicuis, ceteris aciebus exercitus nostri in multo majori numero tam nobilium quàm ignobilium turpissimè terga vertentibus, cursúque veloci fugam arripientibus, gemebundam totíque Regno, & quàm dolentes referimus, lamentabilem occumbit in mortem: Cujus corpus postmodùm circa diem tertium Fratrum Minorum Attrebati Gardianus recolligens in quadam Capella Monialium nondum dedicata, prout potuit servitio celebrato, Ecclesiasticæ tradidit sepulturæ. Hujus verò futuræ demolitionis instantiam cometa Septembri præterito visa, eclipsísque Lunæ, Januario Mense facta veraciter, ut tradunt aliqui, protendebant. Hac igitur Guido Namursij exhilaratus victoriâ, suorum animos totas occupandi Flandrias ambitione succensos extendere nititur ad majora. Nam postmodùm insudans * Insulanos nunc dolis, nunc armis tam eos quàm Yprenses ac Gandavos ceteráque Flandriæ villas ad deditionem coëgit pariter & allexit. PHILIPPUS Rex Franciæ post quindenam Assumptionis beatæ MARIÆ Virginis tanto apud Attrebatum exercitu congregato, ut totam Flandriam cum suis habitatoribus destruere satis de facili potuisset; ad duas leucas vel circiter castra figens, malignorum ut creditur consilio circumventus, nec hostes quos de prope castra metatos habebat, aut villas eorum aliquas assailliri permisit; sed toto Septembri tempus in vacuum ducens, tandem licentiato exercitu tam potenti, inefficax & inglorius in Franciam remeavit. Quo viso statim hostes proximas villas & municipia Comitatus Attrebati incenderunt; sed Milites cum servientibus & armatis illuc à Rege dimissis cum bellico apparatu conatus crebros Flandrensium decursúsque in terram Attrebati sæpe viriliter coercentes, cum ipsis habito conflictu in vigilia sancti Nicolai in prælio circiter octingentos versùs Aeriam occiderunt.

f. * invadens *vel* obsidens.

CAROLUS Valesij Comes carorum suorum illustrium in Flandria occisorum morte, ut dicitur, jam audita, perturbationi Regis ac Regni compatiens, gentis suæ consilio cum FREDERICO & Siculis pacem composuit in hunc modum: videlicet quòd Fredericus ALIENORDEM Regis Siciliæ filiam in uxorem duceret, & sic Insulam Siciliæ totam toto tempore vitæ suæ pacificè & quietè absque Regis nomine possideret. Ipse verò CAROLUS & Dux Calabriæ Robertus Siciliæ Regis filius, qui præsens tunc aderat, laborare tenebantur suis pro viribus erga Regem Arragonum & Comitem de Bregna, quòd jura Cypriæ & Sardiniæ Regnorum, quæ ad ipsos pertinere dicebant, quietè dimitterent Frederico, dum tamen Papa super his assentiret, & Fredericus ipse sumptibus propriis ea conquirere sibi posset; vel aliter de Regno quod alteri de præfatis duobus esset æquivalens provideret eidem. Quod si commodè non possent effectui mancipare, Carolus Siciliæ Rex teneretur dare centies mille uncias auri post ipsius Frederici decessum, ad emendum videlicet possessiones ac redditus pro pueris ipsius de Alienorde Regis filia procreatis; quidquid autem Fredericus vel aliàs frater ejus Arragoniæ Rex in Calabria seu Appulia dudum acquisierant, totum ex nunc Regi Siciliæ dimittebant; dimissis nihilominus ab utraque parte injuriis, rancoribus & offensis; captivis qui in Sicilia vel alibi detinebantur absque pretio liberatis. Sic itaque pace composita, & tam per Fredericum quàm per Proceres Siculorum populíque Majores ad sancta Dei Evangelia corporaliter tacta præstito juramento, vallata * firmaverunt. Carolus Valesij Comes Siculos absolvi faciens per Capellanum suum cui Papa vices suas in hac parte commiserat Romam redit, ubi Papæ & Cardinalibus quid in Sicilia fecerat enarrato, eisdem vale faciens circa Purificationem beatæ Virginis in Franciam est reversus.

* pacta *seu* promissa

OTHELINUS Burgundiæ Comes, qui etiam de dominio

dominio Comitatus Attrebati ratione MATILDIS conjugis suæ filiæ ROBERTI Comitis antea defuncti nuper à Rege fuerat investitus, salvo tamen jure quod filij PHILIPPI ejusdem Matildis fratris olim defuncti in dicto Comitatu habere poterant & petebant, diem clausit extremum. Burdegalenses qui hucusque sub Regis Franciæ fuerant potestate, inefficacem ejus à Flandriis audientes regressum, timentes etiam, ut asserebant quamplurimi, nisi Franciæ & Angliæ Reges inter se pacificari contingeret, denuo potestati Regis Angliæ subderentur, ipséque postmodùm eisdem faceret quod ipse jamdudum fecisse civitati Londoniæ recolebat; expulsis à Burdegala Francis, sibi ipsis dominium civitatis usurpant. Die Cenæ Dominicæ apud sanctum Audomarum in Flandria quindecim millia Flandrensium vel circiter à gente Regis Franciæ occiduntur; quod audientes ceteræ Flandrensium phalanges quæ paulo antea JOHANNIS Hannoniæ Comitis terram quam à Rege Franciæ tenebat in feodum devastabant, ejusque castrum fortissimum quod Bouchin nominant jam ad terram prostraverant, datis trebis Hannoniensibus, ad suos tuendos terminos revertuntur.

MCCCIII.

Parisius ipsâ hebdomadâ Paschæ venerunt ad Regem Franciæ Nuntij Tartarorum, dicentes quòd si Rex & Barones gentes suas in terræ sanctæ subsidium destinarent, eorum dominus Tartarorum Rex Sarracenos totis viribus expugnaret, & tam ipse quàm populus suus efficerentur libenti animo Christiani. Apud Insulam Flandriarum die Jouis post octabas Resurrectionis Dominicæ ducenti equites & trecenti pedites Flandrensium armati tam occisi quàm capti sunt à Tornacensibus à FULCANDO DE MULA * Regis Franciæ Marescallo.

* *Fouquaut du Mel'e Seneschal le Roy de France.* In chr. Nangij Gall. MS.

PHILIPPUS Rex Franciæ Gasconiæ terram quam diu tenuerat occupatam, EDUARDO Regi Angliæ

restituit, sícque inter eos pax extitit reformata. Audiens Rex Franciæ Philippus à pluribus fide dignis sublimibúsque personis Papam BONIFACIUM detestandis infectum criminibus, diversisque hæresibus irretitum; quamvis adhuc de facili Regis obturaverat aures, demum tamen in publico Parlamento Parisius Prælatis, Baronibus, Capitulis, Conventibus, Collegiis, Communitatibus & Universitatibus villarum Regni sui, necnon Magistris in Theologia & professoribus juris utriusque, aliisque sapientibus & gravibus personis diversarum partium ac Regnorum præsentibus, importunis denunciatorum clamoribus atque frequentibus pulsatus instantiis, præcipuè LUDOVICI Ebroicensis, GUIDONIS sancti Pauli ac JOHANNIS Drocensis Comitum, qui præstitis ad sancta Dei Evangelia ab eis tacta corporaliter juramentis asserebant prædicta se credere esse vera & ea legitimè posse probari, Regémque tamquam præcipuum Christianæ fidei defensorem instantissimè requirebant, ut pro deliberatione super præmissis habenda generale convocari Concilium procuraret. Cùm urgente conscientia ulteriùs dissimulare non posset, ad Concilium generale per Sedem Apostolicam promovendum, quod in isto casu Summo præest Pontifici, deliberatione super hoc multa tamen maturitate præhabita, Prælatis, Baronibus & aliis supradictis, Abbate Cistertij dumtaxat excepto, sibi adhærentibus appellavit, appellationésque suas die Nativitatis beati Johannis Baptistæ in horto Regalis Palatij Parisius coram omni Clero & populo palam & publicè legi fecit, ac postmodùm Papæ Bonifacio per GUILLERMUM de Nogareto Militem Legúmque Professorem, Regiis patentibus litteris intimari petens ab eodem convocationem Concilij * protectioni subponens.

*f. deest * & hujus Concilij sc.*

EDUARDUS Angliæ Rex de Scotis sibi adversantibus triumphans, magnam Scotiæ partem suo dominio subjugavit. PHILIPPO Comitis Flandrensis

filio de Apulia, ubi cum Rege Siciliæ diu moram contraxerat, circa festum sancti JOHANNIS cum ingenti stipendiariorum comitiva in Flandrias appulso, lætus ideo pariter & elatus Flandrensis populus, terram Regis Franciæ cœpit acriùs incursare; Castrúmque sancti Audomari obsidere volentes, cùm ibi propter loci fortitudinem non possent proficere, versus Morinum Franci Regis civitatem tendentes Mense Julio obsederunt & lethali tandem incendio conflagrarunt.

PHILIPPUS Rex Franciæ circa Mensis Septembris initium proponens iterum in Flandrenses arma corripere, apud Peronam oppidum Veromandense & ejus in confinio expeditionem ac multos valde exercitus congregavit; sed ibidem, ut aiunt, Sabaudiæ Comitis maligno consilio circumventus usque ad festum subsequens Pentecostes treugis hostibus datis acceptísque pariter ab eisdem, secundò inglorius à Flandris remeavit.

Papa BONIFACIUS appellatione Regis Franciæ prædicta sibi per Guillermum de Nogareto Militem ad hoc dumtaxat à Rege præfato directum, & summatione facta generalíque promotione Consilij requisita, sed ab eo, ut dicitur, denegata penitus & expressè etiam per suas litteras valvis Ecclesiarum adfixas; tandem in domo sua quam inhabitabat Anagniæ, unde extrahebat originem, à quibusdam urbis civibus, ipsius militibus aliisque, hac causa armata multitudine per præfatum Militem, qui hoc totum fieri, ut communis asserebat opinio, procuraverat, cum communitatibus opémque sibi ferentibus violenter detentus & captus, ne de facto in præjudicium Regis aut Regni, appellationibus supradictis non obstantibus quamquam satageret attentaret, Romam usque perducitur; verùm tam dolore cordis tactus intrinsecus quàm corporis ægritudine detentus pauco pòst tempore superveniente diem clausit extremum. Cui BENEDICTUS undecimus Fratrum Prædica-

totum Ordinis, natione Italicus, Papatui ſucceſſit.

Defuncto HUGONE de Marchia Comite civitatis Angoliſmæ ad Regem Franciæ Philippum ſuus devolvitur Comitatus. Philippus Rex Franciæ Aquitaniæ, Albigenſium & Tholoſæ provincias uſque Narbonenſium fines toto tempore hyemali perluſtrans, benignitatis ſuæ liberali munificentia eorum omnium corda tam nobilium quàm ignobilium, quorum nonnulli ut ferebatur malorum ducti conſilio jam ab ipſo volebant deficere, mirabiliter extraxit ad ſe & in ſui gratia confirmavit. Circa idem tempus nimiùm invaleſcente querela adverſus quoſdam Ordinis Prædicatorum Fratres ab Inquiſitoribus pravitatis hæreticæ deputatos Tholoſanis in partibus, ſuper eo videlicet quòd interdum, ut dicebatur, cupiditate magis quàm fidei zelo ducti plures tam nobilium quàm ignobilium accuſantes diverſis mancipari carceribus faciebant, & qui dabant eis pecunias aut munera evadebant impuniti. Factum eſt ut Intendens * de Picquegniaco Miles ſapiens & expertus & in fide Catholicus, qui ex parte Regis, ad cujus aures jam querela memorata pervenerat, illis in partibus factus fuerat Seneſcallus, & legatione tunc temporis fungebatur; ſuper his, prout fertur, informatione præhabita diligenti, quoſdam in carceribus ſic detentos innoxios labis hæreticæ reperiens & inſontes invitis ipſis Fratribus de carcere liberaret. Cúmque poſtmodùm ab Inquiſitoribus præfatis id indignè ferentibus pro excommunicato Pariſius palam & publicè denunciatus fuiſſet, ſed ſtatim ad Sedem Apoſtolicam appellaſſet; tandem in appellationis proſecutione deceſſit apud Peruſium, ubi tunc Curia reſidebat. Circa Purificationem beatæ Virginis filia GUIDONIS Flandriæ Comitis, quæ Pariſius honorificè cum pueris Regis in cuſtodia tenebatur, defuncta eſt.

l. * Vicedominus, Gall. MS. Le *Vidame de Piguigni Chevalier ſage, local, exſpés, gentil.*

GUIDO Comes Flandrenſis & GUILLERMUS ejuſdem filius ad pacificandum ſi poſſent populum Flandriarum de locis ubi detinebantur ad tempus ſo-

luti, inefficaces ad ſuæ loca cuſtodiæ revertuntur. Guillermus Johannis Comitis Hannoniæ filius & Guido Trajectenſis Epiſcopus ejuſdem Guillermi patruus contra Flandrenſes, qui magnam partem Gellandiæ * occupaverant, progredientes, in prælio ſunt devicti, capitúrque Epiſcopus, ſed Guillermus in quodam oppido ſe ſalvavit. Vigilia ſancti Gregorij defuncto bonæ memoriæ Abbate ſancti Dionysii Reginaldo, Ægidius magnus Prior Clauſtralis tunc temporis ſucceſſit eidem.

* Hollandia.

MCCCIV.

Guillermus de Hannonia contra Flandrenſes viribus reparatis confligens, eos in terra Gelladiæ pluries ſuperavit, & ingentem eorum multitudinem interfecit. Quædam pſeudo mulier Metis, ut dicitur oriunda, ſub habitu Beguinarum ſanctitatem ſimulabat, & inter earum catervas in Flandria . . . . quam paupertatem ſive pauperiem appellabant : quæ etiam ſimulatis fictitiis quibuſdam revelationibus ac mendoſis tam Regem Franciæ quàm Reginam ac Proceres, maximè cùm ipſe Rex Flandrenſes cum quibus ipſa degebat tunc temporis expugnare parabat, ſuis verbis fallacibus deluſiſſe dicebatur ; necnon Carolum Fratrem Regis in regreſſu ſuo de terra Siciliæ ad ſuggeſtionem Flandrenſium, prout fertur, extinguere molita fuerat ſuis maleficiis & veneno malicioſo nimis per quemdam juvenculum ibi miſſum. Tandem de mandato ipſius Caroli capta plantarúmque pedum aduſtione quæſtionata pariter & afflicta, maleficia recognoviſſe dicitur mentionata. Cúmque poſtmodùm apud Creſpeyum Caroli caſtrum carceri mancipata fuiſſet, & illic aliquandiu ſic detenta, demum tamen abire permittitur liberata. Johannes de Pontizara Abbas Ciſtercij ſui loci & Ordinis regimen ſponte ceſſit; ob hoc videlicet, ut dicebant, quòd occaſione ſui, eo quod appellationibus contra Papam Bonifacium factis Pariſius

consentire noluerat, per Regem Franciæ vel ejus Satellites, imminere sui Ordinis Fratribus quamplurimum in temporalibus detrimentum verisimiliter dubitabat, nisi sic cedere decrevisset. Cui successit HENRICUS Abbas Joiacj. Dominica die in Nativitate beati Johannis Baptistæ positæ sunt sorores Ordinis Fratrum Prædicatorum apud Poissiacum Carnotensis diœcesis Monasterio, scilicet à Philippo Rege Franciæ noviter constructo in honorem gloriosi Confessoris quondam Regis Franciæ LUDOVICI.

Orta dissensione Parisius inter Universitatem Regísque Præpositum, pro eo quòd ipse quemdam Clericum scholarem præcipitanter capi fecerat & suspendi, diu cessatum est à Lectionibus à qualibet Facultate, quousque Præpositus de mandato Regis Universitati satisfaceret, ac pro suæ absolutionis beneficio obtinendo Sedem Apostolicam adiret; & sic tandem circa festum Omnium Sanctorum fuit facta resumptio Lectionum. Obiit Simon Parisius Episcopus, cui successit GUILLERMUS de Aureliaco Regis Franciæ Physicus, vitæ laudabilis & in medecina multiplici expertus. Vigilia Apostolorum Petri & Pauli Parisius in Ecclesia cathedrali Prælatis & Clero præsentibus ad hoc specialiter evocatis, lectæ sunt ex parte Regis Franciæ litteræ continentes inter alia, quòd Papa BENEDICTUS quamvis non fuisset super hoc requisitus, ipsum Regem, Reginam, liberos, eorumdum Proceres atque Regnum unà cum suis adhærentibus ab omnibus excommunicationibus & interdicti sententiis, si quæ vel eorum alterum à Papa Bonifacio qualitercumque latæ fuissent, absolvebat penitus ad cautelam; necnon Ecclesiarum decimas usque biennium, necnon annualia usque triennium Regi Franciæ in suæ guerræ subsidium concedebat, auctoritatem licentiandi Magistros in decretis & Theologia, quam sibi dicebat Papa Bonifacius reservasse, more solito Cancellario Parisiensi restaurans. Papa Benedictus apud Perusium Nonas Julij defunctus est;

cúmque Cardinales electionis negotium retardantes juxta constitutionem GREGORII fuissent inclusi, sibi tamen exquisitis fraudibus ministrari victualia procurantes, fere usque annum distulerunt in electionem Summi Pontificis consentire.

PHILIPPUS Rex Franciæ circa festum Magdalenæ post Brugensium rebellionem tertiò profectus in Flandrias cum fratribus suis CAROLO & LUDOVICO aliisque Proceribus multis, necnon exercitu magno valde; tandem apud Montem qui dicitur in Pabula repertis Flandrensibus cum suo exercitu, illic tentoria sua fixit. Cùm itaque die Martis post Assumptionem beatæ Virginis nostri cum hostibus conflictum quantociùs habere credentes, de mane se ipsos ad prælia præparassent; postea nihilominus videntes quòd in prolocutione pacis, si posset fieri, componendæ per plures sæpiùs hinc & inde transmissos prolixior se hora protraheret, ad refocillandum paulisper tam suos quàm equorum spiritus, ut dum tempus adesset ad pugnam recentiores possent effici & fortiores adstatione belli paululum devincerent *; quippe qui per fere totum diem sic occupatum tam armorum in vacuum pondere pressi, quàm meridiano solis fervore mirabiliter fatigati fuerant & afflicti, necnon pacem jam factam vel statim fieri verisimiliter æstimabant. Quod perpendens, ut dicitur, Flandrensis exercitus, quasi advesperascente jam die de suis tentoriis repente prosiliens, retrogressu adeò velocj versùs aciem Regis qui etiam tunc erat impertitus * ex insperato progreditur & accurrit, ut à suis utcumque vix armari potuerat competenter. Verùm actore Deo qui inclytam Regno Franciæ coronam hac in die præcipuè protegere eam susceperat, & in suo capite præservare, tanta constantia virtus in domino Rege prævaluit, ut equum potenter ascendens sic impetum belli sustinuerit; quamvis in tanto periculo positus ut HUGONEM de Bouilla Militem suum Sectarium, necnon duos Parisius cives PETRUM scilicet & JACOBUM * Geniani

* deveni-rent.

* imparatus.

* Gentiani.

fratres, qui pro suæ fidelitatis industria Regi semper adstabant, præ oculis suis occisos conspicere posset: sed tunc Deo propitio suis bellatoribus mox ex omni parte in auxilium ejus certatim accelerantibus cessit ei victoriæ gloriosus triumphus. Illic autem de nostris GUILLERMUS Comes Autissiodorensis & ANCELLUS Comes dominus Caprusiæ vir fidelis ac strenuus probatæ Militiæ Regis Vexillifer seu deferens Auriflammam, extincti, ut creditur, calore nimio vel etiam pressura, cum multis aliis qui in prælio occisi corruerunt. Sed de parte Flandrensium multo plures, inter quos præcipuè GUILLERMUS de Jullieriis Comitis Flandrensis nepos ex filia, totius exercitus Dux & Capitaneus Principalis. Hac igitur parta victoria cùm Rex ipse postmodùm satis celeriter totam Flandriæ terram circa Lilij fluvium positam suo dominio subjugasset, eis qui trans Lilium habitabant usque ad Pascha propter instantem hyemem treugis datis, tandem in Franciam cum laude revertitur & honore. Porro ne collati sibi cælitus à Deo triumphi videretur immemor aut ingratus, Ecclesiæ beatæ MARIÆ Parisius & beati Dionysij in Francia Regni Franciæ specialis patroni, quorum patrociniis confitebatur præcipuè se protectum, necnon victoriam memoratam adeptam, aliísque quampluribus Ecclesiis Regni sui, ut Regalem decuit munificentiam, perpetuos ac certos redditus conferre pariter & assignare curavit. Eodem temporis cursu GUIDO Comitis Flandrensis filius per gentem Regis viarum maris & portuum custodiæ deputatam ac GUILLERMI Comitis Hannoniæ filium, bello navali capitur. Insuper Flandrenses à terra Gellandiæ quam occupaverant expelluntur. Mense Decembri ossa ROBERTI quondam Attrebatensis Comitis apud Corteriacum occisi in Franciam delata, & in Monasterio Sanctimonialium quod vulgò dicitur Maladinus * juxta Pontizaram sunt sepulta.

f. * Malodumus *Maubuisson.*

In Parlamento Regis Parisius post Natale de pace Flandrensium

Flandrensium fuit, ut dicitur, ordinatum, sed tamen non penitus consumptum. Mense Februario decessit GUIDO Comes Flandrensis in Francia captivatus pariter & detentus; cujus corpus permissione Regis in Flandrias est delatum, & Marguetæ unâ cum suis antecessoribus tumulatum. Ducissa Austriæ BLANCHA Regis Franciæ soror ex patre mense Martio unà cum filio suo unico, quem à Duce viro suo susceperat, veneno, ut ferebatur, intoxicata, diem clausit extremum. Eodem tempore caristia præcipuè Parisius & circa in tantum invaluit, quòd frumenti sextarium centum solidos & tandem sex libras monetæ tunc temporis currentis Parisius vendebatur. Porro cùm Regio proclamatum fuisset publicè edicto ne ultra quadraginta solidos venderetur; nec dum tamen propter hoc cessavit caristia, sed adeò magis invaluit, ut Parisius panifici qui panem venalem ad sufficientiam habere non poterant, claudere compellerentur fenestras & ostia, ne eis à pressura communis populi per violentiam auferrentur: verumtamen edicto præfato postmodùm revocato, necnon divitum horreis perscrutatis ad vendendum justo pretio compulsorum, dicta caristia paulatim postea secessit, quæ tempore longiori cessavit, quamvis tantò illa major fuerit respectu temporis præcedentis.

JOHANNA Regina Franciæ & Navarræ, Britanniæ * & Campaniæ Comitissa Mense Aprili apud nemus Vincennarum decedit, & in Ecclesia Fratrum Minorum sepulta, quiescit illuc, quod factum monitis tractatum potiùs, aut inducta creditur, quàm spiritu suo ducta. Frater JOHANNES de Parisius Ordinis Fratrum Prædicatorum magister in Theologia vir admodum litteratus & ingenio clarus, circa veram existentiam Corporis Christi in Sacramento altaris novum ponendi modum introducere conatur; dicens videlicet non tantùm hoc esse possible commutatione substantiæ panis in corpus Christi verbo adesse * suppositi ipsius, mediante corpore, quod est

* Briæ.

f. * suppositum.

pars naturæ humanæ; verùm etiam hoc esse possibile per assumptionem substantiæ panis vel paneitatis in Christo; nec credebat primum modum ponendi quem communis Doctorum opinio tenet, esse ita necessariò tenendum seu ab Ecclesia destinatum, quin etiam secundus possit teneri tamquam populis *, & fortassis, ut dicebat Magister *, rationabilis & congruus veritati sacramenti, & per quem magis salvatur apparentia circa species sensibiles remanentes. Ceteris Theologiæ Doctoribus contrarium adstruentibus, primum modum tamquam ab Ecclesia destinatum, præsertim per Decretalem Papæ de Summa Trinitate & fide Catholica *Firmiter credimus*, necessario tenendum, & secundum tamquam veritati fidei & etiam sacramenti dissonum meritò reprobandum. Examinata itaque opinione prædicta dum ea quæ dixerat retractare nollet, sed magis videretur pertinaciter sustinere . . . . à GUILLERMO Parisius Episcopo de consilio Fratris ÆGIDII Bituricensis Archiepiscopi provecti * Theologi, ac Magistri BERTRANDI de sancto Dionysio præcellentis Doctoris & Aurelianensis Episcopi, ac GUILLERMI Albianensis * Episcopi necnon & Doctoris * in Jure Canonico, pariter & Dominorum ad hoc specialiter vocatorum, perpetuum super hoc silentium dicto fratri sub pœna excommunicationis impositum *, à lecturáque pariter & prædicatione privatur. Verùm cùm ob hoc ad Sedem Apostolicam appellasset, auditoribus sibi datis in Curia sed infecto negotio de medio sublatus est.

* popularis
* magis rationabilis.
* perfecti.
f. * Ambianensis.
* Doctorum.
* fuit.

MCCCV.

PHILIPPUS Rex Franciæ dissensionem gravem inter Ducem Brabantiæ & Comitem Lucemburgi, pro terra Lovaniensi subortam circa Ascensionem Domini pacificasse dicitur & sedasse. Cùm Cardinales fere per annum electionem Summi Pontificis distulissent, tandem vigiliâ Pentecostes BERTRANDUM Burdegalis Archiepiscopum elegerunt, qui &

CLEMENS V. Papa ducentiſimus primus vocatus eſt. Pax inter Regem Franciæ & Flandrenſes. Apud Belvacum Galliæ urbem diſſenſio adeò gravis ſuboritur inter SIMONEM Epiſcopum & populum civitatis, ut Epiſcopus urbem tutus ingredi non auderet, propter quod plures Nobiles & Potentes, cùm & ipſe nobilis generis eſſet, in ſubſidium ſuum convocans, nonnullos cepit è civibus, ſuburbiúmque civitatis ſuccendit. Tandem nihilominus evocati in præſentia Regis utriuſque * controverſiæ finem . . . . *f.** utrique.
compelluntur imponere, quamvis non impunè cùm utrique graviter exceſſiſſent. Æſtivo tempore fuit in Francia ſiccitas magna valde. LUDOVICUS primogenitus Regis Francorum die Jovis poſt feſtum ſancti MATTHÆI Apoſtoli MARGARETAM primogenitam Ducis Burgundiæ ſibi conſanguinitate propinquam cum diſpenſatione Papæ duxit in uxorem.

Papa CLEMENTE Dominicâ poſt feſtum ſancti Martini hyemalis apud Lugdunum in Eccleſia Regalis oppidi, quod dicitur ſancti Juſti, præſentibus Cardinalibus & Prælatis, multíſque Principibus conſecrato, dum ſuam ad domum in urbem rediens geſtans, ut moris eſt, ſuæ coronationis inſignia, per frenum equi cui inſidebat à Rege Franciæ, qui ob hoc pia humilitate ſe ipſum pedeſtrem poſuerat ſeu conſtituerat, per Curiam dumtaxat oppidi memorati deductus maximo cum honore fuiſſet; illic à fratribus CAROLO & LUDOVICO necnon Duce Britanniæ JOHANNE ſuſcipitur adhuc uſque domum modo deducendo conſimili. Porro cùm maxima populi multitudo ad hoc ſpectaculum cucurriſſet, ut congregata, murus quidam juxta quem ipſi Papæ ejúſque comitivæ tranſitus imminebat, ob preſſuram conſedentis ſuper eum multitudinis ad terram tam ſubitò violenter corruit, quòd ex ejus ruina præfatus Britanniæ Dux fuerit prout in brevi ſubſequens mors probavit, percuſſus, Carolúſque Regis frater læſus graviter, necnon Papa tam in confractione Papaliæ mitræ quam aliàs multi-

pliciter deturbatus, aliis quampluribus læsis graviter aut peremptis; sícque dies ille qui prima facie honoris exultationem prætendebat & gaudium, mœroris confusionem superinduxit & lamentum. Papa CLEMENS antequam Rex Franciæ recederet à Lugduno, concessit ei caput sancti LUDOVICI avi sui cum una de costis ipsius in Capellam suam Parisius à Monasterio sancti Dionysij transportandum; ejúsque precibus PETRUM & JACOBUM de Columna fratres, qui per Papam Bonifacium à Cardinalatu dudum degradati fuerant, ad pristinam restituit dignitatem. Insuper in recompensationem expensarum factarum in Flandriis, decimas Ecclesiarum & annualium usque ad triennium concessit, necnon pro suis fratrúmque suorum Capellanis & Clericis de præbendis in proximo vacaturis fere in omnibus Ecclesiis Regni sui favorabiliter providit, necnon ad monetæ debilis quam fecerat meliorationem, & instanter * solutum, reditionem, ut ferebatur, indixit. CLEMENS Papa Lugduni super numerum Cardinalium, decem & octo novos constituit Cardinales; duos etiam Cardinales pro se transmisit Romam ad servandam Senatoriam dignitatem; duos Episcopos etiam fieri Atrebatensem & Pictaviensem disposuit; Episcopo Dunelmi Patriarcham * Jerosolymitanum concessit, necnon pauperibus Clericis gratias amplas fecit, providens eis de beneficiis secundùm exigentiam & merita personarum.

f. * instantem solvendorum redditionem induxit.

f. * Patriarchatum.

Rex PHILIPPUS post Natale Domini in Francia revertitur à Lugduno. Papa CLEMENS circa Purificationem beatæ Virginis à Lugduno recedens Burdegalis per Matisconem, Brivatum, Bituricas . . . . & Lemovicas iter faciens tam Religiosorum quàm sæcularium Ecclesias & Monasteria tam per se quàm per suos satellites deprædando, multa & gravia intulit eis damna; unde & Frater ÆGIDIUS Bituricensis Archiepiscopus per hujusmodi deprædationes ad tantam devenit inopiam, quòd tamquam

unus de suis simplicibus Canonicis ad percipiendum quotidianas distributiones pro vitæ necessariis horas Ecclesiasticas frequentare coactus sit. ROBERTUS Burgundiæ Dux bonæ memoriæ decessit in Martio, cujus corpus in Burgundia ut vivens ordinaverat est delatum, atque Cistercij Monasterio est tumulatum.

MCCCVI.

EDUARDUS Regis Angliæ EDUARDI filius contra Scotos qui ROBERTUM du Brus sibi præfecerant cum armata multitudine profectus devincitur, multis in prælio de suis interfectis, & sub fugæ præsidio evasit illæsus. Feriâ tertiâ post Ascensionem Domini PHILIPPUS Rex Franciæ caput beati Ludovici absque tamen mento & mandibulis inferioribus, necnon unam de costis ipsius Parisius cum ingenti Cleri plebísque tripudio transtulit; dictam costam in Ecclesia Cathedrali beatæ MARIÆ relinquens, capútque suum gloriosum in Capella Regalis Palatij, quam ipse sanctissimus Rex sponte construxerat opere in vase pretioso decenter pariter ac devotè reponens. Ceterum ipsum diem Parisius per totam suam diœcesim annuatim in perpetuum instituit, & de cetero firmavit habere solemnem. Intemperata fuit siccitas in vere pariter & æstate. Die sanctæ Trinitatis PETRUS de Morneyo Episcopus Autissiodorensis defungitur, cui Magister PETRUS de Bella Pertica in jure nominatissimus successit. Rex Philippus monetam debilem quam fecerat, quæ jam in Regno per undecim annos vel circa cursum suum habuerat, in fortiorem solitam subitò commutare volens, præsertim cùm paulatim adeò debilitata fuisset, ut contra . . . . . . Florenus parvus Florentiæ XXXVI. sol. Par. hujuscemodi currentis monetæ valuerat *. Circa festum sancti Johannis Baptistæ fecit per Regnum edictum Palatij publicè proclamari, ut à festo beatæ Virginis subsequenti omnes redditum exceptiones, contractuumque solutiones pretio fortis * deinceps

f. * valeret.

* monetæ.

fierent quæ tempore beati Ludovici currebat; pro quo multi de populo fuerunt mirabiliter perturbati.

Eodem concursu temporis vel circa ad requestam, ut dicitur, Remensis, Senonensis, Rothomagensis, ac Turonensis Archiepiscoporum, qui sibi suisque suffraganeis ac eorum populis ac subditis, tam per Papam quàm per Cardinales aliquos vel illorum satellites ac cursores illata senserant multipliciter & adhuc sentiebant gravamina, Rex Franciæ PHILIPPUS favorabiliter * in hac parte eis se exhibens, etsi non in toto, in parte tamen eis utiliter subvenire providit. Mense Augusto Rex Philippus omnes Judæos de Regno Franciæ penitus & omnino fecit expelli, certum regressionis terminum sub pœna mortis præfigens eisdem. Tempore hyemali facta inundatione nimia fluvialium aquarum, antequam decrevissent adeò sunt fortiter congelatæ, quòd in locis pluribus damna multa postmodùm exinde pervenerint; impetu siquidem glacierum post earum dissolutionem veloci labentium cursu tam domus, quàm pontes molendináque quamplurima corruerunt. Tunc etiam Parisius in portu Graviæ naves multæ diversis oneratæ mercaturis cum cunctis in eisdem confractæ perierunt.

* favorabilem.

Occasione mutationis monetæ debilis in fortem, damnosa seditio præcipuè propter locationes domorum Parisius exorta est. Cùm enim cives Parisius locare domos & earum locationis pretium in forti moneta juxta Regale statutum recipere niterentur; quod tamen communis populi multitudini grave nimium propter triplicationem consueti pretij videbatur; tandem aliqui ex popularibus ipsis tam contra Regem, quàm contra cives conjuncti, paritérque cum multis sibi complicibus adunati, ad domum Templi Parisius, ubi Regem esse sciebant, illico properantes cùm ad ipsum accessum habere non possent, statim domus Templi introitus omnes & exitus occuparunt pro viribus, ne Regi victualia deferrentur. Porro dum post-

modùm perpendissent STEPHANUM dictum BARBETTE civem Parisius divitem ac potentem * civitatísque viarum, ordinationis hujus circa domorum locationes præcipuum esse consiliarium ac . . . . . . in ipsum crudeliùs efferati, primitus domum suam quam extra portas habebat civitatis suburbio juxta sanctum Martinum de Campis, multum locupletem divitiis concordi vesania deprædari festinant : quo comperto Rex tam suam quàm præfati civis injuriam impunè ulteriùs ferre non sustinens, quotquot reperit hujus actores sceleris aut etiam incentores morti protinus adjudicare decrevit. Plures etiam ex ipsis qui in facto magis culpabiles fuerant, foris portis civitatis ad vicinas eis arbores necnon patibula ad hoc de novo specialiter illic facta, præcipuè ad majores & insigniores introitus suspendi fecit, quatinus eorum pœnæ alios deterrerent, & ab hujuscemodi rebellione coercerent. PHILIPPUS Regis Franciæ PHILIPPI filius secundus genitus JOHANNAM primogenitam ODONIS quondam Burgundiæ Comitis ex filia ROBERTI Attrebati Comitis apud Corbolium Mense Januario duxit in uxorem. Mense Martio vel circa Papa CLEMENS & Cardinales . . . . juerunt & illic circum circa circiter per Menses sexdecim resederunt.

* operæ monetariæ Præfectum.

Pseudo quidam nomine DULCINIUS sub habitu benigno sanctitatem fingens, sed revera pessimus hæreticus erat. Frater Dulcinius hæreticus in quodam monte Vercellis, ubi tutum sibi reperisse putabat refugium, à Pontifice civitatis aliísque fidelibus captus carceri mancipatur, Papæ judicio puniendus, illícque de suis complicibus ducenti vel circiter fuerunt occisi. Illius enim hæresis inter cetera hunc continere dicebatur errorem; quòd sicut tempore legis naturæ vel Mosaicæ regnabat * per Patrem quæ eis præparatur, & Filius per sapientiam à tempore adventus Christi usque ad adventum Spiritus die Pentecostes; ita ab adventu Spiritus sancti usque ad finem mundi

f. * Pater per potentiam & justitiam quæ Judæis præparatur.

regnat ipſe Spiritus ſanctus, qui amor eſt per clementiam. Itaque prima lex fuit lex religionis & juſtitiæ, ſecunda ſapientiæ, tertia quæ nunc eſt amoris, clementiæ, caritatis; ita quòd quidquid petatur ſub nomine caritatis quidquid ſit illud, etiam actus fornicationis venereæ, abſque peccato poteſt concedi petenti, immo nec ſine peccato poteſt licitè denegari; quod peſſimam ſonat in hæreſim cuilibet Catholico vel fideli. Hæc eadem fuerunt habita tempore Philippi anno milleſimo trecenteſimo duodecimo, & auctor fuit ALMARICUS de Leva juxta Montem-fortem, de quo loquitur Decretalis, *Damnamus*. EDUARDUS Angliæ Rex ætate provectus, aſtutus pariter & cautus Princeps, necnon in præliis fortunatus, anno triceſimo quinto Regni ſui deceſſit; cui ſucceſſit in Regno Angliæ & dominio Hiberniæ EDUARDUS ejus filius ex Comitiſſa Pontivi. Siquidem de MARGARETA uxore ſua ſuperſtite Regis Franciæ ſorore tres alios reliquerat filios, quorum primogenitus THOMAS nomine Cornubiæ tenuit Comitatum.

MCCCVII. EDUARDUS.

Circa Pentecoſtes Rex Franciæ PHILIPPUS locuturus Papæ Pictavim Proficiſcitur, & tunc ab eo & à Cardinalibus, ut dicebatur, ſuper pluribus & arduis negotiis deliberatum fuit ac etiam ordinatum, præſertim de Templariorum captione, prout ſequens rei exitus declarabit. Tunc ſiquidem ipſe Papa Magiſtris tranſmarinis Hoſpitalis & Templi mandavit expreſſè ut Pictavis coram ipſo infra certum tempus omiſſis omnibus perſonaliter comparerent: quod Magiſter Templi nec morâ complevit; ſed Magiſter Hoſpitalis in itinere apud Rhodum inſulam à Sarracenis qui eam occupaverant impeditus, ad præfixum terminum venire non valens, ſe ipſum legitimè per nuncios excuſavit, ac demum per menſes aliquos eadem inſulâ cum armata manu recuperatâ pariter & obtentâ, ad Papam Pictavis accedere maturavit. Magiſter

BERNARDUS

BERNARDUS de sancto Dionysio Magister in Theologia famosus Aurelianensis Episcopus decessit; cui successit Magister RADULFUS Ecclesiæ præfatæ Decanus in Jure peritus. LUDOVICUS Navarræ Rex Regis Franciæ primogenitus, cognito quòd quidam Miles nomine FORTUNUS quem Regni sui custodem præfecerat & Rectorem, suum Regnum illius calliditatis astutia usurpare tentabat, multos sibi consentaneos habens & complices nobilium ac potentum, præcipuè Boloniæ Comitis, & GALTHERI de Castellione Franciæ Conestabularij comitiva valentis; Mense Julio proficiscitur Navarram, Fortúnumque prædictum cum suis complicibus potenter subijciens, visitato Regno pariter & sedato, in civitate Pampelonia coronatur in Regem.

PETRUS de Bella-Pertica Autissiodorensis Episcopus decessit, ac PETRUS de Gressibus Cantor Parisiensis ac Navarræ Regis Cancellarius successit eidem. Die Jovis post festum beati Dionysij Martyris CATHERINA heres Constantinopolitani Imperij Caroli fratris Regis uxor secunda, quæ præcedenti die Lunæ decesserat in villa sancti Audoeni, apud Prædicatores Parisienses, præsentibus Rege Franciæ & Proceribus & Prælatis, necnon Magistro Templi transmarino, qui unà ejus corpus cum aliis ad tumulum deferebat, Ecclesiasticæ traditur sepulturæ.

Die veneris post festum beati Dionysij tertio Idus Octobris omnes Templarij quotquot in Regno Franciæ sunt reperti, quasi sub ejusdem horæ momento, illucescente videlicet sole vel circiter, juxta decretum Regium ac præceptum subitò capiuntur ac diversis carceribus mancipantur: inter quos etiam in domo Templi Parisius captus est & detentus generalis totius Ordinis Magister transmarinus. Dudum siquidem ad aures Regis pervenerat ex testimoniis plurium & relatu, quorum quidam Ordinem ipsum ante professi fuerant, quòd tam Ordo quàm Ordinis professores detestandis criminibus erant irretiti pariter

& infecti, quæ etiam si negarent legitimè possent probari. Primò namque (quod dictu nefas est) in professione sua quam ut cautè facerent, intempestæ noctis silentio faciebant, ad præceptum Præceptorum *, necnon Præceptorem ipsum (quod nominandum quasi turpissimum) inferiùs in posterioribus osculabantur immundè: insuper Crucifixi conspuebant imaginem ac etiam conculcabant, quòd caput * secretè cum maxima veneratione tamquam Idolatræ colebant, quin immò Sacerdotes eorum quando celebrare debebant, verba consecrationis minimè proferebant, & licet à mulieribus abstinere voverent, concedebatur tamen eis ad invicem modo Sodomitico commisceri: & hæc omnia de quibus vehementer habebantur suspecti fecit Rex Franciæ Dominica sequenti in . . . . Regalis Palatij coram Clero & Populo palam & publicè proclamari; quæ etsi præ horrore quem continent & fidelium imprimunt cordibus, quasi incredibilia videantur, ipse tamen Magister totius Ordinis præfatus apud Templum coram Magistris Universitatis præsentibus ductus, ut dicebatur, sequenti hebdomada recognovit expressè, excepto quod dixit Sodomiticum vitium se minimè commisisse, nec in professione sua super imaginem Crucifixi, sed magis super terram à latere conspuisse: etiam per suas patentes litteras suis Fratribus omnibus intimasse fertur, quòd dictam confessionem pœnitentia ductus fecerat, & eos ad faciendum similiter hortabatur. Factúmque est quòd eorum nonnulli sponte quædam præmissorum vel omnia etiam lacrymabiliter sunt confessi; alij quidem, ut videbatur, pœnitentiâ ducti, alij autem diversis tormentis quæstionati seu comminatione vel eorum aspectu perterriti, alij blandis tracti promissionibus & illecti, alij arcta carceris inedia cruciati, vel coacti, multipliciterque compulsi; multi tamen penitus omnia negaverunt, & plures qui confessi primò fuerunt, ad negationem postea reversi sunt in ea finaliter persistentes, quorum nonnulli

f. * Præceptoris.

* *supple* idoli.

inter ipſa ſupplicia perierunt.

Rex itaque Magiſtrum Generalem apud Corbolium, ceteros verò Pariſius & aliis diverſis carceribus mancipari fecit, donec cum Sede Apoſtolica & Prælatis deliberationem haberet, qualiter in hac parte procedendum eſſet ſecundùm Deum & juſtitiam, tam contra Ordinem quàm perſonas etiam. Eorum bona ubique ſaiſiri fecit & in manu ſua teneri certis ad hoc cuſtodibus ac receptoribus deputatis.

Quidam de Judaiſmo ad fidem converſus Protus nomine coram Inquiſitore pravitatis hæreticæ recognovit, quòd inſtinctu cujuſdam fratris ſui nomine Monſſeti ad Judaiſmum redierat, ac primò in aqua calida balneatus & demum circumciſus prout in talibus à Judæis fieri conſuevit. Poſtmodùm tamen tractu temporis examinatus ſuper hoc, ac demum requiſitus, dixit per omnia ſe mentitum, & ſolùm in odium fratris ſui præfati, qui aliqua ſolvere debita nolebat, recognoviſſe præmiſſa: & quia vertebatur in dubium cui conſilio ſtandum eſſet, tandem de conſilio peritorum, aſſenſu pariter Epiſcopi adjudicatum eſt confeſſioni primæ ſtandum potiùs quàm ſecundæ: ipſúmque tamquam lapſum à fide perpetua pœna carceris puniendum, quod & factum eſt. Verùm poſtmodum cùm recognoviſſet coram Inquiſitore prædicto ſe dixiſſe in carcere quod Chriſtianus non erat, ſed Judæus Samoéque vocatus, quódque Chriſtiani comedunt Deum ſuum, cum inſtantia requirens quòd ſi mori eum contingeret, fieret de eo ſicut de Judæo, de communi peritorum conſilio adjudicatus eſt ſtatim abſque ulla audientia Curiæ ſæculari tradendus.

Eodem vel circà concurſu temporis quidam alius ad fidem converſus Johannes nomine confeſſus fuit coram Inquiſitore prædicto, quòd palam & publicè coram Caſteleto Pariſius dixerat ſe Chriſtianum non eſſe, ſed Judæum nomine Mutlotum, atque de peccato quod in aqua commiſerat recipiendo baptiſmum, per ignem purgari ſe velle. Poſtmodùm tamen

cùm hoc fecisse graviter pœniteret, instantérque requireret sibi super hoc misericorditer indulgeri, dicens se ex melancholia & levitate capitis in talia prorupisse, juxta peritorum consilium imposita est ei pœnitentia salutaris.

Mense Januario EDUARDUS Angliæ Rex filiam unicam Regis Franciæ PHILIPPI nomine IZABELLAM annorum duodecim vel circiter, apud Boloniam supra mare dicto Rege Franciæ unà cum filiis suis ac Regni Proceribus illic præsentibus accepit in uxorem, ac majoribus Regni in Anglia associata in Reginam cum honore debito coronatur. Filius Sabaudiæ Comitis EDUARDUS sororem Reginæ Navarræ scilicet secundam filiam Ducis Burgundiæ duxit in uxorem.

CAROLUS Regis Franciæ tertius filius Blancham filiam secundam quondam Ducis Burgundiæ OTHELINI in uxorem accepit. Illustris & femina Venerabilis ac honesta vidua MARGARETA Siciliæ Regina relicta primi CAROLI Regis Siciliæ fratrísque sancti LUDOVICI, ut piè creditur, migravit ad Christum. JOHANNES de Namursio filius GUIDONIS Flandrensis Comitis accepit in conjugem filiam ROBERTI Comitis Clarimontis.

MCCCVIII.

Rex Franciæ Philippus pro facto Templariorum præcipuè profecturus Pictavis, ubi adhuc Papa cum Curia residebat, ob hócque plurimis pene de omni civitate sive Castellania Regni apud urbem Turonis Paschali tempore convocatis, copiosam tam nobilium quàm ignobilium secum duxit illic turmam. Sanè de diversis tractatibus inter Regem & Papam præhabitis, totius ordinis Generali Magistro postmodùm ad Papæ mandatum adducto cum aliquibus quos nobiliores statu seu præeminentia fuisse constiterat; inter ipsos ibi tandem deliberatum fuit & satis concorditer ordinatum, quòd Rex ipse omnes &

ſingulos dicti Ordinis profeſſores ubicumque eſſent mancipati carceribus, ex hoc & deinceps nomine Eccleſiæ & manu Sedis Apoſtolicæ detineret, ad eorum relationem, expeditionem ſeu punitionem minimè proceſſurus abſque ordinatione Sedis Apoſtolicæ vel mandato; ac de bonis eorum quorum diſpenſatio ſeu cuſtodia ipſi Regi ſub debita fidelitate relinquebatur, uſque ad Concilium generale pòſt ſatis celeriter celebrandum, pro modo competenti vitæ neceſſaria miniſtraret eiſdem.

Papa CLEMENS cùm eſſet Pictavis de Fratrum conſilio propter ſubſidium terræ ſanctæ ac reformationem ſtatus univerſalis Eccleſiæ, necnon præcipuè propter factum quod circa ordinem Templi ejúſque profeſſores emerſerat, quorum etiam ſexaginta vel circiter ſupradicta eiſdem impoſita crimina fuiſſe confeſſos tam in ſua quàm in Cardinalium præſentia, Papales litteræ ſub bulla continebant præcipuè; generale Concilium Kal. Octobris uſque ad biennium à Kalendis ejuſdem menſis proximè ſequentibus continuè computando Viennæ celebrandum decrevit, & ubique per ſuas patentes litteras intimare Archiepiſcopis & Epiſcopis, inſuper & Epiſcopis ſpecialiter in Regno Franciæ conſtitutis, Inquiſitoribúſque pravitatis hæreticæ dedit in mandatis, quatinus ſuper facto Templariorum diligenter intenderent, & juxta qualitatem eorum in quantum perſonas eorum tangere poterant, fine debito terminare juxta peritorum conſilium maturarent; Generali tamen Magiſtro aliquorúmque eorum majorum de ordine illo, quamvis numero paucorum, perſonis uſque ad tempus & ex certa ſententia Apoſtolicæ Sedis excommunicationi ſeu correctioni reſervatis.

Circa idem tempus venerunt in Franciam quidam viri de Flandriis ſub habitu ſimplici*, ſicut rei exitus comprobavit, ad quorum ſimulatam aſtutiam aſtutámque ſimulationem confeſtim in populo frivola quædam ſed communis exiit fama, quòd Comes

* ſed impoſtores.

Augi Dominus GODEFRIDUS de Brebento, JOHANNES de Brebento filius ejusdem, dominus Virsionis aliique quamplurimi, qui dudum cum ROBERTO Attrebati Comite apud Corteriacum fuerant interfecti, quasi per miraculum evaserant inde vivi, & propter suæ liberationis beneficium voverant Deo & inter se conduxerant, ac etiam firmaverant sub simplici paupertatis habitu per Regnum Franciæ mendicare, & se ipsos apud suos usque in septennium occultare; tunc enim septennio revoluto, certo loco, scilicet Bolonia supra mare simul eodem die comparere debebant, ac palam detegere quinam essent. Et factum est quòd ad quædam levia intersignia in præfatis Flandrensibus visa nonnulli utriusque sexus in tantum festinati & quasi infatuati fuerint, ut eos credentes esse præfatos dominos cum honore susciperent, cùm tamen ipsi qui vix & raro ex certa loquebantur malitia se non assererent de quibus frivola fama communiter referebat. Quædam etiam Matronæ, Nobiles nonnullos ex ipsis ad maritales amplexus tamquam proprios conjuges susceperunt, de quo postmodùm sequutæ sunt aliis in derisum, & præcipuè domina.

Comes Valesij CAROLUS tertiam accepit uxorem filiam GUIDONIS Comitis sancti Pauli. ROBERTUS PHILIPPI Attrebatensis filius uxorem BLANCHAM alteram filiarum quondam Ducis Burgundiæ accepit uxorem. Eodem anno GUIDO quondam Comitis Blesensis primogenitus cum filia Caroli Valesij ex conjuge CATHERINA adhuc teneræ ætatis fertur sponsalia contraxisse. Die Sabbati post Ascensionem Domini circa Vesperas, in Diœcesi Parisiensi præcipuè, nix tam copiosa & damnosa nimiùm, & impetuosa tam ex lapidibus grandibus & grossis descendentibus, quàm ex ventorum flatu vehementer cecidit tempestas. Tunc cum granis segetes & cum botris vineæ perierunt, plures arbores radicitus sunt evulsæ, campanile Ecclesiæ porrochialis de Caprosia

ex impetu venti corruit ipſo die.

Æſtatis fervore tranſacto, Papa & Cardinales omnes ſolutâ ad tempus Curiâ ab urbe Pictavis ubi diu ſteterant receſſerunt. Papa ſiquidem ad terram ſuæ nativitatis properans, cum paucis Cardinalibus ſecum retentis, illic & circà poſtmodùm dicitur reſediſſe, licentiatis ceteris & ad tempus ad invicem ſeparatis. GUICHARDUS Trecenſis Epiſcopus pro ſuſpecto vehementer habetur, quòd mortem JOHANNÆ Reginæ quondam Franciæ & Navarræ quibuſdam procuraſſet ſortilegiis aut veneno, propter quod audita etiam ſuper hoc quorumdam depoſitione teſtium, videlicet falſorum, prout ſequentia quamvis longo tempore probaverunt, capitur, diutiúſque ſub carceris arcta cuſtodia etiam de voluntate Summi Pontificis, prout ferebatur, maximè poſtquam ad ejus notitiam teſtium ipſorum pervenit depoſitio, detinetur. Inter nobiles ac potentes juvenes ERARDUS ſcilicet de ſancto Veranno, & OUDARDUS de Monte-acuto natione Burgundus, ut aiunt, diſſenſione ſuborta, tandem ex utraque parte multis Nobilibus die feſti beati Dionyſij in Comitatu Nivernenſi congregatis pro habendo conflictu juxta mutuum utriuſque condictum, videlicet ex parte dicti Erardi, Comite Sacri-Cæſaris DROCONE de Mellento, domino MILONE de Noeriis cum aliis multis: Ex parte verò præfati Oudardi DELPHINO Alverniæ domino, BERANDO de Marcolio filio Comitis Boloniæ, tribus fratribus, qui de VIENNA communiter appellantur, aliiſque quampluribus arte nimis & valde celeriter conſummatus eſt conflictus inter ipſos. Ceſſit autem Erardo inſignis victoria, & de parte Oudardi dictus Berandus de Marcolio cum quibuſdam aliis fuit captus; quare ſe reddidit Comiti Sacri-Cæſaris, ut dicebant. Poſtmodùm tamen Rex Franciæ dictum Erardum pluréſque alios capi fecit & diverſis priſionibus detineri. ALBERTUS Romanorum Rex à quodam nepote ex ſorore, ut dicitur, inter-

fectus decessit; cui HENRICUS Comes Lucemburgi, Miles siquidem strenuus, prudens ac fidelis successit in Regno.

Circa Purificationem beatæ Virginis filia ROBERTI Comitis Clari-Montis uxor JOHANNIS de Namursio Parisius defuncta sepelitur: post quam ipse Johannes quasi anno postmodùm revoluto filiam dominæ BLANCHÆ de Britannia desponsavit. Indulgentia magna valde quæ à CLEMENTE Papa anno præcedenti dum esset Pictavis transfretantibus vel pecuniam suam largientibus in subsidium terræ sanctæ concesserat, cujus executorem vel receptorem Magistrum Hospitalis transmarinum constituerat, per Regnum Franciæ publicatur; factúmque est ut in Ecclesia beatæ MARIÆ Parisius & pene in omnibus aliis Regni Ecclesiis statuerentur gazophilacia ad pecuniam reponendam, quæ illic à devotione populi durante dumtaxat illa indulgentia, videlicet usque ad quinquennium, deferretur; in quibus multi in exordio publicationis præcipuè multa dicebantur misisse.

STEPHANUS quidam nomine de Verbia Suessionensis diœcesis, accusatus coram Inquisitore hæreticæ pravitatis super quibusdam blasphemiæ verbis, maximè circa corpus CHRISTI, confessus est ea se dixisse, sed tunc non erat bene compos mentis, quia nimis biberat in taberna, nec aliqua quæ dixerat licet malè viderentur sonare, tamen ea non protulit in contumeliam Creatoris vel contemptum, sed subreptitiè, & de hoc pœnitebat & petebat sibi misericorditer indulgeri, quod & factum est de consilio peritorum, injuncta tamen priùs pœnitentia salutari.

HENRICUS. MCCCIX.

Circa festum Pentecostes filius Regis Arragonum habito conflictu contra Regem Granatæ Sarracenum, ingenti Sarracenorum cæde facta gloriosam victoriam reportavit. Mense Junio HENRICUS in Regem Romanorum nuper electus concorditer . . . . . .

solemnes

ſolemnes nuntios & ambaſſiatores cum electionis ſuæ decreto miſit Avenioni, ad petendam benedictionem & conſecrationem Imperiíque coronam de manu Summi Pontificis, necnon ipſius & Eccleſiæ Romanæ favorem & gratiam conſuetos; cujus votis & poſtulationibus plenè ſatisfecit, & electum ad ſuſtinendam Imperialis celſitudinis dignitatem de conſilio facto circa finem Julij Menſis ſolemniter approbavit, eidem ad conſecrationem & coronam Imperij ſumendam in baſilica Principum Apoſtolorum de Urbe concedens: & Concilium ad feſtum Purificationis beatæ MARIÆ futurum uſque ad biennium, computando à proximo feſto Purificationis ejuſdem, & ſalvo quòd eidem Summo Pontifici abſque inconſtantiæ nota quando & qualiter, & quotiens expedire ſibi pro occaſione Concilij Generalis . . . . aliàs videretur, præfixum & prædictum terminum prorogare liceret.

Papa CLEMENS palam in Palatio ſuo Avenioni intimationem quamdam appendi fecit, ut aiunt, in qua continebatur quòd generaliter omnes & ſinguli, qui in facto denunciationis, accuſationis ſeu appellationis contra Papam Bonifacium pro vel contra vellent procedere quoquomodo qualitercumque de præmiſſis ſufficienter inſtructi, infra Dominicam quâ cantatur, *Oculi*, ſi ſua crederent intereſſe, ſe Papæ conſpectui præſentarent; aliàs ſuper hoc deinceps nullatenus admitti, quinimmo ex tunc eiſdem omni denegatâ audientiâ perpetuum in hac parte imponi ſilentium ipſo facto. Inter quos ſpecialiter & expreſſè G. de Nogareto Militem, de quo dicebant ad aſſignatam diem fuiſſe vocatum perſonaliter & citatum adſcribunt. Qui ſiquidem ad aſſignatam diem domini G. de Plaiſſiaco aſtuti Militis & diſcreti, aliorúmque potenti comitiva vallatus Avinioni comparens, tam appellationem contra Papam Bonifacium factam, quàm objecta crimina eidem, innovavit, eáque legitimè probare ſe offerens, cum inſtantia petiit ipſius oſſa tamquam hæretici exhumari, ac etiam igne de-

bere comburi : parte nihilominus adversa scilicet quorumdam Cardinalium & aliorum quamplurium, qui causam Bonifacij Papæ fovebant, se in contrarium viriliter opponente & tam circa sancti * Sebastiani, quàm prædicti Guillermi personam multa gravia & enormia retorquente. Sicque negotium ipsum usque ad pleniorem super hoc deliberationem fuit positum in suspenso.

f. * *nomen accusatoris cujusdam.*

Tertio Kalendas Novembris ab occidente hyemali vel quasi, tam vehemens per unam horam & ampliùs irruit ventus, quòd ad ejus impetum arbores quamplures multáque ædificia, necnon pinnaculum sancti Macuti de Pontisara corruerint. Arcus etiam magni lapidei qui à parte Orientali sunt Ecclesiæ sancti Dionysij in Francia ob magna ejusmodi suborta stellicidia quamvis ad terram non corruerint, testantibus tamen eorum oculis qui viderunt vacillasse concussísque fuisse dicebantur, ut mox ad terram corruere putarentur. Ultima die mensis Januarij post meridiem per unam horam & viginti quatuor minutas visa est eclypsis solis in sui medio sita, scilicet quòd centrum Lunæ fuit juxta centrum Solis, & tunc fuit conjunctio Solis & Lunæ juxta vicesimum Aquarij gradum : duravit autem ista ecclypsis à principio usque in finem per duas horas naturales & ampliùs, quia in hora eclypsis aër crocej vel rubej coloris apparuit. Hujus causam assignabant Astronomi dicentes quòd in puncto eclypsis . . . . inter tunc croceo fulgore vel aureo coloravit.

f. * Juppiter dimidium *vel* dominium iter *vel* inter.

Inter Angliæ Regem & ejus Barones occasione cujusdam Militis nomine Petri de Gravaestone natione Vasconis, dudum quidem ut dicebatur de Regno Angliæ banniti, sed jam ad tantam Regis familiaritatem assumpti, ut Comitatum sibi Linconiensem possidendum hereditate conferret, multásque novitates, ut dicebant, ad ejus suggestionem constitueret contra omnium voluntatem & patriæ consuetudinem, quæ in præjudicium Regni & contra statuta

converterentur; orta eſt diſſenſio gravis adeò & acerba, quòd Proceres ipſi contra Regem tam occaſione præmiſſa quàm ſimplicitate ſua ſeu fatuitate convicti, ipſum quem ſic habebant exoſum non ſolùm mediocriter perturbaſſent, quinimmo, ut communis aſſerebat opinio, ab omni miniſtratione Regni privaſſent, niſi ob gratiam Regis Franciæ ejúſque filiæ Reginæ Angliæ, quæ ſeipſam Baronibus gratioſam & amabilem exhibuerat, refrenati fuiſſent. Fratres Hoſpitalarij cum multitudine populi Chriſtiani apud Rhodum inſulam, de qua per Sarracenos fuerant Fideles expulſi, transfretaſſe dicuntur, & ibi laudabiliter ſe geſſiſſe.

MCCCX.

Clemens Papa Generale Concilium, quod ad inſtantes Kal. Octobris indixerat, ad Kal. Menſis ejuſdem anno revoluto ſubſecuturas prorogare decrevit. Concilium Senonenſis provinciæ propter factum Templariorum ab XI. die ad XXVI. diem, ſecundo Philippo tunc Archiepiſcopo præſidente Pariſius celebratur; illic ſanè Templariorum ſingularium factis & ea tangentibus diligenter inſpectis, penſatis eorúmque demeritis, qualitate, necnon circumſtantiis cum multiplici veritate; ut ſecundùm menſuram delicti eſſet & plagarum modus juxta conſilium tam in jure divino quàm Canonico peritorum, ſacro approbante Concilio adjudicatum eſt, ac etiam diffinitum quoſdam ex ipſis ab Ordine ſimpliciter abſolvi. Quoſdam verò poſt peractam eis injunctam pœnitentiam liberos & illæſos abire permitti, alios autem ſub arcta carceris cuſtodia detineri, alióſque quamplures incluſione muri perpetuò circumcingi, ſed eorum nonnullos tamquam relapſos in hæreſim tradi Curiæ ſæculari, quod tunc permittunt Canonicæ ſanctiones de eis hujuſcemodi ſic relapſis, qui titulo Clericalis militiæ fuerant adſcripti vel in ſacris Ordinibus conſtituti, primitus ab Epiſcopo degradatis, quod & fa-

ctum est. Tunc itaque quinquaginta novem Templarij foras civitatem Parisius in campis videlicet ab Abbatia Monialium, quæ dicitur sancti Antonij, non longè distantibus, incendio fuerunt extincti; qui tamen omnes nullo excepto nil omninò finaliter de impositis sibi criminibus cognoverunt, sed constanter & perseveranter in abnegatione communi perstiterunt, dicentes semper sine causa morti se traditos & injustè: quod quidem multi de populo non absque multa admiratione stuporéque vehementi conspicere nullatenus potuerunt. Circa idem tempus apud Silvanectum provinciæ Remensis Concilium convocatum, & illic quasi consimili in Senonensis provinciæ Concilio celebrato Parisius super Templariorum facto deliberatione præhabita novem Templarij concremantur.

LUDOVICUS ROBERTI Clarimontis filius sororem Comitis Hannoniæ desponsavit; ejus quoque frater JOHANNES nomine Comitissam . . . . . . accepit in uxorem. CLEMENS Papa quamdam bullam, ut dicitur à Cardinali JACOBO Gajetani aliis quoque quondam Papæ Bonifacij partem foventibus præsentatam, per quam adversam ei partem impugnare volebant; præsertim cùm in ea contineretur expressè, quòd Papa de consilio Fratrum unanimíque consensu appellationes omnes & processus contra Papam Bonifacium attentatos inanes & irritos decernens, partémque ejus multipliciter commendans, reputabat ipsum super objectis ei criminibus innoxium & insontem, in pleno Consistorio, ut aiunt, fecit destrui tamquam falsam.

Circa festum Pentecostes accidit Parisius quòd quædam pseudo-mulier de Hannonia nomine MARGARETA, dicta Porrette, quemdam librum ediderat, in quo omnium Theologorum judicio qui ipsum diligenter examinaverunt multi continebantur errores & hæreses, & inter ceteras, quòd anima adnihilata in amore conditoris sine reprehensione conscientiæ

vel remorsu potest & debet naturæ quidquid appetit & desiderat concedere; quod manifestè sonat in hæresim. Dum libellum hunc aut in eo contentos errores abjurare nollet, quinimmo latam in se excommunicationis sententiam ab Inquisitore hæreticæ pravitatis contemneret, quia coram Episcopo sufficienter monita comparere nolebat, & per annum vel ampliùs pertinaci sustinuisset animo in sua malitia finaliter indurata, tandem in communi platea Graviæ coram Clero & populo ad hoc specialiter evocatis de peritorum consilio exposita est & tradita Curiæ sæculari; quam Parisiensis Præpositus in sua potestate statim accipiens ibidem in crastino incendio fecit extingui. Multa tamen in suo exitu pœnitentiæ signa ostendit nobilia pariter ac devota, per quæ multorum viscera ad compatiendum ei piè ac etiam lacrymabiliter fuisse commota testati sunt oculi qui viderunt. Eodem die cùm quidam de Judaïsmo dudum ad fidem conversus, iterum sicut canis ad vomitum conversus, in contemptum beatæ Virginis super imagines ejus conspuere niteretur, ibidem incendio concrematur temporali transiens ad sempiternum. Tunc etiam Pseudo quidam GUIARDUS nomine de Cressonessart, qui Angelum Philadelphiæ à Deo immediatè missum ad confortandum adhærentes Christo se nominans, dicebat quòd nec cingulum pelliceum quo erat præcinctus, nec habitum quo erat indutus ad mandatum Papæ deponere tenebatur, immo Papa præcipiendo peccaret, tandem incendij timore habitum, cingulúmque deponens, & errorem suum finaliter recognoscens, adjudicatus est perpetua muri inclusione præcingi.

Lugdunenses rebellionis spiritu assumpto contra Regem Franciæ PHILIPPUM castrum Regni quod dicitur sancti Justi violenter diripiunt, ingentíque vallo circa civitatem seipsos satagunt reddere fortiores; ad quorum expugnationem Rex Franciæ primogenitum suum Navarræ Regem cum duobus ejus

fratribus & eorum avunculis, unà cum exercitu copioso circa festum Johannis Baptistæ destinare decrevit. Illic sanè inclyta & felicia juventutis suæ primordia etsi aliàs in talibus inexperta, necnon * cingulo militiæ præcinctus, adeò laudabiliter exercere curavit vel providit, ut suæ sagacitatis & probitatis industria cunctis amabilem & gratiosum se exhibens, suorum mirabili affectu junxerit sibi corda. Dum itaque hostes à nostris assultum sibi imminere considerarent, illicò timore percussi, seipsos & urbem Regis subjiciunt ditioni; sed & Archiepiscopus civitatis PETRUS de Sabaudia nobilitate pollens, qui eorum Capitaneus principalis & totius rebellionis occasio videbatur, per deditionem à Comite Sabaudiæ ad Regem Philippum in Francia adductus veniam de commissis petens, tandem ad Magnatum obtinuit interventum.

* needum.

Ossa cujusdam Templarij dudum defuncti JOHANNIS nomine DE THURO quondam Thesaurarij Templi Parisius exhumantur, & tamquam hæretici quodam * aliàs, scilicet in processu & jam facto contra Templariorum Ordinem & * pars in palam revelata fuit, comburuntur.

* condemnati.
* cujus.

HENRICUS Romanorum Rex cum Duce Austriæ, Leodiensi Episcopo multísque aliis Principibus cum exercitu copioso per Comitatum Sabaudiæ Italiam intrans, primò apud Astensem urbem, & deinde apud Mediolanum vigiliâ Nativitatis Dominicæ cum honore susceptus, in festo Epiphaniæ Domini in Ecclesia sancti Ambrosij à Mediolanensi Episcopo corona ferrea unà cum uxore sua multis Prælatis præsentibus honorificè coronatur. Quo peracto in ipsa civitate cum opposita sibi parte conflictum habuit, eósque potenter & celeriter subjugavit, ut meritò suis adversariis timorem incuteret & tremorem. Hoc eodem anno facta est mutatio inter Archiepiscopum Narbonensem & Rothomagensem; nam cum Rothomagensis Archiepiscopus BERNARDUS nomine

nepos CLEMENTIS Papæ propter juventutis suæ insolentiam cum Normannis nobilibus pacem bonam non haberet, eo translato ad Archiepiscopatum Narbonensem, ÆGIDIUM pro tunc Narbonensem, præcipuum Regis Consiliarium prudentem in agibilibus & utroque jure peritum ad Rothomagensis Archiepiscopi * transtulit dignitatem. Variis circa factum Bonifacij Papæ processibus habitis hinc & inde, Papa CLEMENS de innocentia Regis Franciæ & suorum super captione & assultu Papæ Bonifacij apud Agnaniam, necnon rapina vel dispersione thesauri, seu aliis quibuscumque, quæ in conflictu vel facto hujus captionis fuerant attentata tam per confessionem & accersionem Guillermi de Nogareto Militis cui ista imponebantur, quàm aliàs inquisitione super his diligenti præhabita sufficienter instructus, per suas litteras patentes, de consilio Fratrum, auctoritate Apostolica pronuntiavit, declaravit pariter & decrevit Regem ipsum in præmissis omnibus omnino inculpabilem fuisse, & in appellationis negotio vel processu objectores, denunciatores aut assentores prædictos ad denunciationes, objectiones vel assentiones contra personam ipsius Bonifacij Papæ factas præconcepta malignitas, aut alia mala causa non impulit, sed Catholicæ fidei sincerus aut justus zelus induxit. Demum etiam cùm tam illi qui statum & memoriam Bonifacij defendebant ex una parte, quàm ipse Rex pro seipso & Regni incolis universis, necnon objectoribus & denunciatoribus prædictis ex altera, ad Summi Pontificis * attingere, quod hujus negotij rigorosa prosecutio plena periculis existebat, per excitationem laudabilem & precum instantiam totum negotium & plenam decisionem liberæ ditioni ac ordinationi Sedis Apostolicæ dimiserint; de plenitudine potestatis Apostolicæ Regem ipsum omnésque ei adhærentes in hac parte, Regnum & universos ejusdem incolas ab omnibus culpis, offensis, injuriis aut sententiis quibuscumque latis per Papam Bonifacium ab ho-

* Papa

f. * Summum Pontificem attingere ausis.

mine vel à jure inflictis in eum ſive ſucceſſorem ejus, in eos aut eorum alterum publicè vel occultè, vel quacumque occaſione præmiſſorum aut alicujus eorum imputari ſeu infligi quomodolibet poſſent in poſterum vel impingi, etiam ſi ſupponerentur vel dicerentur captio prædicta vel aliqua de præmiſſis facta nomine dicti Regis ſeu adjutorum vel adhærentium prædictorum, ad cautelam abſolvit, relaxavit & penitus abolevit, & de regiſtris ſententias & interdicta, & omnia & ſingula prædictos proceſſus tangentia, omnino tolli mandavit & penitus amoveri; diſtrictiùs inhibens, ne quis ſententias, excommunicationes, interdicta vel proceſſus prædictos in ſcriptis publicis vel privatis penes ſe retinere aut quomodolibet occultare ſeu aliis communicare præſumat, ſed litteras, ſchedulas, membranas & alias quaſcumque litteras publicas vel privatas ſententias, & proceſſus dumtaxat continentes prædictos penitus deſtruant & conſumant: eos qui in quatuor menſes poſtquam ad eorum notitiam mandatum pervenerit, & tempus lapſum fuerit, ita quòd prædicta facere potuerunt & non paruerunt competenter, excommunicationis ſententiam *, à qua tantùm poſſent abſolvi, niſi in mortis articulo, per Romanum Pontificem. Quamvis autem à dicta abſolutione ſuis litteris & earum effectu GUILLERMUM de Nogareto prædictum ac REGINALDUM de Supino Milites, decemque alios vel circiter Anagniæ cives, qui captioni, aſſultui & deprædationi theſauri prædictis interfuiſſe ſpecialiter dicebantur, nominatim excluſerit, & ex certa ſcientia intendens ex ipſis per aliam viam condignæ promiſſionis * remedium exhibere; finaliter tamen Guillermum de Nogareto prædictum conſideratione Regis vel contemplatione pro ipſo ſupplicantis ab omnibus ſententiis ad cautelam abſolvit, injungens ei pœnitentiam ad cautelam, videlicet quòd in primo terræ ſanctæ paſſagio generali cum armis & equis ipſe in propria perſona in terræ ſanctæ ſubſidium transfretare teneretur, illic

* incurrere

* expiationis.

illic perpetuè moraturus, nisi à Papa vel successoribus ejus subreviationem in posterum obtinere & gratiam mereretur; injungens etiam quòd interim certas peregrinationes quas sibi imposuit efficaciter adimpleret; & sic eum omnium præmissorum participem esse voluit & consortem, dummodò has pœnitentias devotè susciperet, & dum vitam ageret in humanis cum effectu perageret, ipso mortuo, heres ejus.

MCCCXI.

HENRICUS Romanorum Rex per Cremonensem urbem Italiæ transitum habens pacificum, quoniam pars Guelfa, quæ major & potentior erat in dominio civitatis de Cremona, unà cum uxoribus & parvulis, rebúsque suis quas secum commodè deferre potuerunt ad civitatem Brixiæ Guelfam, quæ propter prærupta montium, quæ civitati supereminebant, tutior videbatur, unanimiter propter Imperatoris metum confugerant, relictis palatiis paucísque viris Guibelinis; qui audientes exercitum Imperatoris solùm per duo milliaria distare ab urbe, sumptis clavibus civitatis, quæ pacis sunt efficientes *, ab eo pacificè recepti, pacificum sibi præbent introitum civitatis. Satis verò post ingressum civitatis omnes fortes domos & turres illorum qui ad Brixiam confugerant funditus destruxit, portásque civitatis egregias unà cum muris corrui fecit, & ex his amplissima fossata civitatis impleri fecit, ita ut muri & fossata solo coæquarent; deinde accepta redemptione multorum millium florenorum ab his qui in civitate superfuerant, ad civitatem Brixiæ se transtulit; quam rebellem sibi Brixiæ civitatem ab Ascensione Domini usque ad Nativitatem beatæ Virginis potenter obsedit. Habito itaque conflictu Capitaneum civitatis dictum THEOBALDUM Brizath vivum capiunt, qui adductus ad Imperatoris præsentiam, videns se mortis periculum effugere non posse, multas conspirationes in mortem Imperatoris & suorum proditoriè factas publicè confitetur, Ma-

* offerentes

jores de civitate Mediolanensi hujus facti complices accusando; quo audito Imperator per medium exercitus trahi, deinde suspendi quasi per duas horas fecit, ipsum remotum de patibulo decollari ac caput in lancea affixum fecit in eminentiori loco exercitus demonstrari, truncum verò corporis in quatuor partes frustatim decisum fecit per quatuor partes exercitus deportari; tam crudelem mortis ab Imperatore sententiam sustinens, ut ejus mortis atrocitas ceteris proditoribus & conspiratoribus esset de cetero speculum & exemplum, ut sic saltem à malis malorum acerbitas coërceat, quos ad verum * operandum benignitas non inclinat: eamdémque civitatem sibi subjiciens, cum illis de civitate & muros quorum præsidio nitebantur destruxit. In hac autem obsidione frater ejus WALERANNUS nomine occubuit, cujus mors cordi Principis subinduxit non immeritò mœroris materiam ac doloris. Hujus etiam obsidionis tempore omnes civitates partis Italiæ, quæ stricto nomine Lumbardia nuncupatur, & fidelitatem & subjectionem tamquam domino suo debitam obtulerunt. Eodémque temporis cursu tres Cardinales à domino Papa missi videlicet Ostiensis & alij duo pro sua coronatione venerunt, sequentes eum per totam Italiam deinceps usque Romam. Brixia civitate subjecta, HENRICUS Romanorum Rex per Terdonam Januámque pacificè est profectus, & illic maximo cum honore susceptus; ubi dum aliquamdiu moram contraxit, uxor ejus Romanorum Regina viam carnis ingreditur universæ.

* bonum.

Circa idem tempus in populo Flandriarum rebellionis & guerræ commotio, quæ aliquantisper sopita fuerat, renovatur; & ob hoc vehementer suspectus Comes Flandriarum ad sui purgationem à Rege Francorum convocatur; quo comparente . . . . Comes ejus filius LUDOVICUS, qui totius hujuscemodi commotionis & sceleris culpabilis est repertus, primò apud Moretum, deinde Parisius in custodia de-

tinetur, de qua citò pòst fugit ut conſcius hujus mali vel timens ſibi ipſi: propter quod poſtmodùm de conſilio Procerum Regni de Comitatu ſuo non immeritò per arreſtum in pleno palatio ſententialiter eſt privatus. Philippus Rex Franciæ ſimplicium ac duplicium Burgenſium fieri fecit monetam pro ſimplicibus duplicibus Pariſius * denariis concurrentem. Hæc moneta ratione indebiti valoris & ponderis, & ratione novitatis curſus capi refutabatur, quia ab omnibus atque rectè ſapientibus redundare non minimè diceretur in exactionem indebitam reíque publicæ detrimentum; quod etiam nonnulli Nobiles & Magnates, quibus ſuper hoc diſplicebat, graviter conquerendo ore tenus & expreſſè expoſuerunt eidem. *f.* * Pariſienſibus.

CLEMENS Papa conceſſit & miſit privilegium Clericis Aurelianenſibus ſtudentibus pro conſtituenda Univerſitate ſub hac tamen conditione, ſi Regi placeret, & ſuper hoc liber ejus atque ſpontaneus interveniret aſſenſus; Rege autem non aſſentiente Clerici ſibi invicem juramentis aſtricti à civitate recedunt ſtudiúmque diſſolvunt: poſtmodùm tamen anno nondum revoluto tam pœnitentiâ ducti quàm per Regem æqualiter ſedati iterum ad locum priſtinum revertuntur, & ſic ſtudium pauco tempore diſſolutum denuo reparatur.

Concilium Generale quod Papa CLEMENS fecerat convocari prima die Menſis Octobris apud Viennam urbem Provinciæ centum quatuordecim Prælatorum cum mitris, abſque ceteris non mitratis, & abſentium Procuratoribus congregatur. In quo duæ Seſſiones fuerunt Antiocheno & Alexandrino Patriarchis in medio ſedentibus; & antequam celebraretur injunxit Papa Prælatis & aliis qui pro Concilio venerant Miſſas celebrari & triduo jejunari. In prima itaque Seſſione quæ fuit etiam die Sabbati in octabis beati Dionyſij in Eccleſia Cathedrali, facta invocatione Spiritus ſancti ſicut in talibus fieri conſuevit, Papa, *Pſal* 110. aſſumpto Themate iſto: *In conſilio juſtorum & congrega-* 1. 2.

tione magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates ejus; prædicavit, & exponens cauſam triplicem convocationis Concilij Generalis, ſcilicet propter factum Templariorum enorme, propter ſubſidium terræ ſanctæ & reformationem ſtatus utilis Eccleſiæ. Et hoc facto, datáque benedictione ſuper populum unuſquiſque ad propria remeavit. Poſtmodùm inter dominum Papam deputatóſque ab eodem Papa circumſpectos plurimùm & diſcretos admodùm viros & Cardinales, Prælatos, Procuratores & alios quorum intererat, poſt conventus multos varióſque tractatus, multæ deliberationes habitæ vel factæ fuerunt in præmiſſis, uſque tamen ad adventum Regis Franciæ, qui habitorum à principio contra Templariorum Ordinem & perſonas proceſſuum ſpecialiter promotor & zelator præcipuus in favorem fidei dicebatur. Et erant cuncta ardua quæ in Concilio tractabantur, ita ut quaſi in dubio vel ſuſpenſo poni ſeu in verbo fieri videbantur.

MCCCXII.

Die Pentecoſtes PHILIPPUS Rex Franciæ LUDOVICUM primogenitum ſuum Navarræ Regem, Campaniæ Comitem, necnon & duos ejus fratres PHILIPPUM & CAROLUM unà cum HUGONE Burgundiæ Duce GUIDONE Bleſenſi aliíſque pluribus Regni Nobilibus Milites novos fecit vel accinxit balteo militari.

Die Lunæ poſt *Quaſimodo* celebratur Viennæ in Eccleſia majori Seſſio ſecunda Concilij generalis, Rege Franciæ PHILIPPO, qui circa Quadrageſimam illic cum filiis & fratribus ſuis, multorum Prælatorum, Nobilium ac Magnatum decenti pariter ac potenti comitiva vallatus advenerat, unà cum Cardinalibus, Patriarchis, Prælatis & aliis ſuperiùs nominatis ex ipſo, à dextris Summi Pontificis præ ceteris omnibus, in Sede tamen inferiori aliquantulum, ſedente; illic ſanè poſt aliqua quæ in talibus fieri ſunt conſueta,

primò Papa assumpto Themate : *Non resurgent impij in judicio, neque peccatores in Concilio Iustorum* ; & per modum prædicationis ad Templarios appellato Ordine Templi, non per modum diffinitivæ sententiæ, cùm Ordo ut Ordo non esset adhuc conjunctus *, sed permodum provisionis & ordinationis tantùm : tamen quia modum recipiendi quem nec antè voluerant detegere fuerat ab antiquo suspectus, & per infinitos Fratres Ordinis & Majores fuerat hoc prolatum; auctoritate Apostolica sacro approbante Concilio delevit & amovit, & tam ipsius nomen quàm habitum penitus adnullavit, tum quia de cetero esset inutilis Ordo cùm nullus bonus vellet deinceps ipsum intrare; tum propter alia mala removenda & scandala evitanda. Statímque constitutionem super hoc editam legi fecit in omnes qui de cetero habitum retinerent, vel de novo sumerent seu alium ad hujus professionem reciperent, excommunicationis sententiam proferens, quam tam recipientes quàm recepti incurrerent ipso facto : ordinationem tamen de personis remanentibus & bonis Sedis Apostolicæ dispositioni reservans, super hoc antequam solveretur Concilium provisurus attentè.

Psal. 1. 6.

* convictus

Ceterum quoad secundum principalem Concilij generalis intentum, scilicet subsidium terræ sanctæ, assumpto Themate : *Desiderium suum justis dabitur* ; post verba amaritudinis propinare incipiens verba dulcedinis, exposuit toti Concilio qualiter recuperatio terræ sanctæ, quæ sibi fieri præcipuè & generaliter cuilibet fideli Catholico summè est desideranda, & tamen quia est diutiùs in dilatione posita, & nimiùm retardata justorum desiderij * per totius sui & cujuslibet Catholici afflictiva *; nunc erat effici proxima, præsertim cùm Rex Franciæ Philippus præsens sibi per suas patentes litteras (quæ statim lectæ sunt in pleno Concilio) fideliter promisisset quòd infra annum cum liberis, fratribus suis, necnon Procerum Regni sui & aliorum Regnorum multitudine copiosa,

Prov. 10. 24.

adde *, completio *f.* * afflictionem.

crucem aſſumeret, & ab inſtantibus Martij Kalendis ad ſex annos iter arriperet ad transfretandum in ſubſidium terræ ſanctæ, quòd ſi morte vel aliàs eſſet legitimo impedimento excuſandus, primogenitus ſuus ad hoc exequendum ſe fideliter obligavit, ſed nihil fecit. Qua de cauſa Prælati devota affectione decimas ad ſex annos conceſſerunt eidem; quorum videlicet tam Regis devotionem, quàm decimarum obligationem Summus Pontifex & Sacrum Concilium approbarunt: & ſic fuit illa Seſſio terminata.

Priuſquam Concilium ſolveretur, poſt habitos tractatus varios de bonis Templariorum, quibus vel ad quos uſus eſſent potiùs applicanda, quibuſdam conſentientibus quòd nova Religio ad quam applicarentur eſſet fundanda, aliis alia dicentibus; tandem providit Apoſtolica Sedes Regibus & Prælatis aſſentientibus eadem in favorem terræ ſanctæ integraliter ad fratres Hoſpitalis devolvi, ut ad eoſdem * terræ recuperationem ſive ſubſidium poſſent effici fortiores ex ipſis: Sed ut apparuit proceſſu temporis, facti ſunt deteriores. De perſonis autem remanentibus nondum fuit ad finem. Porrò & ſi de aliquibus ſtatum vel reformationem Eccleſiæ univerſalis tangentibus, quod tertium principale intentum, aliqua prolocuta fuerint, & eorum ordinatio, ſeu proviſio, ſeu deciſio à Prælatis & aliis quorum intererat, priuſquam Concilium ſolveretur, & inſtanter & pluries à Papa peteretur, de quibus etiam ipſe Papa, ut dixerunt aliqui, Decretales quaſdam, præterea Conſtitutiones edidit & ſtatuta; numquam tamen in dicto Concilio fuerunt publicè promulgata, ſed penitus judicio Apoſtolico liberè fuerunt reſervata & ad plenum dimiſſa.

* ejuſdem.

Henricus Romanorum Rex per Piſas, Plumbinium, Viterbium atque alias civitates Italiæ multas in pace pertranſiens, circa feſtum Aſcenſionis Dominicæ ob ſuſcipienda ſuæ coronationis inſignia Romam tendens, in ipſius urbis introitu cum fratris Roberti Siciliæ Regis & Urſinorum familia priùs habito vehe-

menti conflictu, per portam sanctæ MARIÆ de Populo civitatem ingreditur, & ad sanctum Johannem in Laterano à toto populo recipitur cum honore. Illic sanè etsi à suis præfatis hostibus conflictus terribiles passus fuerit & assultus, ut etiam Leodiensis Episcopus & Albanensis de viris Thrich quidam Comes de Sabaudia & alij plures de suis ibi corruerunt: demum tamen ad festum SS. Petri & Pauli in Ecclesia memorata per præfatos Cardinales, domino Hostiensi Missam celebrante, aliísque Cardinalibus ex utroque latere cum Episcopis, Abbatibus aliísque adstantibus multis de mandato Summi Pôntificis quòd ibidem coram omni populo & Clero fuit lectum, cum ingenti suorum gaudio & adversariorum tristitia Imperiali diademate coronatur.

Susceptâ itaque coronâ Imperij famam sui nominis ampliùs dilatare cupiens ut Augustus, suo rebelles Imperio civitates Italiæ circuire & sibi cum valida & armata manu subjicere potenter accelerat & audacter: egressus siquidem ab urbe, & Tudertum decima quinta die mensis Julij cum honore susceptus, ac exinde tandem Perusium; cùm ipsum nollent recipere Perusini, villas & domos quamplures comitatus eorum igni vel ferro tradidit, fructus & vineas extirpavit, & castra aliqua expugnavit: & sic venit Aretium quasi per milliare centum à Perusij civitate distantem, ubi vigesima die Mensis Augusti cum gaudio & honore recipitur. Ac deinde Montem-Garchi & Castrum sancti Johannis Comitatus Florentinorum expugnans, castrum quòd Ancisa dicitur occupavit, habito cum eorum Potestate conflictu & eorum quingentis armatis. Demum mense Septembris appulsus Florentiam, & eam obsidens à loco sanctæ Crucis usque ad Hospitale sancti Galli, totam partem illam ad Talpes super Nigellam destruxit, & igne succendit. Pugnavit etiam una vice contra portam sanctæ Candidæ, & habito cum vigore triumpho, cùm Arno transito per Vallem quæ dicitur Hema juxta sanctam Margaretam

venisset, & aliqui ex Lucanis & Senensibus milites gentem suam invaderent, ipsi à Domino de Flandria suo Marescallo exercitus usque ad portam sancti Petri Gartulini fugati fuerunt, ubi plures de prædictis hostibus corruerunt. Ceterum cùm in sancto Cassiano tentoriis fixis totum Ducatum, Livari excepto, & postea podium Bonigi & Casuli recepisset, gente sua terram illam muniens mense Martio . . . . . . revertitur: etiámque Regem Siciliæ ROBERTUM quem ibi hostem senserat & rebellem in platea sanctæ Catherinæ publicè citavit, quatinus Aretium coram ipso sub pœna * coronæ & Regni infra tres menses compareret.

* amissionis.

PETRUS de Gavascione, natione Gascus, cui Rex EDUARDUS Cornubiæ Comitatum contulerat, sed se ipsum ut supra retulimus erga Barones Angliæ non mediocriter afferebat * & exosum: tandem à Comite de Lancastre, aliis multis assentientibus consiliumque opem & favorem præstantibus, in castro Concilio * repertus detinetur & capitur, moxque à quibusdam Gallantibus, quos prædicti Proceres ad ejus occisionem credebantur ex certa industria misisse, truncato capite ignominiosè * privatur. Et sic quamvis in principio super hujus facto Rex Angliæ non mediocriter contristatus & ad iracundiam multum provocatus fuisset, tandem tamen inter ipsum & Proceres per duos Cardinales Albaniensem videlicet Papæ Camerarium & alium quemdam, qui ad hoc missi fuerunt, pax & concordia reformatur. Circa Natale Domini Eduardo Regi Angliæ ex conjuge IZABELLA nascitur filius nomine EDUARDUS. SIMON priùs Noviomensis, sed nunc Belvacensis Episcopus viam universæ carnis ingreditur; cui JOHANNES de Marigniaco frater ENGUERANNI Cantor Parisiensis Ecclesiæ in Episcopatu successit.

* effecerat exosum.

* Scarburgh.

* vita.

MCCCXIII.

Die Pentecostes PHILIPPUS Rex Franciæ Lu-

DOVICUM

DOVICUM primogenitum ſuum Navarræ Regem Campaniæ & Briæ Comitem, necnon duos ejus fratres PHILIPPUM & CAROLUM, unà cum HUGONE Duce Burgundiæ, GUIDONE Bleſenſi, aliiſque quampluribus Regni Nobilibus Milites novos fecit vel accinxit balteo militari, Rege Angliæ EDUARDO & IZABELLA Regina Regis Franciæ filia præſentibus, qui ad decorandum Militiæ eorum nova primordia illuc advenerant cum Anglorum nobili comitiva. Eodem concurſu temporis die Mercurij poſt Pentecoſtes Philippus Rex Franciæ una cum tribus filiis ſuis præfatis novis Militibus jam effectis, necnon Rex Angliæ Eduardus & Regni Angliæ Potentes de manu Cardinalis NICOLAI ad hoc à Summo Pontifice deſtinati Crucem pro transfretando in terræ ſanctæ ſubſidium aſſumpſerunt, & idipſum poſtmodùm non modica communis populi multitudo, auditis ad hoc ſatis primoribus * devotionem facere maturavit. Princeps Tarentinus circa feſtum Magdalenes filiam Comitis Valeſij ex conjuge CATHERINA heredem Conſtantinopolitani Imperij deſponſavit, ejuſdem juvenem * licet juvenem ſecum deſponſandam filio ſuo ducens. Die Martis poſt feſtum Magdalenes apud Curteriacum convocatis illic de mandato Regis Franciæ Baronibus & Prælatis, inter Regem & Flandrenſes fit pacis compoſitio in hunc modum, ſcilicet quòd Flandrenſes de ſumma pecuniæ aliàs ordinata Regi ad plenum ſatisfacerent, necnon fortalitia ſua infra certum tempus eis præfixum ex nunc à Brugis & Gandavo incipientes, & uſque ad operis conſummationem perſeverantes, propriis ſumptibus & expenſis uſquequaque, ut fieri judicarent à Rege ſuper hoc deputati, qui experti forent in talibus, facerent demoliri; domino ROBERTO Comitis Flandrenſis filio, necnon totis Cortriaci caſtellis cum ſuis pertinentiis ob hoc datis obſidibus ad cautelam & firmitatem majorem.

* præmonitionibus *vel* prædicationibus per devot.

ſ. * ſororem

HENRICUS Romanorum Imperator ROBERTUM

Siciliæ Regem qui ſtatuto ſibi tempore præfixo apud Arecium coram ipſo comparere contempſerat, palam & publicè Regno & pariter corona privavit. Quam tamen privationem Papa CLEMENS in ſuis Conſtitutionibus eo quod citatio facta contra dictum Robertum non eſſet debita & ritè facta, quia non erat citatus in tuto loco, nullam penitus eſſe dixit; & ſi aliqua, totaliter adnullavit. Papa etiam multas alias cauſas quæ ibidem allegantur, quas * hîc admittere non eſt præſentis operis. Ordinatóque menſe Julio contra eum exercitu per Comitatum Senenſium ſibi rebellium iter faciens uſque ad locum qui dicitur Inſula, multa eis intulit detrimenta : tandem verò applicans Bauconventum, poſt peractas multas & inſignes victorias morbo pariter & febre correptus, vel, ut dicebant aliqui, Euchariſtiam ſumendo de manu Sacerdotis & proprij Confeſſoris de Ordine fratrum Prædicatorum exiſtentis corrupti pecunia per Regem Robertum, vel ut veriùs creditur, per Florentinos ſibi adverſarios veneno potionatus, diem vitæ clauſit extremum. Cujus corpus Piſas eſt translatum, & in Eccleſia Cathedrali honorificè tumulatum.

* terminavit *vel* perfecit.

PHILIPPUS Rex Franciæ circa feſtum Beatæ Virginis monetam Burgenſium, quam fieri fecerat, & per biennium Pariſius curſum ſuum habuerat, quod aliàs in Regno Franciæ fuerat inauditum, præſertim cùm juſti pretij & ponderis æquitate ceteris paribus ſolummodò æquipolleret . . . . vel parvis Turonenſibus in valore ad ſolidum & antiquum parvorum bonorum Pariſienſium curſum volens reducere, Pariſienſium & Turonenſium monetam ejuſdem valoris & ponderis quo fuerant tempore Beati Ludovici fabricari fecit, florenos ad agnum, qui in quindena pro viginti duobus ſolidis parvorum Burgenſium Comitis ponebantur, uſque ad aliam ſuper hoc ordinationem pro quindecim ſolidis Turonenſibus dumtaxat curſum ſuum habere decernens. Fecit inſuper edicto Regio & ſub pœna amiſſionis totalis bonorum

diſtrictiùs inhiberi publicè & proclamari, ne quis alia moneta quacumque auri vel argenti aliter vel ſub alterius æſtimatione pretij uteretur publicè vel occultè. Quamquam ex hujus mutationis cauſa ſubita multum exierit murmur in populo in brevi, quòd multa damna ſaltem exinde perpeſſi ſunt & incommoda, & præcipuè mercatores, qui ob hoc unà cum aliis in locis pluribus, quæ ſpecialiter prope Pariſius, inſidiati ſunt malitioſè nimium & pro tunc per ſervientes ſuper hoc deputatos.

Eodem concurſu temporis Eccleſia beatæ MARIÆ de Eſcoys, quam Anguerannus de Marigniaco nuper ædificaverat & in ea Canonicos inſtituerat, dedicatur. Cardinalis NICOLAUS ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ auctoritate Apoſtolica diſtrictè inhibuit, ne quis conſtitutionibus novis, quas aliqui poſt tempus Concilij Generalis emanaſſe de Curia & eorum copiam ſe habere dicebant, uti præſumeret in judiciis aut in ſcholis, cùm de conſcientia Summi Pontificis minimè proceſſiſſent, & aliàs ſuper hoc intenderet providere. Generaliter etiam circa feſtum beati Dionyſij omnia torneamenta diſtrictè prohibuit, tam in torneantes quàm in eiſdem faventes, necnon in Principes permittentes ſententiam excommunicationis ipſo facto proferens, & eorum terras interdicto Eccleſiaſtico ſupponens: poſtmodùm tamen diſpenſavit Papa ad requeſtam puerorum nobilium ac aliorum nobilium qui novi Milites effecti fuerant cum eiſdem, ut nonobſtante hujus publicatione per tres dies ante caput inſtantis Quadrageſimæ hac vice dumtaxat ſe ipſos in ludis hujuſmodi licitè exercerent.

GUICHARDUS Trecenſis Epiſcopus quem ſuper procuratione mortis quondam Reginæ JOHANNÆ fuiſſe ſuſpectum ſupra retulimus, per confeſſionem cujuſdam Lombardi cognomine Noſle Pariſius ad mortem judicati pro ſuo crimine & ſuſpenſi, innoxius eſt repertus.

Orta dissensione maxima quamvis occasione minima vel modica, & quæ de facili sedari potuisset à principio, inter Ducem Lotharingiæ & Metensem Episcopum, tandem utriusque partis exercitibus congregatis juxta castrum quod Fleve dicitur die Jovis ante festum sancti Martini hyemalis, inter eos acre bellum committitur, & Episcopus cum suo exercitu licet in multitudine, virtute & potentia exercitum Ducis excederet, adversariorum industria & prudenti astutia superatur. Episcopi namque exercitu per villas, planiciem vel districtum contra Ducis exercitum properante, Ducis exercitus, qui jam adversæ partis capitibus eminebat, montem ascendens, & illico de equis descendens, tanto impetu cum calculis & lapidibus quorum illic ingens abundabat copia, aliísque vexilibus utensilibus aptis peditibus potenter in hostes irruit, quòd eorum quampluribus quasi ducentis vel circiter interfectis, reliqui fugere sunt compulsi, & nonnullos in proximo decurrens fluvius fugiendo submersit. Illic etiam Comes Barri Metensis Episcopi nepos, Comes de Salmis ejus filius, & alij Nobiles, qui partem præfati fovebant Episcopi, capiuntur, qui tamen postmodum multa pecunia sunt redempti, & sic de carcere & tandem de diuturna Ducis custodia liberati. Mortuis scilicet GUIDONE Suessionensi & .... Cathalaunensis Episcopi GIRARDUS de Malomonte Suessionensis, & PETRUS de Lathiliaco Regis Cancellarius Cathalaunensis, à Pontificibus & à Rothomagensi Archiepiscopo primâ Dominicâ in Adventu in Ecclesia Monialium juxta Pontisaram consecrantur. GUIDONE Silvanectensi defuncto in Episcopatu successit. ......

Totius quondam Ordinis Templi Generalis sive transmarinus Magister cum aliis tribus, scilicet Visitatore eorum in Francia, necnon Aquitaniæ & Normaniæ Magistris, de quibus ordinare finaliter reservaverat sibi Papa, de mandato ipsius per dominum Albanensem alióque duos Cardinales Legatos, Senonensi

Archiepiſcopo, aliíſque quibuſdam Prælatis, necnon in jure Divino & Canonico pariter ob hoc ſpecialiter Pariſius convocatis, & eorum communicato conſilio, cùm prædicti quatuor nullo excepto crimina ſibi impoſita palam & publicè confeſſi fuiſſent, & in hujus confeſſione perſiſterent; finaliter quòd velle perſiſtere viderentur, de præfato conſilio multa cum maturitate digeſto in platea communi Parviſij Pariſius Eccleſiæ, die Lunæ poſt feſtum beati Gregorij, adjudicati ſunt muro & carceri perpetuo retrudendi. Sed ecce dum Cardinales finem negotio impoſuiſſe credidiſſent, confeſtim & ex inſperato duo ex ipſis, videlicet tranſmarinus Magiſter & Magiſter Normaniæ, contra Cardinalem, qui tunc ſermonem fecerat, & Senonenſem Archiepiſcopum ſe pertinaciter defendentes, ad abnegationem confeſſionis tam etiam eorum omnium quæ confeſſi ſunt revertuntur, nec reverentiæ parcentes, non abſque multorum admiratione. Et dum à Cardinalibus in manu Præpoſiti Pariſienſis, qui præſens tunc aderat, ad cuſtodiendum dumtaxat traduntur, quouſque die ſequenti deliberationem ſuper his haberent pleniorem; confeſtim ut ad aures Regis, qui tunc erat in Regali Palatio, hoc verbum inſonuit, communicato cum ſuis, quamvis proinde Clericis non vocatis, prudenti conſilio, circa veſpertinam horam ipſius diei in parva quadam inſula Secanæ inter hortum Regalem & Eccleſiam Fratrum Heremitarum poſita, ambos pari incendio concremari mandavit: qui ſic paratum incendium prompto animo & volenti ſuſtinuiſſe ſunt viſi, ut pro ſuæ mortis conſtantia & abnegatione finali cunctis videntibus admirationem multam intulerint ac ſtuporem; duo verò reliqui adjudicato ſibi carceri ſunt recluſi.

MCCCXIV.

Margareta Navarræ Regina juvencula, & Blancha Regis Navarræ Caroli fratris junioris uxor, pro adulterio ab eis turpiſſimè frequentato & perpe-

trato cum PHILIPPO & GALTERO de Alneto fratribus Militibus, à prima videlicet cum Philippo, & altera cum Galtero, ſuis exigentibus culpis à propriis repudiatæ conjugibus, omni non immeritò honore temporali privatæ, deputantur carceribus, ut ibi ſub arcta cuſtodia omni humano deſtitutæ ſolatio infeliciter agerent vitam & miſerabiliter finirent. Duo verò præfati Milites cùm non ſolùm tamquam adulteri, ſed & dominorum ſuorum conjugij violatores nequiſſimi, qui de ipſis tamquam familiaribus nimis domeſticis præcipuam gerebant fiduciam; cúmque de eorum veſtibus * & familia reputarentur verâ ſcientiâ, & erant peſſimi proditores, necnon mulierculis ipſis adhuc ætate juvenculis, quas pro ſexu fragili ſuis lenociniis & blandimentis illexerant, multò magis in facto culpabiles; apud Pontizaram die veneris poſt *Quaſimodò* confeſſi ſunt hoc ſcelus quaſi per triennium frequentaſſe, ídque pluribus locis & temporibus ſacroſanctis; próque tanti perpetratione flagitij ignominioſæ mortis genus & pœnam luentes, in communi platea Martrei cunctis videntibus vivi excoriati, eíſque virilibus una cum genitalibus amputatis, cæſiſque capitibus ad commune patibulum tracti, cunctíſque omnino corio denudatis, per ſpatulas * & brachiorum compagines ſuſpenduntur. Poſtmodùm juxta eos oſtiarius quaſi qui fautor & conſcius prædicti ſceleris meritò videbatur, multi etiam tam nobilium quam ignobilium utriuſque ſexus qui præfati facinoris conſentientes videbantur aut conſcij, plerique tormentis quæſtionati fuerunt, aliqui verò in aquis vehementibus ſubmerſi, plurimi verò occultis mortibus perierunt, plerique innocentes reperti penitus evaſerunt, inter quos præcipuè quidam frater Prædicator dictus Epiſcopus ſancti Georgij qui . . . . aut ſortilegiis quæ homines provocabant ad illicita cooperator & conſcius memorati flagitij dicebatur, quem aliqui dixerunt Pariſius apud Fratres Prædicatores carcere fuiſſe detentum, alij verò Car-

Gal. * livrées.

Gal. * eſpaules.

dinalibus cùm jam vacaret Sedes Apoſtolica deſtinatum, & eorum judicio derelictum. Porrò etſi JOHANNA dictæ Blanchæ ſoror ſponſa PHILIPPI Comitis Pictavienſis vehementer in caſu habita fuerit in principio pro ſuſpecta, & à viro ſuo aliquandiu ſeparata, & apud * Durdanum caſtrum ſub carcerali cuſtodia reſervata, poſt inquæſtam nihilominus ob hoc factam, à prædicta ſuſpicione purgata, inculpabilis & omnino innoxia in Parlamento Pariſius præſentibus Comite Valeſij & Comite Ebroicenſi, multíſque Nobilibus aliis judicatur, & ſic anno minimè revoluto reconciliari promeruit Comiti ſponſo ſuo. * Durdacum.

Papa CLEMENTE Paſchali tempore juxta Avinionem viam univerſæ carnis ingreſſo, Sedes Apoſtolica vacavit diutiùs, diſcidentibus inter ſe Cardinalibus & protervè diviſis, maximè tamen poſt palatij, ubi congregati erant propter factum Papalis electionis, incendium, quod apud Carpentras, ubi pro electione convenerant, per Marquiſium Vicena nepotem Clementis Papæ nuper defuncti, in favorem Cardinalis Vaſconum, qui contra alios Cardinales Italicos ſcilicet & Gallicos electionem ſibi ipſi vendicare volebat, fuiſſe dicitur procuratum, & ex certa ſententia, maximè cùm Cardinales & alij, præcipuè mercatores multa & gravia detrimenta in domibus rebúſque ceteris incurriſſent. De loci verò ad electionem congrui acceptione, Italicis dicentibus quòd ad civitatem Romanam eſſet eundum, aliis alibi, reperti ſunt non minus quàm ſi principali facto electionis ageretur contrarij & diſcordes : verùm ob hoc quidam Cardinalium apud Auriacam civitatem, alij verò Avinionem vel alibi, quaſi prout proprius ducebat ſpiritus, uſquequaque quaſi perdices territæ diſperguntur.

Dolens Angliæ Rex EDUARDUS per Scotos cum ROBERTO de Brus eorum Capitaneo principali terram ſuam ſibi tam injuſtè quàm violenter ſeu fraudulenter * exceptam fuiſſe, ut dicebat; pro ejuſdem *f.* * ereptam

recuperatione nititur totis pro viribus Regnum ſuum graviter incurſare. Circa feſtum Decollationis ſancti Johannis collecto ſuorum exercitu copioſo indiſcretè pariter & pompoſè cum eis in planis congreditur, mox de ipſis cùm ſatis pauciores eſſent in numero præſumens optabilem habere triumphum. Sed confeſtim aciebus Anglorum valida adverſariorum manu potenter contritis, tandem Rex ipſe Eduardus divertens à prælio vix cum paucis fugæ præſidio ſe ſalvavit: quod deinceps Anglicis omnibus in opprobrium verſum eſt ſempiternum. Illic ſanè * amino Scotigenæ pede tanti ferè tanti poſiti os *, eorum memorato Duce ſcilicet Roberto du Brus quaſi corde in medio membrorum poſito, quamvis ut aſſerebant nonnulli, cilicio potiùs quàm armis protecti, à Domino, qui dat dignis victoriam, ſpeciali fiducia præmuniti, ut in ſuos omnes & ſingulos non ſolùm probitatis ſuæ conſtantiâ floreret, quin etiam humilitatis obſequio divinum patrocinium provocaret, pro ſua & patriæ libertate ſe ipſos audaci conſtantia morti ſi neceſſe fieret exponentes, adeò veriſimiliter decertabant, non ſolùm pariter, ſed & inſignem victoriam reportaverunt de Anglicis, Gloceſtre Comite & aliis pluribus interemptis, pluribúſque etiam Magnatibus atque Nobilibus vivis captis, qui ſe populis poſtea multa pecunia redemerunt . . . . tam ex redemptione captivorum quàm expræda fugientium collecta ſpolia dividentes, locupletati ſunt admodum & ditati pluſquam ſolito, per omnia fortiores effecti. Ceterum quamvis hac peractâ victoriâ Reginam Angliæ IZABELLAM, quam in caſtro propinquo cepiſſe * vel obſeſſæ ad deditionem compuliſſe compulſi de facili potuiſſent, abire tamen liberè & quietè ſpeciali metu vel amore Regis Franciæ cujus erat filia permiſerunt. Flandrenſes iterum Baillivo Regis de Corteriaco per eos expulſo, circa feſtum ſolemne contra Regem Franciæ ſpiritum rebellionis aſſumunt; qua de cauſa excommunicationis publicatur ſententia

f. * omnino Scotigenæ pedetentim fere antè poſiti omnes, * *locus corruptus.*

* obſeſſam tenebant, ad deditionem compellere de facili.

ſententia in omnes pacis perturbatores, diſſenſionis conſcios & rebelles, primò Pariſius in platea Parviſij, ac demum apud Tornacum, ſanctum Audomarum, Noviomum, Attrebates & Duacum, videlicet per Remenſem Archiepiſcopum & Abbatem ſancti Dionyſij in Francia executores ſuper hoc auctoritate Apoſtolica deputatos; quamvis in executione ſibi commiſſi officij nonnulla inſidiarum pericula ſint perpeſſi; ferebatur tamen Flandrenſes ab eorum ſententia ad Sedem Apoſtolicam appellaſſe. Dum itaque PHILIPPUS Rex Franciæ ad eorum expugnationem varios direxiſſet exercitus circumquaque, LUDOVICUM videlicet primogenitum ſuum Navarræ Regem apud Duacum, PHILIPPUM Comitem Pictavenſem apud ſanctum Audomarum, CAROLUM tertium juniorem filium cum CAROLO Valeſij Comite apud Tornacum, & LUDOVICUM Ebroicenſem Comitem apud Inſulam cum aſſignato unicuique certo termino * bellatorum. Demum tamen ſpe pacis habenda & ſub certis conditionibus per Comitem ſancti Pauli, Ebroicenſem & INGERRANNUM mediatores & compoſitores inter partes *; pro qua videlicet confirmanda Comes Flandriæ & Flandrenſes venire ad Regem Franciæ tenebantur infra tempus eidem præfixum, domino Roberto qui pro obſide tenebatur & aliis obſidibus primitus liberatis. * Omnis exercitus Regis Franciæ memoratus inefficax etiam & hac vice defraudatus turpiter & illuſus ſatis celeriter & nimis de facili in hoſtibus fidem accommodans ad propria remeavit.

* numero.
* de pace tractatur.
* ſicque.

Circa idem tempus dum apud Frequewort propter electionem Romanorum Regis Electores pariter congregati fuiſſent, inter invicem diſcordantes *, quibuſdam eorum videntibus * de jure electioni LUDOVICI Ducis Baicariæ, & ab aliis Duce Auſtriæ FREDERICO *. Dictus LUDOVICUS alteri fortitudine conſilij, faventiúmque armorum potentia pariter ac virtute prævalens, adverſa parte immutata, Aquiſ-

* extiterunt
* ſuffragantibus.
* electo.

grani poſtmodùm in Regem Romanorum Regali diademate coronatur circa feſtum Nativitatis : Dux verò Auſtriæ poſtea ab Archiepiſcopo Colonienſi, qui ejus partem fovebat, non tamen Aquiſgrani, fuit poſtea circa feſtum Pentecoſtes coronatus.

Extortionis indebitæ, exactionis injuſtæ inventio nova, inſolita in Regno Franciæ ab urbe Pariſius ſpecialiter ubique dehinc aſſumpſit exordium, undequaque exactione accepta propter expenſas in guerra contra Flandrenſes, ut dicebatur, factas; ita videlicet quòd ementes & vendentes quilibet pro rata ſua de libra ſex denarios Pariſienſes vel ampliùs Regi ſolvere cogebantur per ipſius conſiliarios Satellites & Miniſtros. Quam nonnulli nobiles & ignobiles, necnon Picardi cum Campanicis . . . . per juramentum ad invicem confœderati pro ſua & patriæ libertate ferre nullatenus ſuſtinentes, ob hoc viriliter ſe opponunt ; & tandem optatam obtinent libertatem, extortione de mandato Regis non ſolùm in terris eorum, ſed ubique per Regnum Franciæ penitus & omnino ceſſante : & dixerunt aliqui quòd prædicta exactio de conſcientia Regis minimè proceſſerat, ſed per ipſius conſiliarios & iniquos fuerat introducta.

PHILIPPUS Rex Franciæ diuturna detentus infirmitate, cujus cauſa Medicis erat incognita, non ſolùm ipſis, ſed & aliis multis multi ſtuporis materiam & admirationis inducit; præſertim cùm infirmitatis aut mortis periculum nec pulſus oſtenderet nec urina: tandem à ſuis apud Fontem-Blaudi, unde & oriundus, ſe deferri præcepit. Illic ſanè non multos poſt dies diem ſui obitus imminentem conſiderans, tam domui ſuæ quàm etiam rei domeſticæ ſalubriter & intentè diſponens * dominum CAROLUM juniorem filium ſuum, quem nondum hereditaverat, de Comitatu Marchiæ & terra circumjacente inveſtivit. Sed & de ſalute animæ ſuæ attentiùs cogitans, exactionem maletoltæ, quæ jam ad aures ejus inſonuerat, & ei

* providens.

multùm displicebat, cessare fecit penitus & omninò. Tandémque testamento suo multa cum maturitate relecto & sapienter pariter & prudenter quàm * fieri commodè potuit ordinato; domino LUDOVICO suo primogenito jam Navarræ Regi salubria salutis monita sapienter impendens, & eidem efficaciter ad implenda & sub minitatione divinæ pariter & paternæ maledictionis imponens, necnon Ecclesiam sanctam Catholicam, sed inter ceteras beati Dionysij Regni Franciæ peculiaris patroni specialiùs & familiariùs recommendans. Demum p . . . . . multorum & cunctis videntibus qui aderant admirabilium nimis & ferventi valde, præcipuè sacramentis devotè receptis, in confessione veræ & Catholicæ fidei anno Regni sui XXX. die Veneris vigiliâ sancti Andreæ Apostoli feliciter spiritum reddidit Creatori. Cujus corpus ut commodiùs & honestiùs fieri posset, ad sepulcrum patrum suorum videlicet Ecclesiam beati Dionysij deportatur, & ibidem in loco quem vivens designaverat in secretis honorificè, ut Regalem decebat Majestatem, die Lunæ sequenti vigesimo quinto, Prælatis præsentibus, scilicet Archiepiscopo uno Missam celebrante, decem Episcopis, decem & quatuor Abbatibus, integraliter, corde dumtaxat excepto, Ecclesiasticæ sepulturæ traditur. Cor autem ipsius quod Poissiacum Ecclesiæ Monialium sancti Dominici tumulandum reliquerat, cùm eamdem Ecclesiam à fundamentis construxisset, ipso die post corporis sepulturam illic in crastino defertur tumulandum debito cum honore.

* quantum.

LUDOVICUS Rex Franciæ & Navarræ Cathalaunensem Episcopum à Cancellaria sua destituit, & eidem STEPHANUM de Marugo in jure civili expertum, & ejusdem CAROLI avunculi sui Cambellanum subrogavit. Misit etiam circa Natale Domini Cambellanum & Secretarium suum HUGONEM de Bouilla Militem cum aliis certis nuntiis ad partes Siciliæ ad adducendam CLEMENTIAM Regis Hungariæ filiam sibi matrimonio copulandam. Missi sunt

etiam Ambassiatores vel solemnes nuntij à Rege Franciæ apud Romanam Curiam, scilicet GIRARDUS Suessionensis Episcopus, Comes Boloniæ, PETRUS de Bleve Miles in jure peritus, pro electione Summi Pontificis promovenda, qui tamen parum aut nihil profecerunt.

LUDOVICUS. MCCCXV.

INGERANNUS de Marigniaco Miles admodùm gratiosus, cautus, sapiens, astutus, auctoritatis & præeminentiæ in populo plurimùm habuit, Regísque Franciæ PHILIPPI nuper defuncti præcipuus inter ceteros & principalis Consiliarius; qui etiam quasi vel plusquam alter Major-domûs effectus totius Regni Franciæ præsidebat regimini; per quem expediebantur ardua omnia disponenda, & ad ejus nutum tamquam præcellentem obediebant omnes & singuli; * à CAROLO Valesij Comite LUDOVICI Regis avunculo, aliísque quibusdam (quibus in hac parte communis arridebat populi multitudo) præcipuè tam occasione frequentis & solitæ mutationis monetæ, quàm etiam extortionum quamplurium, quæ tempore Regis Philippi defuncti eis impositæ fuerant, suo nequam consilio, ut credebant; coram Ludovico Rege super variis detestandisque nimiùm criminibus notoriè palam & publicè accusatur turpiter, & ad ipsius Caroli suggestionem tam ipse Ingerannus Parisius apud Templum, quàm alij, quos plures pro custodiendo Regis thesauro, vel aliis negotiis Regis & Regni præfecerat, Clerici videlicet Officialis, Laici verò Parisiensis Præpositi, quorum etiam nonnulli variis tormentis addicti, quæstionati similiter, diversis carceribus mancipantur. * Et licet Miles prædictus ob sui purgationem legitimam sæpe & sæpius cum multa instantia audientiam postulasset, obtinere tamen non potuit, prædicti Comitis impeditus potentia; quamquam Rex juvenis libenti animo juvare & ipsi benigniter in hac parte favere, saltem in prin-

** Hæc & sequentia quædam retulit Auctor Historiæ Ministrorum. pag. 568.*

** Idem p. 574.*

cipio voluisset. Dum itaque quasi viâ mediâ contra eum vellent procedere, & ut cum eodem mitiùs ageretur, jam quasi adjudicatus diceretur in Cyprum insulam usque ad Regis revocationem exilio relegari:* ecce ad aures Caroli memorati repente pervenit, quasdam statuarias imagines per JACOBUM dictum *de Lor*, & ejus uxorem & famulum ad suggestionem uxoris & sororis dicti INGERANNI vel ipsius, pro ipsius liberatione sortilegio factas, & ad maleficium tam in Regis, quàm Caroli vel aliorum personis nequissimè procurandum. Quo comperto dictus Jacobus in carcere vinctus ex desperatione laqueo se suspendit, & postmodùm uxor ejus incendio concrematur. Sed & uxor & sorores Ingeranni carceribus mancipantur, & ipse tandem Ingerannus coram militibus judicatus, communi latronum patibulo Parisius est suspensus. Qui tamen de prædictis maleficiis nihil recognovit, nisi quod exactionum ac monetæ mutationum cum aliis non solus fuerat in causa, nec audientiam super purgatione sua habuisse potuerat, quamvis eam instantiùs requisisset, & sibi in principio promissa fuisset: unde & ipsius mortis causa, multis non omnino cognita, multam admirationis materiam induxit & stuporis.

* Idem p. 575.

Idem p. 578.

PETRUS de Latilliaco Cathalaunensis Episcopus de morte Regis Franciæ Philippi ac sui prædecessoris, quæ per eum dicebatur fuisse procurata suspectus, de mandato Regis sub nomine Remensis Archiepiscopi in custodia detinetur. RADULFUS etiam de Penariis suspectus Advocatus in Parlamento præcipuus, vel quasi pro suspicione consimili detentus, & in carcere apud sanctam GENOVEFAM Parisius positus & diversis quæstionatus suppliciis, cùm nihil omnino de impositis sibi criminibus ex ejus ore extorqueri potuisset, quamvis ob hoc gravia pariter & varia pertulisset tormenta, tandem liber abire permittitur, plurimis tamen bonis suis mobilibus & immobilibus diversis collatis, aliisque perditis & distractis. MAR-

GARETA quondam Navarræ Regina, quam sui lenocinij exigente infamia carceri mancipatam supra meminimus, universæ carnis viam ingressa, Vernone in Ecclesia Fratrum Minorum Ecclesiasticæ traditur sepulturæ. BLANCHA verò in carcere remanens à serviente quodam ejus custodiæ deputato dicebatur impræegnata fuisse quàm * à proprio Comite * diceretur, vel ab aliis impræegnata. HUGUELINUS frater MARGARETÆ Reginæ juvenis Burgundiæ Dux, cui successit frater ejus, de præsenti vita decessit.

f. * priusquam, *vel* quamquam.
* conjuge diceretur ab

In provincia Senonensi confœderati ad invicem multi de populo, ad hoc prout communiter ferebatur, quasi violenter inducti & quadam necessitate compulsi propter vexationes quamplurimas & extortiones indebitas, quas præcipuè in Curia Senonensi Archiepiscopi per insolentiam & proterviam Advocatorum & Procuratorum ipsius Curiæ nequiter perpessi fuerant, & de die in diem patiebantur injustè; Regem, Papam ac etiam Cardinales de ipsorum multitudine laïcali sibi præficiunt, malum pro malis reddere statuentes, & eorum maliciis obviare pertinaci malitia cupientes : sed dum ipsi plus instationis * excedunt limites, excommunicationis * ad hujus Clericorum instantiam aut pro * se ipsos absolutos pronuntiant, vel absolutos reputant, & eisdem Sacramenta Ecclesiastica subministrant, aut hæc à Sacerdotibus fieri comminatione mortis violenter & terrore procurant. Tandem ad Prælatorum quorumdam, qui ob hoc Regem cum instantia adierunt supplicationem & requestam detenti, ne facilitas veniæ ad delinquendum præberet aliis interminium *, pœnarum afflictione * condigna pro suorum qualitate excessuum puniuntur.

* justitiæ.
* sententiam incurrunt ad Clericorum.
* à qua per se.
* incitamentum.
* inflictione.

Circa Ascensionem Dominicam LUDOVICUS quondam Nivernensis & de Rethel Comes, & JOHANNES de Namursio venientes, in familiaritatem Regis & gratiam revocantur, præfatóque Comiti dicti duo Comitatus, à quibus dudum privatus sententia-

liter fuerat, restituuntur pacificè & quietè, quod plerisque occasionem præstitit multi murmurij & cachinni. Die Martis post Trinitatem comparuerunt coram Rege Abbas quidam Cisterciensis Ordinis, & alij procuratores ROBERTI Comitis Flandrensis, dictum Comitem excusantes, quòd quamvis personaliter venire * submonitus pro pace confirmanda, * deberet. quæ anno præterito fuerat prolocuta, venire tamen non poterat competenter, tam propter corporis debilitatem, quàm propter incursum hostium in Comitatu Flandrensi: quæ tamen excusationes reputatæ sunt frivolæ, prorogatóque die & submonitionis termino transacto; tandem Vigilia Apostolorum Petri & Pauli dictus Comes Flandrensísque populus adjudicatur contumax & rebellis, compulsísque redire procuratoribus, Ludovicus tamen Comes Nivernensis, & filius prædicti Comitis, & dominus Robertus de Namursio remanserunt in Francia cum Rege Ludovico pace Flandrensium sic infacta.

Sabbato ante festum sancti Johannis tres mulieres, quæ potiones confecerant, quibus defunctus Cathalaunensis Episcopus fuerat *, combustæ fuerunt in * suspectus. quadam insula brevi, quæ erat in fluvio Secanæ, ante Ecclesiam fratrum Heremitarum sancti Augustini. JOHANNES filius Flandrensis * . . . . . Dominicâ in octabas Apostolorum desponsavit filiam Comitis sancti Pauli. * Comitis.

Hoc anno medio mensis Aprilis usque ad finem mensis Julij vel circiter facta est inundatio pluviarum quasi continua, frigúsque æstivo tempore insolitum, propter quod nec segetes, nec vineæ ad maturitatem congruam poterant pervenire: & ob hoc maximè toto mense Julio vel quasi, factæ sunt processiones devotæ à Clero & populo. Vidimus namque per quindecim dies continuos apud Ecclesiam sancti Martyris * maximam utriusque sexus multitudinem unà cum Clero * Dionysij. non tantùm de prope, immò etiam à quinque leucis & ampliùs, etiam nudis pedibus, quin immo exceptis

mulieribus totis nudis corporibus processionaliter confluentem, ibíque deferebantur corpora Sanctorum devotè & aliæ Reliquiæ venerandæ; non tantùm in diœcesi, immo etiam in Carnotensi; Rothomagensi, aliis quoque Regni Franciæ partibus consimiles processiones fiebant. Eodem tempore Julio mense in festo beatæ Christinæ LUDOVICUS Rex Franciæ accepto vexillo apud sanctum Dionysium, quod dicitur Auriflamma & domino HENRICO de Herqueri tradito, proficiscens in Flandriam ultima die mensis ejusdem, Reginam CLEMENTIAM sibi matrimonio copulavit dominicâ sequenti in festo Inventionis sancti Stephani proto-martyris. Ipsis verò pariter coronatis & sacra unctione consecratis, cùm ipse Rex ad castrum Flandriæ quod Insula dicitur applicuisset, movénsque inde exercitum dum apud locum qui dicitur Bondus fixis tentoriis pontem ibi parari fecisset; hostes enim qui ultra Lilium similiter tentoria fixerant, pontem illi fregerunt, ut ad illos cum exercitu suo transire non posset; tanta illic inundatio pluviarum & ita continua secuta est, ut usque ad poplites tam equi quàm homines in luto & cœno multâ angariâ premerentur. Sícque tandem Rex ipse de Baronum communi consilio, licet non absque displicentia & amaritudine cordis, cùm nec ad ipsum nec ejus exercitum victualia possent deferri; tandem compulsus est exercitum licentiare infecto negotio, & reverti: & ne hostes de præda locupletes fierent, ignem in tentoriis jussit apponi; quod videntes adversarij æstimantes nostrorum exercitum in eos velle irruere per pontem paratum, mox igne similiter in tentoriis suis apposito fugam intenderunt. Illic autem ante suum recessum Rex ipse de avunculorum & fratrum Baronúmque consilio Reginam Clementiam dicitur de viginti millibus libris in redditibus dotasse, præcipuè apud Lorriz, Bogenciacum, Montargis, Fonte-Blaudi & alibi, & de hoc litteras confecisse. Hoc anno fuit vini defectus universalis in Regno Franciæ aliàs inauditus, non

non solùm in quantitate, sed etiam in qualitate.

Mense Octobri facto Concilio Silvanectensi præsidente Archiepiscopo Remensi ejúsque suffraganeis, & aliis quibusdam Prælatis, præpositisque duobus prædictis casibus contra Cathalaunensem Episcopum; petiit idem Episcopus ut ante omnia ipse qui tam in persona quàm in bonis spoliatus erat, restitueretur; quod & obtinuit, ut jus erat: quo concesso voluit quòd super hoc Prælati inquirerent, & sic super hoc prorogatur Concilium & Parisius assignatur. Circa istud tempus Papa JOHANNES divisit Episcopatum Tholosanum in sex Episcopatus, & facta est civitas Tholosana Sedes Metropolitana.

Episcopatus Pictavensis per eumdem in tres Episcopatus scilicet Pictavensem, Maleacensem * & Luteciamensem est divisus; erant autem priùs duæ Abbatiæ subditæ Episcopo Pictavensi, quæ nunc factæ sunt Ecclesiæ Cathedrales, & Abbates earumdem sunt etiam Episcopi. Quidam Milites & alij nobiles Vermandenses & Campanenses confœderati invicem contra Comitissam MATHILDEM, quæ ipsos indebitè volebat opprimere, insurgunt; quemdam Militem, quem in carcere detinebat de castro fortissimo, quod dicitur Hedin, potenter auferunt, JOHANNA Pictavensi Comitissa dictæ Mathildis filia & postea Regina Angliæ tunc præsente, & ab eis permissa liberæ fugæ præsidio se ipsam salvare. Hac verò de causa quia dicti Milites conspirasse dicebantur contra Regiam Majestatem, vocati sunt à Rege LUDOVICO circa festum Omnium Sanctorum apud Compendium, & ibi comparentes emendaverunt Regi ut dicebatur. Carolus Valesij & multi alij Barones Regni Franciæ in regressu de Flandriis fecerunt monetam novam Parisius, & cucurrit, quæ etsi pauco tempore cursum aliqualem Parisius & circa habuerit, non tamen diutiùs, Rege eam prohibente, nisi tantùm in terris eorumdem qui hanc monetam fecerant fabricari. Circa festum sancti Thomæ visa fuit cometa in cælo,

* Maillezais & Luçon.

quæ mortem Regis prænosticare videbatur, ut patuit postmodùm in effectu.

MCCCXVI.

Hoc anno præ defectu annonæ, de qua tactum est supra, tanta fuit caristia gravis in Regno Franciæ, quòd sextarius bladi Parisius & circa quinquaginta solid. Parisiensium fortium, ordei verò triginta & avenæ decem & octo vel ampliùs vendebatur: & similiter accidit in aliis partibus Regni Franciæ suo modo.

LUDOVICUS Rex Franciæ & Navarræ febre gravi per aliquos dies in domo Regali nemoris Vicenarum correptus, quinta die Mensis Julij diem clausit extremum, Reginam CLEMENTIAM de quodam puero impraegnatam relinquens, habénsque filiam unicam nomine JOHANNAM de Margareta prima conjuge defuncta; hujus autem corpus primò Parisius in Ecclesia beatæ Virginis ipso die defertur, die verò sequenti ad Ecclesiam beati Dionysij patrum suorum sepulcrum delatum prout Regalem magnificentiam decuit, tertia die post obitum Ecclesiasticæ traditur sepulturæ. PHILIPPUS Comes Pictavensis, qui pro creatione Summi Pontificis acceleranda Lugdunum * Avinioni profectus fuerat, audita morte fratris sui Regis Franciæ LUDOVICI reverti Parisius maturavit: includere tamen Cardinales faciens priusquam recederet à Lugduno, Comitem de Forés ad ipsorum custodiam relinquens. Venit autem idem Comes Parisius die Lunæ post translationem beati Benedicti, acceptísque Regiis equis apud Caceriam; die quoque sequenti celebratis obsequiis in ejus præsentia apud Cœnobium sancti Dionysij pro fratre suo Rege Ludovico, revertens inde Parisius Parlamentum fecit congregari, in quo sanè tamen de consilio Procerum & Militum Regni extitit ordinatum, ut usque ad decem & octo annos, etiam si ex Regina CLEMENTIA quam frater ejus gravidam reliquerat puer masculus nasceretur, servaret & regeret Regnum Franciæ &

f. * Lugduno.

etiam Navarræ; unde & in ejus magno sigillo sic erat conscriptum : PHILIPPUS *Regis Francorum filius Franciæ & Navarræ regens Regna.* Circa festum Magdalenes LUDOVICUS Comes Clarimontis & JOHANNES frater ejus Comes Suessionensis cum aliis multis crucem transmarinam de manu Patriarchæ Jerosolymitani congregatis Prælatis quamplurimis Parisius solemniter assumpserunt, proclamatúmque fuit ex parte Comitis Pictavensis, qui jamdudum patre vivente acceperat, ut qui tunc vel etiam antè crucem acceperat, ad transfretandum cum ipsis in festo Pentecostes ab eodem festo immediatè post annum futurum totis se viribus præpararet. Hoc anno fuit magna mortalitas hominum & maximè pauperum, quorum multi famis inediâ perierunt.

Post vacationem Apostolicæ sedis per biennium & ampliùs, tandem Cardinales inclusi dominum JACOBUM Cardinalem, priùs verò Avinionensem Episcopum, virum siquidem in jure peritum & vita laudabilem, natione Caturcensem prima die mensis Augusti festo sancti Petri ad Vincula in summum Pontificem elegerunt : qui mutato nomine JOHANNES XXII. Papa vocatus ibidem ante Nativitatem beatæ Virginis sua suscepit insignia, CAROLO Comite Marchiæ fratre PHILIPPI regentis Regna Franciæ & Navarræ, eorúmque avunculo LUDOVICO Ebroïcensi Comite frenum equi cui insidebat regentibus, ejúsque festum decorantibus ipso die. Die veneris post Nativitatem beatæ Virginis factus est terræmotus apud Pontisaram & villam sancti Dionysij in Francia, quamvis rarus in iis terræ partibus evenire insolitus, & aliàs inauditus. Papa Johannes concessit hoc tempore annualia ad quatuor annos Philippo Pictavensi Comiti regenti Regna Franciæ & Navarræ. Eclipsis Lunæ facta est prima nocte primi diei Octobris immediatè sequentis. JOHANNES Comes Suessionensis qui nuper Crucem transmarinam assumpserat, diem clausit extremum.

ROBERTUS nepos MATHILDIS Attrebatensis Comitissæ Bellimontis Rogerij occupare volens Comitatum Attrebati, quod ad ipsum ratione patris sui PHILIPPI dudum defuncti fratris dictæ Mathildis pertinere dicebat; junctis sibi confœderatis de quibus supra meminimus, nonobstante quòd Philippus Regnum Franciæ regens negotium ipsum in manu superiori* posuerat, vel in quacumque inhabitatione à * Galthero Conestabulario Franciæ, qui illic ad ejus motus reprimendos directus fuerat, potenter insurgens, civitatem Attrebatum castrúmque Sancti Audomari vi armorum accepit, mandatúsque ad Parlamentum Parisius venire respuit. Quod audiens Comes PHILIPPUS contra ipsum arma corripiens die Sabbati ante festum Omnium Sanctorum apud sanctum Dionysium vexillum accepit Episcopo sancti Maclovij Missam celebrante, & ipsum benedicente, sanctis tamen Martyribus non extractis aut super altare positis, nec ipso vexillo ut aliàs fieri solet eisdem contacto. Cùmque venisset Ambianis civitatem cum exercitu copioso, ante omnem congressum hostilem talis compositio fuit facta, quòd certis personis ad tractandum de pace inter ipsum & Comitissam prædictam deputatis, nisi possent eos pacificare, de plano judicarentur per Pares & Proceres Regni, processu negotij in eodem statu remanente in quo erat tempore quo decessit Robertus Attrebatensis Comes pater dictæ Mathildis, & avus ipsius Roberti, nonobstante judicato quocumque. Interim verò CAROLUS Comes Valesij ejusque frater LUDOVICUS Comes Ebroïcensis Comitatu in manu superiori posito, omnes ejus redditus & proventus reciperent; ipse verò Robertus qui confœderatos & eorum factum advocabat * hoc tamen excepto quòd si aliqui contra Regiam Majestatem aliàs attentassent, de quo purgare se ipsos legitimè, loco & tempore offerebant, Parisius in prisione se redderet: quod & factum est. Et sic Comes Philippus licentiato exercitu Parisius est reversus; Comes verò ROBERTUS

* *En main souveraine.*
* In Gualtherum Conestabularium.

* adnoaba *M.S.*

primò in Castelleto Parisius & postea apud sanctum Germanum de Pratis in prisione detentus est

Parisius apud Luparam XVII. Kal. Decembris ex Regina CLEMENTIA quartana laborante natus est puer masculus Regis LUDOVICI nuper defuncti primus filius, nocte videlicet die Dominica præcedente, qui natus in Christo regnaturus JOHANNE'sque vocatus XIII. Kal. mensis prædicti ibidem decessit, die scilicet Veneris immediatè sequenti. Die verò sequenti in Ecclesia beati Dionisij ad pedes patris sui defuncti, Philippo Pictavensi Comite milite *, corpúsque parvuli unà cum filiis *, avunculis CAROLO & LUDOVICO ad tumulum deferente, & extunc pro Rege Franciæ & Navarræ non immeritò se tenente, traditus est Ecclesiasticæ sepulturæ. Philippus Regis LUDOVICI defuncti frater Dominicâ post festum Epiphaniæ unà cum conjuge sua JOHANNA inunctus est Remis in Regem, avunculis suis Carolo & Ludovico Proceribúsque Regni, & Paribus licet non omnibus ibidem præsentibus.

* comitante. * suis,

Quamvis enim frater ipsius Carolus Comes Marchiæ secum Remis usque venisset, ante coronationem tamen summo mane ex insperato recessit. Dux etiam Burgundiæ venire non voluit, immo etiam & * antiqua Ducissa Burgundiæ appellatione ut dicebatur facta, intimari fecit Paribus qui Coronationi intererant, & præcipuè Prælatis, ne in ipsa procederent, donec tractatum esset de Jure quod JOHANNA juvencula puella LUDOVICI Regis defuncti primogenitâ habebat in Regno Franciæ & Navarræ: ex quibus aliis signis & factis nonnullis, multorum concludebatur judicio, prædictos & alios nonnullos Regni Proceres & Magnates contra Regem ipsum saltem in occulto simultatem habere, etiam avunculo ejus Carolo Comite Valesij Philippus * tunc esset, partem eorum ut dicebatur fovens *: istis tamen non obstantibus Coronationis festum fuit solemniter celebratum januis civitatis clausis, & armatis ad eorum custodiam deputatis.

* ab

* *Redundant fortè ista tria verba.* * Fovente.

Quamvis autem esset dissensio inter Belvacensem Episcopum & Lingonensem quis eorum in ordine sessionis ratione præferri deberet Paritatis, tamen adjudicatum extitit pro Episcopo Belvacensi; MATHILDIS etiam Comitissa Attrebatensis mater Reginæ tamquam Par Regni coronam Regni cum ceteris Paribus dicitur sustentasse, de quo aliqui indignati fuerant. Defuncto PHILIPPO de Marigniaco fratre Ingeranni, de quo supra meminimus, Archiepiscopo Senonensi, successit vir nobilis GUILLERMUS Vicecomitis Melduni filius. Circa etiam idem tempus, defuncto Ægidio Bithuriæ Archiepiscopo, successit Lemoviensis Episcopus. Decesserunt etiam GUICHARDUS quondam Trecensis Episcopus, & JOHANNES quondam Cantor Aurelianensis, qui in Episcopatu Trecensi successerat, ipso die consecrationis suæ.

ROBERTUS Attrebatensis Comitissæ nepos ex fratre ex prisione relaxatus, post altercationes aliquas in judicio & extra ratione juris Comitatus prædicti, tandem compositione amicabili inter ipsos facta, juri Comitatus omnimodè renunciavit, eo pacto videlicet quòd Rex in hoc facto debitè provideret. Duxit autem Robertus filiam Comitis Valesij in uxorem. Circa Purificationem decessit CORARDUS Abbas Cisterciensis, cui successit GALTHERUS. Circa Purificationem beatæ Virginis congregati fuerunt in præsentia PETRI de Arrabloi dudum Regis Philippi Cancellarij, quem Papa de novo Cardinalem effecerat, quamplures Proceres & Regni Nobiles ac Magnates unà cum plerisque Prælatis & burgensibus Parisiensis civitatis; qui omnes coronationem Regis Philippi pariter approbabant, nec non ipsi tamquam Regi pariter obedire, & post eum filio ejus LUDOVICO primogenito tamquam successori & heredi legitimo juramento firmarunt, Magistris Universitatis civitatis ipsius hoc ipsum unanimiter approbantibus, quamvis non adhibito juramento. Tunc etiam declaratum fuit quòd ad coronam Regni Franciæ mulier non succedit. Die Mar-

tis ante Cineres factus est in Pictavensi diœcesi terræ motus. LUDOVICUS puerulus PHILIPPI Regis Franciæ primogenitus die Veneris post Cineres defungitur, & apud Fratres Minores Parisius juxta aviam suam JOHANNAM Franciæ & Navarræ Reginam Ecclesiasticæ traditur sepulturæ. Hoc eodem anno fuit hyems satis aspera continuè à festo beati Andreæ vel circiter usque ad Pascha.

PHILIPPUS. MCCCXVII.

Hoc anno tractatus est habitus cum Flammingis. Comes verò Valesij malens filiam suam fieri Comitissam Flandriæ quàm filium fratris sui Comitis Ebroïcensis, tractavit quomodò illud matrimonium mutaretur; & ad hoc tantum est deductum negotium, quòd non obstante assignatione diei nuptiarum præfixa inter eos, non obstante etiam quòd omnia erant pro dictarum nuptiarum celebratione cum apparatu celebri, ut tantas decebat nuptias, præparata; Rex nihilo minus totum mandavit differri, volens ut asserebat, unam de filiabus propriis cum dicto filio maritari. Cùm ergo Rex & Flammingi super tractatum pacis inter eos, ut sperabatur, reformandæ, non possent in omnibus hinc & inde appositis conditionibus concordare; ex assensu tam Regis quàm Flandrensium fuit ordinatum ut ad Papam recurrerent, qui posset ordinare super punctis in quibus inter partes dissensio intererat, quod cùm vellet Papa concorditer ordinare, dixerunt Flammingorum nuntij, quòd ipsi non habebant potentiam vel mandatum aliquod* confirmandi, sed suis referrent * aliquid. omnia si vellent quod ordinatum fuerat approbare. Tunc Papa misit in Franciam Archiepiscopum Bituricensem & Magistrum Ordinis Prædicatorum, qui partibus auditis concordiam auctoritate Apostolica confirmarent. Flammingi verò quærentes occasiones frivolas discordandi, dicebant quòd libenter consentirent dummodò daretur eis firma securitas, quòd Regales non infringerent factam pacem, & hæc dum Rex

annueret, tamen nullam oblatam securitatem recipere voluerunt; & ita nuntij Papæ per Flammingos unà cum Rege & Franciæ Proceribus delusi infecto negotio redierunt.

Interim Rex Franciæ & Dux Burgundiæ discordantes, amicis partes suas interponentibus, ad concordiam sunt adducti. Rex autem filium non habebat, ... *. . . . unicus quem de Johanna uxore sua habuerat, cùm esset in Burgundia pro congregandis Cardinalibus pro electione Summi Pontificis Johannis, paulò ante obierat; verumtamen plures filias habebat, quarum majorem natu dedit Duci Burgundiæ in uxorem. Et cùm guerra Flandrensium timeretur, fuerunt usque ad sequens Pascha treugæ datæ, quæ postea sunt usque ad sequens festum Pentecostes prolongatæ, & tandem usque ad sequens Pascha ut antea protenduntur. Circa idem tempus Rex amicorum Ingerranni suspensi verbis & precibus ut creditur circumventus * de patibulo deponitur & in medio chori fratrum Carthusiensium juxta Parisius sepelitur, ubi frater ejus Johannes Senonensis Archiepiscopus satis citò pòst decedens positus, sub eodem lapide cum fratre Ecclesiasticæ traditur sepulturæ.

* nam filius

* est, & ita iste.

Constitutiones, quæ *Clementinæ* communi vocabulo nuncupantur, eò quod per domnum CLEMENTEM Summum Pontificem in Concilio Viennensi editæ fuissent, cùm propter multas latas excommunicationes, suspensiones, & ceteras juris pœnas in ipsis contentas nimis rigidè viderentur, ad tempus suspensas, JOHANNES Papa XXII. fecit Parisius & in aliis studiis solemnibus sub bulla publicari, & eas sub pœnis contentis præcipiens observari: unde ex hoc turbatæ sunt specialiter Beguinæ, quoniam in eis sive omnis * discretionis status Beguinagij condemnatur; sed non obstante condemnatione status earum processu temporis convalescit; nam adhuc & nomen earum perseverat & genus in * Ecclesia, & Papa * sub quadam communitate transeunte, cum longè melius sit eas sic

* omni distinctione, *vel*, discretione.
* in Eccl. Papa.
* permittente & eo Ordine.

ſic eſſe quàm laxatis habenis in ſæculi pompis & vanitatibus evagari; inter ipſas enim ſunt multæ bonæ & religioſæ perſonæ, & inter ipſas exercentur opera pietatis. Quod tamen mandatum non ſine conſilio & adjutorio creditur eſſe factum. Nonnulli volunt aſſerere, quòd Ordines Mendicantium non niſi equivocè ſeu ſolo nomine mendicabunt, quamdiu Beguinatij ſtatus in ſuo robore perdurabit. Circa ferè idem tempus in Italia inſurrexerunt in confinio & Comitatu Mediolani Hæretici, qui tam ratione ſuæ perverſæ vitæ & operationis, quàm etiam ratione temporalis poteſtatis valde perturbaverunt Eccleſiam Dei, ſcilicet *Matthæus* de Cōmitibus Mediolanenſis, & ejus filius *Galeachius*, *Marchus*, *Luchinus*, *Iohannes* & *Stephanus*, contra quos inquiſitione * inventi ſunt hæretici manifeſti, & finaliter tamquam hæretici condemnati. Frequenter enim Nuntios Sedis Apoſtolicæ receperunt, verberaverunt, incarceraverunt, litteras eorum laceraverunt, ſpoliaverunt Eccleſias, rapuerunt poſita in Eccleſiis, Epiſcopos, Abbates & alias perſonas Eccleſiaſticas de locis propriis expulerunt, flagellaverunt, miſerunt in exilium, occiderunt plures, cremaverunt Hoſpitalia & Eccleſias & alia pia loca. Item Matthæus interdixit perſonis Eccleſiaſticis Synodos, Concilia, Capitula, viſitationes, prædicationes; ipſe abuſus eſt multis puellis & eas corruptas violenter intraxit *, in Monaſteriis multas Sanctimoniales violenter corrupit, inhibuit in Mediolano poſitum interdictum obſervari, coëgit Clericos ſolemniter nonobſtante interdicto exercere Divina, & filij ſui conſimiliter in aliis locis, fecit prædicari quòd excommunicatio contra eum lata non erat timenda: confœderavit ſe cum Schiſmaticis ex quo guerræ * & Schiſmata ſunt ſecuta, & multæ aliæ hæreſes ortum habuerunt. Carnis reſurrectionem negabat, vel ſaltem de ea dubitabat: avus & avia ipſius fuerunt hæretici, propter hoc igne cremati. Manfreda ſibi germana * ex . . . . hæretica &

* facta.

* interfecit.

* innumeræ

* ex matre.

combuſta Orvaræ, dicebat Spiritum ſanctum incarnatum. Inguillina hæretica quæ conſimiliter eſt combuſta. Hoc etiam tempore * tamquam excommunicatos & hæreticos condemnatos fecit Papa JOHANNES multos proceſſus & multas fulminavit ſententias; ſed quoniam obſtinati erant, in parvo immo in nihilo valuerunt: unde perpendens quòd per hanc viam non proficeret, dedit contra ipſos dimicantibus largas indulgentias in hunc modum; Quòd quicumque Clerici vel laïci, qui contra hos ſchiſmaticos, hæreticos, excommunicatos, hoſtes Chriſti rebelles, ſanctæ Matri Eccleſiæ inimicos procedent in propriis perſonis, ſuis vel alienis expenſis, & manebunt per annum ſequendo vexillum Romanæ Eccleſiæ, vel qui mittent idoneos bellatores per annum, hanc indulgentiam, quæ ſolet dari proficiſcentibus in ſubſidium terræ ſanctæ *; qui per partem anni, partem indulgentiæ; qui morientur in via, indulgentiam integram; qui mitterent de ſuo, participes indulgentiæ ſecundùm quantitatem doni vel donationis *.

* in hos,

* lucrabuntur.

* erunt.

Et quoniam illi qui antea ſcripſerunt à XIIII. anno & circiter de Bavaro, qui ſe Regem Romanorum dicit, nihil ſcripſerunt; idcirco ab ejus electione ſumens exordium, licet aliquantulum tactum fuerit ſuperiùs, hîc annotare curavi cum factis præcedentibus. Qui circa iſtud tempus Italiam intrans ſe ſupradictis immaniter ſchiſmaticis & hæreticis ſociavit. Anno Domini M°. CCC°. XIIII°. poſt mortem inclytæ recordationis HENRICI Imperatoris Electores Regis Alemanniæ tres Archiepiſcopi ſcilicet Magontinenſis, Treuirenſis & Colonienſis, cum tribus aliis Ducibus *in Franquemont* * ſupra Moüanum fluvium cauſa Electionis ſunt ad invicem congregati, quorumquinque unanimiter LUDOVICUM Ducem Bavariæ in Regem Alemanniæ elegerunt, ſolo Colonienſi Archiepiſcopo Fredericum Ducem Auſtriæ eligente. Quo facto ceteri Principes Ludovicum prædictum Aquiſgranis ducentes ubi ſoliti ſunt Reges Alemanniæ coronari, ſu-

f. * *Francfort ſur le Mein.*

per ſedem Magnifici Imperatoris Caroli Magni circa beatæ MARIÆ Virginis Nativitatem eum ſtatuentes, in Regem Romanorum Regali diademate coronaverunt. Colonienſis verò Archiepiſcopus FREDERICUM ab eo electum circa ſequens feſtum Pentecoſtes non Aquiſgrani, ſed in villa quæ Bona dicitur quatuor leucis à Colonia diſtante coronavit. Ludovicus verò qui pro ſe majorem partem eligentium habuiſſe* potior videbatur, de coronatione reverſus apud Noremberg, ubi Reges Alemanniæ poſt coronationem ſuam in Regem Romanorum primam ſedem ſuam ponere conſueverunt, fecit Curiam ſuam publicè proclamari, ibidem homagia Imperij recipiens, jura & juriſdictiones temporales exercens, privilegia confirmans, ceteróſque actus Regales faciens qui ſibi jure Imperiali & Regali competebant & competere videbantur & poterant: & hoc dicebat ſe poſſe facere abſque omni requiſitione Eccleſiæ & Papæ, & quòd ipſe & prædeceſſores ſui ita fecerant, & præſcripſerant à tanto tempore quod de contrario memoria non exiſtit. Occaſione verò prædictæ electionis orta eſt gravis diſſenſio inter dictos electos, terras ſuas hinc & inde multis incurſibus devaſtantes: finaliter verò commiſſum eſt bellum inter eos campeſtre; & licet plures & potentiores & fortiores partes eſſent cum Frederico Duce Auſtriæ, Ludovicus tamen cum paucis reſpectivè, multis occiſis, multíſque ex parte Frederici prædicti fugientibus, capto Frederico & Henrico fratre ejus in dicto prælio glorioſè triumphat. Habito verò dicto de adverſariis triumpho, more prædeceſſorum ſuorum pro confirmatione Imperij, necnon coronatione & benedictione Imperiali ſibi, ut dicebat, de jure debitis, dictus Ludovicus ſolemnes nuntios ad Summum Pontificem deſtinavit. Quæ tamen Papa omnino facere recuſavit, dicens quòd cùm ipſe in diſcordia electus eſſet, antequam ipſum ad jus & dignitatem Imperij confirmaret, ad ipſum pertinebat finalis deciſio quis electorum in jure potior

* & fortior

haberetur. Item quòd ad Papam pertinet, ut dicebat, non solùm electionis, sed etiam personæ electæ approbatio, antequam possit licitè jura Imperialia exercere; & ipse Ludovicus in his se immiscuerit, homagia Imperij recipiens, feodósque distribuens minus debitè, & in præjudicium Ecclesiæ Romanæ hoc attentans; si quod prius jus habuerat, hoc exequens, jure suo merito privabatur.

Circa eadem fere tempora in curia Romana orta est quæstio scrupulosa circa statum Fratrum Minorum, quæ in Ecclesia processu temporis, ut oculis nostris inspeximus, perversorum scandalorum & schismatum seminarium fuerit. Dum enim in dictorum Fratrum Regula contineatur, & de hoc Fratres faciant votum explicitum & expressum, quòd nullus Frater habeat aliquid in proprio vel communi, & quod jure quocumque nullum apud se retineant dominium, sed solùm habeant simplicem usum facti; asserentes nihilominus quòd hic est perfectus vivendi modus, hæc est vita Evangelica quam CHRISTUS & Apostoli tenuerunt & tenendam docuerunt, unde & asserunt Christum nihil omnino habuisse, nec in proprio nec in communi: quæ res in admirationem nonnullos induxit, quasi in re cujus usus est ipsa consumptio, sicut in re comestibili, putà pane vel caseo, certum est quòd tali in usu transit dominium, & ille igitur habet dominium qui habet usum, & qui usum dominium: unde cùm in istis non possit dominium separari ab usu, & sub voto eorum expresso cadat in nulla re habere dominium, & tamen habere usum dominij in præsenti vita est necessarium; supposito quòd velint vivere, necessarium est professoribus istius Regulæ frangere votum, immo apparet quòd omni die fit fractio talis voti. Unde concludebant multi, tales non esse in statu salutis, & votum non esse sanctitatis sed magis assumptæ sine ratione voluntatis; & ad hanc partem dicebatur quòd magis se Summus Pontifex inclinabat. Adhuc toto anno isto

durabat cariſtia bladi in Regno Franciæ.

MCCCXVIII.

Cùm ut priùs dictum fuit, inter Regem Franciæ PHILIPPUM & Ducem Burgundiæ aliqua diſcordiæ occaſio appareret, quæ amicis intervenientibus de facili eſt ſopita & ad concordiam revocata; etiam in majus ſignum concordiæ magna inter ipſos amicitia fœdera ſunt ſequuta. In feſto Trinitatis duxit Dux Burgundiæ filiam Regis primogenitam in uxorem, & de voluntate Regis & Ducis neptis eorum Regis Ludovici nuper defuncti ex ſorore Ducis filia primogenita Comitis Ebroïcenſis Ludovico * data eſt uxor, & quod multis admirationis materiam miniſtravit, nonobſtante quòd eſſent impuberes, nihilominus per verba de præſenti fuit inter eos ſolemniter matrimonium celebratum.

* Ludovici filio Philippo.

LUDOVICUS primogenitus Comitis Flandriæ homo ligius Regis Franciæ de Comitatu Nivernenſi, & de Baronia de Donziaco, & de Comitatu Reſtelli quod ſibi ratione conjugis contingebat, accuſatus ſuper multis machinationibus per eum factis contra Regem & Regnum, ut pote Flammingos in rebellione nutriens, pacem impediens, caſtra ſua & fortalitia contra Regem & Regnum muniens, pueros & familiam ad pueros * traſmittens, ſe cum omnibus quos æſtimare poterat Regi infeſtos aut etiam inimicos conſocians; ad quindenam aſſumptionis beatæ MARIÆ coram Rege & Regalibus ſuper præmiſſis reſponſurus ſolemniter citatus apud Compendium, cum intimatione ſive veniret ſive non ſibi tamen fieret juſtitiæ complementum, nondum comparuit, quinimmo ſe & ſua tranſtulit ad Flammingos; propter quod Rex in ſua manu ſupra dictos poſuit Comitatus, facta ſufficienti proviſione uxori ſuæ ratione Comitatus de Rethel, quam ille ut malus per omnia repudiaverat, cùm tamen ut fama publica teſtabatur eſſet ſancta mulier & honeſta. Comitiſſa Attrebatenſis MATILDIS filia Roberti Attrebaten-

* hoſtes.

ſis, volens per terram ſuam ingredi cum manu armata, reſiſtentibus ſibi contra eam multis Militibus in dicto Comitatu & circa confœderatis, ſibíque ſignificantibus quòd ſi ſine armis terram ingredi vellet, libenter annuerent, ſi verò in manu armata, ſibi in paſſibus reſiſterent: quod audiens Comitiſſa prædicta timens periculum deſiſtit ab incœpto.

Papa iterum alios nuntios dirigit ad Flammingos, ſcilicet Magiſtrum PETRUM de Plaude Fratrem Prædicatorem & Doctorem in Theologia, & duos Fratres Minores cum littera Papæ, cujus ſeries erat, quòd Papa ſecuritates quas Rex offerebat ſufficientes reputabat, conſulens quòd eas pacificè acceptarent, ſin autem, eos reputabat perjuros & impeditores paſſagij Tranſmarini. Qui reſponderunt; Papa nihil nobis præcipit; ſed tantùm conſulit, unde non reputamus nos tamquam obligatos. Acceptaverunt tamen diem ad tractandum apud Compendium in Octabas Aſſumptionis; ad quam diem Papa miſit Magiſtrum Ordinis Prædicatorum cum uno Magiſtro in Theologia Fratre Minore, Rex etiam ſolemnes nuntios ad dictum diem deſtinavit; ſed ex parte Flammingorum nullus comparuit, niſi ſoli duo juvenes filij burgenſium, qui dicebant ſe non eſſe miſſos ad aliquid ordinandum; quæſito ab eis cur venerant, reſponderunt, animalia perdidimus & exivimus ad quærendum. Et ſic deluſi tam Papales quàm Regales nuntij ad domum ſunt reverſi. Tentaverunt autem Flammingi antea ſe confœderatis * cum Pictavia * conjungere ſimili juramento, ut contra Regem fierent fortiores; ſed ipſi eos recipere noluerunt.

* confœderatione.
* Pictavis,

Eodem anno fuit guerra in Lotharingia in civitate Virdunenſi inter cives ad invicem, ita ut pars partem compelleret extra urbem. Comes autem Barri qui partem exteriorum * defendebat contra Epiſcopum civitatis & ejus fratrem dominum de Aſperomonte, congregato exercitu, poſt longam obſeſſionem circa caſtrum ſolemne quod Diulandum dicitur, muris diruptis & confractis illud cepit cum alio caſtro nomine Sa-

* burgenſium.

pigniacum: Sed Rex Franciæ qui gardiam habet villæ, misso Connestabulario Franciæ, per ipsum ad concordiam ducti sunt, expulsis ad propria revocatis. Hoc anno renovavit Dominus antiquum miraculum de multiplicatione panum. Nam cùm jam esset caristia bladi pervalida undique in Regno Franciæ, ut sextarius bladi ascenderit ad quadraginta solidos in valore, ante omnem messionem & collectionem fructuum redactum est ad valorem duodecim solidorum & circiter, Deo gratiam apponente sicut vidimus manifestè: nam panis qui vix ad unam horam parvam sufficiebat homini ad edendum, quinimmo quasi esuriens post comestionem surgebat, transacta caristia copiosè tota die sufficeret pro duobus.

Regina CLEMENTIA vidua Ludovici quondam Regis Franciæ relicta, credens avunculum suum Regem Siciliæ ibidem invenire, circa festum Omnium Sanctorum Avinionem intravit; sed quamvis ab ipsa ibidem aliquamdiu expectatus, quasi * ita citò propter guerram Rinuesium per quos transitum fecerat, illuc venire non potuit. Ipsa salutato Papa à quo multùm benigniter recepta fuerat, de ejusdem consilio Aquis in Conventu Sororum Sancti Dominici se transtulit, & avunculi sui Regis adventum diùtius * expectavit. Hoc anno Rex Siciliæ civitatem Januam applicuit, & ita * urbem à Guelfis, qui intra urbem remanentes Guibellinos expulerant, cum honore receptus: * sed desiderans Summum Pontificem visitare ab urbe: * nihilominus Guelforum instantiâ, cùm sibi improperant si eos contra Guibelinos qui eorum civitatem obsidebant indefensos dimitteret, imminere sibi confusionem & opprobrium sempiternum, & hujusmodi rationibus . . . Sed . . . . . . ibidem disposuit diutiùs quod * ante crediderat immorari.

Transacta igitur hyeme Rex versus Sagoniam * XXIII. galeis * cum multitudine armatorum, sed resistentibus fortiter Guibelinis portum ibidem apprehendere nequiverunt; sed divertentes * ad portum qui dicitur Sancti

* tamen
* non *f. deest*
* intrans
* est
* discedere
* quàm
* appulit
* cum
* &
* plurimi

Andreæ, caſtrum ut dicebatur à Guibelinis præmunitum obſidentes, & brevi in tempore capientes, copioſam in eo flammam accenderunt: quod Rex & Januenſes videntes ſuorum ſuccurſum, navigaverunt cum ingenti multitudine armatorum; quod perpendentes adverſarij eis obviam procedentes graviſſimè ſunt congreſſi, ita ut nox ſuperveniens eos ſepararet: cúmque invicem condictum eſſet ut craſtino mane ad locum reverterentur iterum ſicut agmina pugnaturi, illi qui dictum caſtrum acceperant, exeuntes mane in campum neminem inveniunt; alij autem fugientes timentes Sagoniam amittere, cum quibus potuerunt ... * ... tota nocte fugere non ceſſaverunt. Quod advertentes qui ad pugnam exierant, ad caſtra deſcendentes cibaria & reliquam ſupellectilem rapientes, quotquot ibidem invenerunt homines occiderunt. Poſt hæc verò Rex ad auxilium obſidentium Sagoniam miſit copioſam multitudinem armatorum; cujus Capitaneus dominus PETRUS de Geneſio dum pro quærendis victualibus à caſtris ſuorum per longum ſpatium elongatus * præhabitâ pugnâ graviſſimâ ſuis omnibus occiſis, finaliter ab adverſariis captus eſt.

*ſarcinis ſimul ſaccis

* fuiſſet

Capto FREDERICO Duce Auſtriæ & HENRICO fratre ejus in bello campeſtri per Ducem Bavariæ electum in Regem Romanorum, ut præmiſſum eſt, iterum Dux BELPODUS dicti Frederici frater, nitens fratrem de manibus Bavari eripere terras ejus multipliciter incurſat, ſed Bavaro ſibi viriliter reſiſtente, Regéque Bohemiæ auxilium ferente, deficit ab interim.*

* intento

Circa iſta tempora de flore lilij Pariſius ſtudij exierunt duo filij nequam genimina viperarum, ſcilicet Magiſter JOHANNES DE JANDUNO * natione Gallicus, & Magiſter MARSILIUS de Padua * natione Italicus, multa falſa & erronea mentientes contra Eccleſiam & ejus honorem, multos latratus peſtiferos emittentes Bavari contubernio ſociati, moventes & excitantes non debere eum timere ad verba frivola Papæ, quinimmo jura Imperij more prædeceſſorum ſuorum etiam

* Lauduno

* Menandrino Patavinus cujus *Defenſor pacis*, ſeu apologia pro Ludovico IV. Imp. Bavaro Edit. an. 1599

etiam contra Ecclesiam viriliter observare, quinimmo jura Ecclesiæ magis ex dignitate Imperij processisse quàm alibi *. * aliunde.

Circa ista tempora Papa JOHANNES circa Regulam Fratrum Minorum aliquas declarationes promulgavit. Nam cùm dicerent Fratres, ut aliqualiter dictum est, in quacumque re solum usum præcisè se habere, & dominium reservari Papæ; Papa ex isto dominio nihil omnino * utilitatis ratione acrescere Ecclesiæ, cùm apud Fratres remaneat usus facti, à se dominium tale tamquam sibi & Ecclesiæ ratione inutile abdicavit, procuratorem * ipsorum super dominium talis rei omnimodè revocavit, solum illarum rerum apud se retinens in rebus Fratrum spirituale, & directioni mandatum dominium, præter commune dominium quod habet universaliter in bonis totius Ecclesiæ, in domibus & in libris & rebus divino servitio deputatis. Et super his fecit Papa Constitutiones & Decretales quas Parisius & aliis solemnibus Studiis sub bulla transmisit, & sicut ceteras Decretales publicè legendas præcepit: decernens quòd in rebus usu consumptibilibus dominium non potest separari ab usu, nec è contra. Quæ res multos in dubitationes vehementer induxit quæstionis, * sine magno conscientiæ scrupulo & animarum periculo poterat talis viris observantiæ discretio ab ipsius Regulæ Professoribus cum tam gravi sarcina diutiùs supportari.

* utilitatis ratione videns.

* fictum vel procurationes.

* utrum sine.

Circa fere eadem tempora Bavarus audiens Papam sibi Imperialem benedictionem renuere, cùm tamen sibi de jure deberetur, ut dicebat; tamen quia majorem partem eligentium habebat pro se, se electum pacificè reputabat: unde ex hoc sibi dicebat quòd de jure & approbata de prædecessoribus suis consuetudine Imperij temporalia omnia competebat ministrare, feodos distribuere, homagia recipere, honores Imperij distribuere, & hoc prædecessores sui consimiliter electi fecerant, Papa super hoc nullatenus requisito: * ad Generale Concilium appellavit, & ap- * itaque.

pellationem suam in locis publicari fecit; asserens Papam esse hæreticum, maximè, ut dicebat, cùm ipse videretur niti ad subversionem Regulæ S. Francisci & Ordinis Fratrum Minorum, quæ à sanctis suis prædecessoribus fuit antea confirmata, & tantis ipsius Regulæ sanctis professoribus laudabiliter observata; ita ut non nisi dementiæ sit & erroris in fide Catholica & CHRISTI, velle contra Regulam tam sanctam vel Regulæ professores aliquid attentare, maximè cùm in ea præcipiatur observanda professio * totius Spiritualis vitæ, hujúsque Regulæ professores vitam * observant paupertatis Evangelicæ, quam CHRISTUS tenuit & tenendam Apostolis & Apostolicis viris, quales sunt hujus professores Regulæ, præcepit & docuit.

* perfectio

* viam.

Nullus *. MCCCXIX.

* *supple*, Imperator Occidentis.

Anno Domini millesimo trecentesimo decimo nono, Sabbato post Ascensionem Domini obiit vir illustris dominus LUDOVICUS Comes Ebroicensis, & sequente feria tertia præsente Rege Franciæ dicti defuncti Comitis nepote, multísque Proceribus, Episcopis & Abbatibus, GONCELINO tituli sanctorum Marcellini & Petri Presbytero Cardinali, qui de pace Flandrensi Parisius advenerat, Missam solemniter celebrante, juxta uxorem suam in Ecclesia Fratrum Prædicatorum Parisius est sepultus. Prædictus Cardinalis unà cum Trecense Episcopo pro Flamingorum pace reformanda in Francia directus, versùs Flandriam proficiscens, mandat Episcopo Tornacensi in cujus Episcopatu situatur, ut Flandrensibus adventum suum innotesceret & mandatum Apostolicum nuntiaret; qui timens in propria persona illuc *, duobus fratribus Minoribus dictum negotium commisit nuntiandum; quo nuntiato statim fuerunt de mandato Comitis captivati.

* proficisci

Hoc eodem tempore Comes Flandriæ convocato exercitu unà cum comitiva Gandavensi, timens In-

ſulenſes in & ſub manu regiâ exeuntes *, intendens debellare, voluit Liſe fluvium pertranſire; ſed Gandavenſes dicentes de treuga ſervanda cum Rege Franciæ juramentum feciſſe, noluerunt cum ipſo ulteriùs pertranſire, quinimmo Gandavenſes omiſſo præcepto Comitis ſunt reverſi: unde indignatus Comes eos ad magnam pecuniæ ſummam ſibi ſolvendam condemnavit: quam renuentes ſolvere, Comes paſſus & vias per quas erat tranſitus in Gandavum cuſtodiri ſollicitè faciens, quoſdam redimens, quoſdam carceribus mancipans, nonnullos occidens, eiſdem multimodas injurias irrogavit; è contra verò Gandavenſes potenter reſiſtentes ſe * & ſuos viriliter impugnabant. Circa idem tempus hoc obtinuit Cardinalis prædictus à Comite Flandriæ, ut ipſe cum filiis ſuis in terræ Papæ confinio ſecum ad colloquium accederet ſuper informatione pacis cum Rege, cum eodem & Regis nuntiis ſolemnibus ibidem ex parte Regis aſſiſtentibus tractaturus: unde & ibidem extitit concordatum, quòd Comes veniret Pariſius in media Quadrageſima facturus Regi homagium, & conventiones priùs habitas firmaturus; ad quem tamen diem nullatenus comparuit, more ſuo excuſationes frivolas per internuntios allegando.

* exiſtentes, & hos.

* ipſum.

Eodem anno Rex ROBERTUS ad Papam venit auxilium petiturus; Papa verò decem galeas armaverat in futurum ſubſidium paſſagij terræ ſanctæ, quas Rex impetrans quatuordecim de ſuis cum eis adjunctis miſit omnes ſimul ad auxilium Januenſium obſeſſorum; quarum adventum Guibelini extrinſeci præſcientes, ipſos prævenire cupientes, eidem civitati inſultum fortiſſimum intulerunt. Eodem anno PHILIPPUS Comitis Valeſij filius aſſumpto ſecum CAROLO fratre ſuo necnon multis de Regno Franciæ nobilibus, in Guelforum ſubſidium ad requeſtam Regis Roberti ex parte matris avunculi ſui contra Guibelinos Lombardiam ingreditur; ad civitatem Vercellenſem veniens, cujus partem Guibelini, alteram

Guelfi tenebant, à Guelfis cum gaudio recipitur, Guibelinos impugnans ut poterat; sed Guibelinis habentibus liberum introitum & exitum civitatis, parum vel nihil contra eos proficiebat: unde ob hoc cum suis super hôc inito consilio, egressus civitatem & obsidionem ponens retro, eos ita arctavit ut nec possent civitatem ingredi, nec eisdem victualia deportari; quo comperto Guibelini miserunt ad Capitaneum Mediolanensem ab eo auxilium postulantes. Rex Robertus Avinioni cum Papa residebat, ita eum circa sua negotia occupatum detinens, ut non solùm aliena sed etiam propria negotia Papa negligere videretur.

Eodem anno circa festum beati Johannis Baptistæ in Hispania accidit, fortè peccatis nostrorum exigentibus, quoddam grave infortunium Christianis. Vir enim nobilis & annorum probitate strenuus Regis Castellæ pueri tutor & avunculus nomine JOHANNES, cùm suâ & cujusdam avunculi sui probitate Sarracenos Regni Granatæ multoties impugnasset, jam parte dicti Regni Sarracenis profugatis per eum occupata, sperabatur per ipsius probitatem totum dictum Regnum in brevi posse subjici Christianis. Sed Deus, cujus voluntatis non est investiganda ratio, prædictum negotium immutavit; nam cùm quinquaginta millia tam equitum quàm peditum armatorum, stante secum avunculo suo prædicto Johanne contra quinque tantùm millia Sarracenorum congregasset, accidit ut ante congressionem exercituum ad invicem dictus Johannes decumbens lectulo moreretur: quo audito Christianorum exercitus in tantum mente prosternatus est, ut licèt parvum viderent de facili vincibilem adversariorum numerum, nihilominus tamen cujuscumque prece vel pretio illa die congredi noluerunt; unde dictus pueri Regis Castellæ tutor & avunculus tota die fervida per exercitum quasi totus extra se positus per exercitium & admonens de hostium aggressu, cùm se conspiceret nihil proficere, nimio calore suffocatus, necnon dolore

cordis attritus intrinsecus, expiravit, & tunc fugam totus Christianorum exercitus arripuit, & cùm à Sarracenis adversariis potuissent faciliter debellari, nullus tamen vice versa ausus fuit persequi fugientes; unde & quidam miles Sarracenus Regi Granatæ qui ad hoc præsens non fuit sic ait: Sciatis quòd nobis & Christianis offensus est Dominus; illis, quòd cùm tot essent ut de nobis possent faciliter triumphare, non permisit Deus; nobis etiam quia cùm eos fugientes ut inermes pueros capere & occidere potuissemus, tenens nos Dominus non permisit. Circa ista tempora in Alemannia inter LUDOVICUM Ducem Bavariæ & FREDERICUM Ducem Austriæ & fratres ejus LEOPOLDUM, HENRICUM, ODONEM & JOHANNEM occasione electionis inter duos Duces in discordia celebratæ, orta sunt multa & magna discrimina, terras suas rapinis & incendiis mutuò desolantes, quæ mortifera pestis in Alemannia, & præcipuè in terris prædictorum Ducum multas fecit viduas desolatas, terrásque desertas, multósque cives exules, & divites dimisit pauperes & inanes.

Nullus Imperator. MCCCXX.

Anno Domini millesimo trecentessimo vigesimo Comes Flandriæ venit Parisius cum Comite Nivernensi, & Procuratoribus Communiarum Flandriæ habentibus ab eisdem potestatem & mandatum cum Rege Franciæ pacem & concordiam unà cum Comite Flandriæ faciendi; & ad instantiam Cardinalis, qui specialiter propter Flandrenses à Papa in Franciam directus fuerat, fecit homagium Regi, & lætati sunt multi cùm firmiter crederent pacem esse firmandam. Veruntamen Comes ad diem assignatam pro de articulatione pacis in pacem noluit consentire, nisi sibi redderentur Bethuna, Insula & Duacum, quas ut dicebat, Rex solo pignore detinebat. Unde indignatus Rex remisit * in Ramensium publicum, quòd villarum illarum dominium de cetero non haberet, rogans fratrem suum Carolum Comitem Marchiæ, dominum etiam Carolum

*juravit per sacramentum, *aut aliud quid.*

avunculum suum Comitem Valesij, ceterósque Barones & præcipuè illos de Regia stirpe ibidem præsentes, quòd juramentum hujusmodi confirmarent, quod & ipsi unanimiter consenserunt. Comes verò recessit de Parisius hospite insalutato; Procuratores verò Communiarum de Parisius exeuntes post illum miserunt dicentes; Certi sumus quòd si ad illos qui miserunt nos pace infecta cum Rege redierimus, non remanebunt nobis capita quæ in capuciis nostris ponere valeamus, unde vobis constet nos numquam de Francia recessuros donec inter nos & Regem fuerit concordia confirmata. Comes verò hoc audiens, sciénsque quòd si sibi rebelles haberet Communias totum de facili posset amittere Comitatum, Parisius rediens in pacem proloculam consistit & juramento firmavit, qui necnon in sponsalia inter unam de filiabus Regis & filium Comitis Nivernensis consentit; ratione quorum Comiti Nivernensi redditus est Comitatus Nivernensis & Restellensis sub hac conditione, ut supra Nobiles & Religiosos, qui contra eum ad Curiam Franciæ appellaverant, appellatione durante, nullatenus exerceret.* Fuit verò post prædicta sponsalia inter prædictum Comitis filium & Regis filiam in die Magdalenæ solemniter celebratum *, licet Comes subterfugia quærens & frivola vellet dictum negotium dissipare; sed Cardinalis timens ne ad Papam rediens in vacuum laborasset, hoc exegit à Comite, ut quod promiserat adimpleret.

* dominium, *vel* potestatem.

* matrimonium.

Circa istud tempus cùm Henricus dictus Caperel natione Picardus Parisius in prisione Casteleti quemdam divitem homicidam & reum mortis detineret, ut dicitur, diésque immineret quo suspendi juxta sua facinora debuisset, alter pauper & innocens imposito sibi nomine divitis, loco divitis subrogatus patibulo affigitur, altero homicida sub nomine pauperis innocentis ire permisso; de quo scelere convictus, ut dicitur, multísque aliis criminibus, suæ nequitiæ pœnas luens super hoc à deputatis à Rege ad suspendium judicatur; licet tamen nonnulli velint asserere hoc eidem ex suo-

rum æmulorum invidia processisse. Eodem anno quædam impetuosa hominum commotio ad modum turbinis in Regno Franciæ subitò ex insperato erupit. Quædam enim Pastorum congeries & hominum simplicium usque ad magnum numerum se in unum cuneum congregavit, dicentes se ultra mare velle procedere & contra fidei inimicos velle pugnare, asserentes quòd per ipsos deberet acquiri terra sancta. Habebant autem in comitatu suo quasi duces fallaciæ compositores, unum scilicet Sacerdotem, qui propter sua maleficia fuerat sua Ecclesia spoliatus, alium verò Monachum Apostatam ex Ordine Sancti Benedicti. Hi duo ita istos simplices dementaverant, ut congregati post ipsos currentes, etiam pueri XVI. annorum invitis parentibus, cum solis pera & baculo sine pecunia, dimissis in campis porcis & pecoribus, post ipsos quasi pecora confluebant in tantum, ut fieret hominum maxima multitudo. Utebantur autem voluntate & potestate potiùs quàm ratione & æquitate; unde si quis judiciaria potestate eorum aliquem vel aliquos vellet secundùm malitiam suam punire, ipsi potenter resistebant, necnon si detenti carceribus essent, infringentes carceres eos invitis dominis de carceribus extrahebant; unde Parisiensem Castelletum intrantes propter quorumdam suorum liberationem ibidem detentorum, Parisiensem Præpositum reniti volentem per Castelleti gradus gravissimè præcipitantes colliserunt, & quos detinebat in carcere de suis vellet nollet carceribus fractis extraxerunt. Unde & in prato Sancti Germani, quod dicitur Pratum Clericorum, se quasi defensuri ad prælium paraverunt, nullus tamen contra eos exivit; quinimmo liberi permissi sunt de Parisius exire; unde & ex hoc versùs Aquitaniam properantes, nullam ex quo Parisius immunes & liberi abscesserant resistentiam se de cetero invenire sperantes, ex hoc jam animosiores effecti, passim omnes Judæos quotquot invenire poterant obsidebant, & bonis propriis spoliabant. Unde & quamdam turrim Regis Franciæ fortem & altam, ad

quam Judæi propter ipſorum metum undique confugerant, obſederunt; è contra infra turrim exeuntes*, projectis innumerabilibus lignis & lapidibus loco eorum, propriis * projectis pueris ſe viriliter & inhumaniter defenſabant; ſed nihilominus obſidio non ceſſavit, nam Paſtorelli ad portam turris ignem applicantes, interclusos Judæos fumo & igne graviter afflixerunt. Videntes autem dicti Judæi quòd evadere non valebant, malentes ſe occidere quàm ab incircumciſis occidi, locaverunt unum de ſuis qui eorum fortior videbatur, ut eos gladio jugularet, qui eis aſſentiens quaſi quingentos protinus interfecit: deſcendens verò de turri cum paucis viventibus * reſervatis Judæorum pueris, impetrato cum eis colloquio, paſtorellis quod fecerat numtiavit, petens cum pueris baptizari: cui paſtotelli; Tu in gente tua tantum flagitium perpetraſti, & vis ita ſubterfugere pœnas mortis? quem ſtatim membratim diſcerpentes occiderunt, parcentes pueris quos fecerunt à Catholicis & fidelibus baptizari. Inde verò juxta Carcaſſonam pro facto ſimili procedentes, multa in via facinora committebant; unde & Cuſtos patriæ ex parte Regis Franciæ præconiſari fecit in villis in dictis paſtorellorum itinere conſtitutis, ut eis ſe opponerent, & Judæos ut Regis homines defenſarent; quod tamen multi Chriſtianorum gaudentes de interitu Judæorum facere recuſabant, dicentes æquum non eſſe quòd infideles Judæos & Chriſtianæ fidei hactenus inimicos contra fideles & Catholicos defenſarent. Quod animadvertens Cuſtos patriæ, ſub pœna capitis præcepit ne quis ſaltem favorem aliquem impenderet Paſtorellis. Unde & copioſo contra eos congregato exercitu, aliquibus occiſis, aliquibus diverſis vinculis mancipatis, aliis ſe præſidio fugæ tuentibus, quaſi ferè ad nihilum in brevi tempore ſunt redacti: unde & procedens dictus cuſtos verſus Tholoſam & loca circum adjacentia, ubi plurima commiſerant flagitia, illic viginti, illic triginta ſecundùm plus & minus ſuſpendens in patibulis & arboribus, poſteris immutabile reliquit judicium, ut ad talia com-

* exiſtentes

* propriis que

* &

committenda flagitia non de cetero facilè animum declinarent. Et ſicut fumus ſubitò evanuit tota illa commotio indiſcreta; quia quod in principio non valuit, vix in proceſſu temporis convaleſcit.

Matthæus Mediolanenſis Capitaneus comperta Vercellenſium Guibellinorum urgente neceſſitate victualium, propter obſidionem civitatis per dominum PHILIPPUM Comitis Valeſij filium & plures Franciæ Nobiles, Lombardis Guelphis eis auxiliantibus, factam; pro ferendo Guibelinis obſeſſis auxilio GALEATIUM filium ſuum eis miſit, cujus adventum dominus Philippus audiens per internuntios, quæſivit ſi cum ipſo confligere intendebat? qui reſpondit ſuæ intentionis non eſſe cum aliquo de domo Franciæ pugnare, ſed tantùm defendere terras ſuas, & amicis ſuccurrere in prælio conſtitutis: cui Philippus iterum remandavit, quòd ſi Vercellenſibus intendebat victualia deportare*, quomodo poſſet reſiſtere, & eum reſilire faceret ab intento. Sperabat enim firmiter ſe proximorum Guelphorum copioſum bellatorum auxilium accepturum. Cui Galeatius ſic dicitur reſpondiſſe: Victualia incluſis deferam, & ſi quis me impugnaverit, me defendam, quia juſtè non poſſum ab aliquo de hoc reprehendi. Tunc Philippus ſupponens quòd eum confligere oporteret, dimiſſa obſeſſione, retroceſſit per unum milliare, locum ad pugnam congruum electurus, & in quadam planicie prope viam quâ tranſiturus erat Galeatius exercitum congregavit ſeu collocavit. Ad quem locum veniens Galeatius, præmiſit centum quatuor Theutonicos cum equis & dextrariis ad pugnam congruentiſſimè præparatos, quos ſequebatur copia victualium, quam quaſi ſecundo ordine ſequebantur ſtipendiarij quaſi numero infiniti ad victualium cuſtodiam deputati, quos ordine tertio ſequebatur Galeatius cum maxima militia Lombardorum; ita quòd tam primi, quàm ſecundi, quàm tertij exercitum Philippi fere in decuplo excedebant. Et cùm jam primi ejus exercitum

* intendebat ipſe quomodo meliùs.

præteriſſent, nec adhuc unum tantùm de Guelphis haberet, quos ſibi firmiter ſperabat ſuccurſum & auxilium impenſuros, timens ne incluſus ab hoſtibus periculum pateretur, petivit quòd Galeatius datis treugis ſecum ad amicabile colloquium conveniret; qui ſponte & gratanter veniens, ſecretè diu mutuò ſunt locuti, quorum locutio licet ignoretur, expreſſè tamen qui vel qualis fuit effectus ſequens luculentiſſimè demonſtravit. Ambo enim Principes cum utroque exercitu ſine pugna ſimul ingreſſi ſunt civitatem, in qua cùm Philippus per dies aliquos conveniſſet, accepto ſecuro conductu uſque extra hoſtium terminos à Galeatio, maximè cùm ſibi & ſuo exercitui ſtipendia pro victualibus deficerent, licet dolens tamen * conſilio cum ſuo exercitu in Franciam ingloriosus eſt reverſus. Rex ROBERTUS Avinioni reſidebat cum Papa, licet Guelphi & Januenſes magnis periculis ſubjacerent.

* habito.

Eodem anno fuit impoſitum Comiti Nivernenſi quòd patrem ſuum Comitem Flandriæ veneno moliretur extinguere; FERRICUS enim de Picqueniaco moleſtè ferens quòd ſine ipſo & domino de Ranty ipſe eſſet Regi Franciæ fœderatus, adduxit ad patrem quemdam garcionem cum lacrymis veniam poſtulantem ſuper malo propoſito quod ipſe conceperat contra ipſum, paraverat enim, ut dicebat, venenum ſibi dare; cúmque pater quæreret quare facere voluiſſet, reſpondit, filius veſter Nivernenſis Comes mihi præceperat fratri Galthero per omnia obedire, erat autem frater iſte Galtherus de ordine Heremitarum ſancti Guillermi, quem dictus Comes quaſi in ſuam Curiam retinebat. Quod pater audiens turbatus eſt, & de voluntate ſua & filij ſui ROBERTI, prædicti Milites, ſcilicet Ferricus de Picqueniaco, dominus de Frennes, & dominus de Rethel domino Nivernenſi Comiti ponentes inſidias, captum ad ſua fortalitia in imperio deduxerunt. Dictus autem frater licet captus & plurimis tormentis expoſitus nihil penitus recogno-

vit, & ſic crimen impoſitum improbatum remanſit. Necdum tamen propter hoc Nivernenſis Comes de carcere liberatur, & licèt ſuper hoc Comes à Rege ſolemnes litteras habuiſſet, detentores noluerunt aſſentire niſi eis ſuam priſionem remitteret, data cautione idonea, quòd nec per ſe nec per alium inferret eis inpoſterum aliquod detrimentum; hac tamen conditione appoſita, ut quamdiu pater viveret Comitatum Flandriæ non intraret; hoc malitioſè contra ipſum agentes ut patre mortuo Robertus alter Comitis filius in poſſeſſione ſe poneret Comitatus. Qui Nivernenſis Comes licèt diu ſuper hoc aſſentire noluerit & diſtulerit, videns quòd aliter liberari non potuit*. . . . . ad aſſenſum in hoc carceris vix egit.

* poſſet, præbuit aſſenſum, & ſic è carcere vix exivit.

Nullus Imperator. MCCCXXI.

Anno Domini milleſimo trecenteſimo vigeſimo primo Rex Franciæ terram ſuam, unde concedente eam ſibi patre jure hereditario Comes fuerat Pictavienſis ſcilicet ſollicitè viſitabat, & diutiùs, ut dicebatur, ibidem commorari diſpoſuerat; cùm quaſi circa feſtum ſancti Johannis Baptiſtæ rumor publicus apud eum & apud omnes inſonuit, quòd in tota Aquitania fontes & putei erant vel ſtatim eſſent veneno infecti per leproſos, propter quod crimen confitentes multi leproſi in ſuperioribus partibus Aquitaniæ jam morti adjudicati fuerant & combuſti, intendentes, ut ad ignem applicati confitebantur, per venena ubique diffuſa hoc contra Chriſtianos efficere, ut omnes morerentur, vel ſaltem ſicut & ipſi leproſi efficerentur, intendentes per totam Franciam & Germaniam iſtud tantum maleficium dilatare. Unde & ad horum rumorum confirmationem majorem dicitur dominum de Pernayo circa iſtud tempus Regi ſcripſiſſe ſub ſigillo ſuo confeſſionem cujuſdam magni leproſi in terra ſua capti; qui, ut dicitur, recognovit, quòd quidam Judæus dives induxerat eum ad hæc

maleficia facienda, & sibi tradiderat potiones, & datis sibi decem libris promisit sibi quòd ad ceteros corrumpendos leprosos sibi copiosam pecuniam ministraret. Et cùm ab eo recepta * talium potionum quæreretur, respondit quòd fiebant de sanguine humano & urina, de tribus herbis quæ nescivit aut noluit nominare. Ponebatur etiam in eis, ut dicebat, Corpus Christi, & cùm essent omnia dissicata usque ad pulverem terebantur, quæ missa in sacculis ligata cum aliquo ponderoso, ab ipsis in puteis & in fontibus jactabantur. Aliàs verò in villa nostra & nobis subjecta in Pictavia oculis conspeximus potiones à leprosa quadam faciente per villam transitum, quæ timens capi projecit post se panniculum ligatum, qui delatus ad justitiam statim fuit, & inventum est in panno caput colubri, pedes bufonis & capilli quasi mulieris infecti quodam liquore nigerrimo & fœtido, itaut horribile esset non solùm sentire, sed etiam videre: quod totum in ignem copiosum propter hoc accensum projectum, nullomodo comburi potuit, habito manifesto experimento & hoc itidem esse venenum fortissimum. His & hujusmodi Regis auribus insonantibus, Rex concito gradu in Franciam repedavit, mandans ubique per Regnum ut omnes leprosi incarcerarentur, usquequo de ipsis deliberatum esset quid justitia suaderet.

Gallicè * *recepte.*

Unde * talis tenor habuit, unde multi multa dixerunt: verior tamen ut communiter dicitur, modus est dicendi qui sequitur. Rex Granatæ dolens se sæpiùs per Christianos superatum & maximè per avunculum Regis Castellæ, de quo supra meminimus, nec potens se ad libitum vindicare; quod vi armatorum non potuit, excogitatâ perficere nequitiâ machinavit *. Unde & cum Judæis dicitur colloquium habuisse si per eos posset aliquod maleficium fieri unde Christianitas deleretur, qui promisit eis infinitam pecuniam se daturum; qui de maleficio pollicentes, dixerunt quòd per ipsos executio maleficij nullatenus

* de his talis rumor invaluit.

* machinatus est.

possset ad effectum perduci, erant enim ut, dicebant, Christianis suspecti, sed per leprosos, qui continuè cum Christianis conversantur, projectis in fontibus & puteis Christianorum per eos venenis & potionibus, dicebant hoc maleficium posse congruentissimè procurari. Unde & Judæi quosdam leprosorum majores ad consilium convocantes, ita ad ipsorum falsam suggestionem interveniente diabolo sunt delusi, ut abnegata primitus fide Catholica, & in dictis pestiferis potionibus, quod terribile est audire, Corpore CHRISTI cribrato & apposito, sicut plurimi postea sunt confessi leprosi, in dictum perpetrandum maleficium consenserunt. Dicti igitur leprosi Majores ex omni parte Christianitatis convocati quatuor Concilia quasi generalia collegerunt, nec fuit, exceptis duabus de Anglia leprosabus, ut aliqui postea sunt confessi, aliqua leprosaria nobilis, in * qua dictorum quatuor Conciliorum non aliquis interesset leprosus, qui quod in dictis Conciliis fieret ceteris nuntiaret. Fuit igitur in dictis leprosorum Conciliis per eorum Majores ceteris propositum suadente diabolo per ministerium Judæorum, quòd cùm ipsi leprosi essent apud Christianos vilissimæ & abjectæ personæ nec ab ipsis reputatæ, bonum esset aliquod tale committere ut Christiani omnes morerentur, vel omnes uniformiter leprosi efficerentur, & sic cùm omnes essent uniformes nullus ab alio despiceretur; quod consilium licet pestiferum omnibus placuit, & quilibet cuilibet in sua provincia nuntiavit. Unde multi secundùm falsas eis promissiones factas, Regnorum, Comitatuum ceterorúmque bonorum temporalium * seducti, inter seipsos nunciabant, & ita esse futurum se firmiter æstimabant: unde circa festum beati Johannis Baptistæ combustus fuit hoc anno unus in civitate Turonensi, qui se AbbatemMajoris Monasterij nominabat. Unde & per totum Regnum Franciæ hoc flagitium per leprosos ad Judæorum instantiam quasi venenum mortiferum diffundebat, & ampliùs diffu-

f. * ex qua in dictis quatuor Conciliis.

* spe.

dissset, nisi ita citò Dominus eorum perfidiam detexis-set. Unde & super dictos leprosos edictum Regis processit, quòd culpabiles igni traderentur, alij in leprosariis perpetuò clauderentur, & si aliqua leprosa culpabilis esset prægnans, usque ad partum servata, incendio traderetur. Judæi verò in aliquibus partibus sine differentia sunt combusti, & maximè in Aquitania. Unde & in Baillivia Turonensi in quodam castro Regis, quod dicitur Chinon, una die facta quadam fovea permaxima, igne copioso in eam injecto octies viginti sexus promiscui sunt combusti; unde & multi illorum & illarum cantantes, quasique invitati ad nuptias, in dictam foveam saliebant, multæ verò mulieres viduæ fecerunt filios proprios in ignem projicere, ne ad baptismum à Christianis & nobilibus ibidem assistentibus raperentur. Parisius verò solùm inventi culpabiles sunt combusti, alij verò perpetuo exilio condemnati, aliqui verò ditiores reservati usquequo eorum divitiæ scirentur & fisco Regio applicarentur unà cum omnibus bonis suis, centum videlicet quinquaginta millibus *, quas Rex ab ipsis dicitur habuisse.

* libris *aut quid aliud*

Eodem tempore fertur apud Vitriacum talis casus accidisse. Cùm quasi quadraginta Judæj propter causam prædictam in Regis carcere haberentur, & jam se morti proximos æstimarent, ne in manus incircumcisorum inciderent, cœperunt tractare invicem ut unus eorum omnes alios jugularet, & fuit omnium consensus unanimis & voluntas, ut per manus unius antiqui omnes morti traderentur qui ab eis inter ceteros sanctior & melior videbatur, unde & ob ejus bonitatem & antiquitatem pater ab aliis vocabatur; qui noluit acquiescere nisi ad hoc opus pietatis exequendum aliquis solùm juvenis secum adderetur, quod omnes annuentes, omnes nullo excepto ambo pariter occiderunt: cúmque ambo se solos conspicerent & quis eorum alterum occideret inter eos quæstio verteretur, juvene volente à sene occidi & è contra sene à juvene; tandem prævaluit verbum senis, & ut occideretur à juvene suis

precibus impetravit. Cúmque ſene occiſo & ceteris omnibus, juvenis ſe conſpiceret ſolum, accepto auro & argento quod circa mortuos reperire potuit, facto funiculo de panniculis ſe de turri inferiùs deponere cogitavit; ſed cùm funis eſſet brevior quàm deberet, dimittens ſe deorſum cadere, tibiam ſibi fregit auri & argenti præ maximo pondere gravatus; qui ad juſtitiam adductus prædictum flagitium commiſſum recognovit, & ad ignominioſæ mortis cum ceteris mortuis pœnam applicatus.* * eſt

Circa iſta tempora incœpit Rex ordinare ut in toto Regno ſuo non eſſet niſi unica menſura vini & bladi & omnium vendibilium & emptibilium, ſed præventus infirmitate quod incœperat opus non implevit. Propoſuit etiam idem Rex ut in toto Regno omnes monetæ ad unicam redigerentur; & quoniam tantum negotium ſine magnis ſumptibus impleri non poterat, falſo, ut dicitur, detentus conſilio, propoſuerat ab omnibus Regni ſui quintam partem bonorum ſuorum extorquere; unde & propter hoc ad diverſas partes ſolemnes nuncios mittens*, * Prælatis & Principibus quibus ab antiquo competit jus diverſas monetas ſecundùm diverſitates locorum ſuorum & hominum exigentiam faciendi, unà cum Communitatibus bonarum villarum Regni diſſentientibus, infecto negotio ad dominum ſunt reverſi. * miſit * qui Eodem anno circa principium Auguſti Regem duplex arripuit ægritudo, dyſenteria & quartana, quæ numquam potuerunt quorumcumque medicorum auxilio curari, ſed per quinque menſes continuè jacuit in languore. Dubitant autem nonnulli propter maledictiones populi ſub ejus regimine conſtituti propter comminatas exactiones & extortiones hactenus inauditas in dictam ægritudinem incidiſſe; nihilominùs tamen durante tempore ægritudinis fuit dictæ extortionis negotium ſuſpenſum, licèt non totaliter prætermiſſum. Interim verò convaleſcente ægritudine Abbas & Conventus beati Dionyſij pro ipſius recuperanda ſanitate, nudis pedibus, unà cum cruce & clavo Domini, nec-

non & brachio S. Symeonis usque ad locum in quo ægrotabat, qui dicitur Longus-campus, cum processione devotè & humiliter accesserunt: qui Reliquias Sacro-sanctas humiliter & devotè suscipiens, protinus eis tactis & osculatis sensit se notabiliter meliùs habuisse, unde & publicè ferebatur Regem curatum esse. Sed quia antiquatæ & radicatæ ægritudines nisi cautè ducantur, faciliter revertuntur, Rex minùs prudenter sibi ipsi præcavens in prædictam ægritudinem reincidit; unde & fertur postea dixisse, scio me meritis & precibus beati Dionysij curatum fuisse, & malo meo regimine iterum in eamdem ægritudinem incidisse. Unde tertia die sequentis Januarij, priùs tamen devotè susceptis cunctis Ecclesiasticis Sacramentis, circa mediam noctem migravit ad CHRISTUM, & die Epiphaniæ sequenti in Monasterio beati Dionysij juxta magnum altare venerabiliter est sepultus. Cui sine cujuscumque controversia vel contradictione successit in Regno Comes Marchiæ CAROLUS frater ejus.

Satis citò pòst obiit MARIA quondam Regina Franciæ orta de Brabanto, & quondam Ducis filia, uxor PHILIPPI Regis Franciæ filij Sancti Ludovici qui obiit in Arragonia, ex qua genuit filium LUDOVICUM Comitem Ebroïcensem: cujus Reginæ corpus apud Fratres Minores Parisius est sepultum, cor veró apud Prædicatores. Defuncto igitur PHILIPPO Rege, CAROLUS frater suus Regnum sortitus est. Ad cujus aures delatum est quòd matrimonium inter ipsum & BLANCHAM filiam Comitissæ Attrebatensis propter adulterium ab ipsa confessum & commissum in castri Gaillardi carcere detentam, jamdiu celebratum, ratione cognationis spiritualis inter ipsum Regem & matrem dictæ Blanchæ, cùm ipsam Blancham levasset de Sacro fonte, erat nullum, præcipuè cùm super hoc non fuisset per summum Pontificem dispensatum. Quam occasionem, ut dicitur, libenter amplectens, scripsit Papæ ut super hoc provideret de remedio competenti: quod audiens Papa commisit Episcopis Parisiensi & Belvacensi

censi & domino Gaufrido de Plesseiaco protonotario Curiæ Romanæ, ut super hoc diligenter inquirerent, & quod inveniretur iterum Curiæ Romanæ nunciarent.

CAROLUS.

Nullus Imperator. MCCCXXII.

Anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo secundo in Vigilia Ascensionis, Papa sufficienter informatus quòd dicta Comitissa Attrebatensis dictæ Blanchæ mater de sacro fonte levaverat dictum Regem, quare fuit spiritualis cognatio contracta inter Regem & dictæ spiritualis matris prolem, cum qua sine dispensatione matrimonialiter copulari non poterat: & quia copulatus fuit dispensatione prætermissa, Papa in publico consistorio sententiavit illud matrimonium nullum esse. Eodem anno circa festum Purificationis Comes Nivernensis de carcere liberatur; sed satis citò pòst Parisius veniens diuturno languore vexatus ibidem moritur, & apud Fratres Minores Parisius est sepultus. Hoc eodem anno Rex uxore carens, ne tam nobile Regnum successione careret, accepit Mariam filiam Henrici quondam Imperatoris & quondam Comitis de Lucemburg, & sororem Regis Boemiæ virginem gratiosam in festo beati Matthæi Apostoli in primo * castro Regio. *f. Pruvino.

Comes Flandriæ moritur, & Ludovicus primogenitus Comitis Nivernensis habens uxorem filiam Regis defuncti, non obstante quòd Robertus defuncti Comitis secundogenitus aliqua castra & fortalitia Flandriæ sustentatus in hoc à Comite de Naymuco, contra id quod Rex ei matrimonio filiæ suæ promiserat, occupasset, de voluntate Communiarum Flandriæ, quæ se nullum alterum in Comitem recepturas juraverant, in Comitem Flandriæ sublimatur; quinimmo Regi significaverunt, ut si alium aliquem præter dominum Ludovicum ad homagia admitteret

Comitatus Flandriæ, ipsi villarum suarum sine Comite regimen exercerent: & sic non obstantibus quibuscumque contradicentibus, ipse ad Regis homagium & ad Comitatus dominium pacificè est receptus.

Circa ista tempora in Anglia inter Regem Angliæ & plurimos Baronum, quorum capitaneus & principalis erat Comes de Lenclastre, vir præpotens in Anglia & nobilis multùm, utpote avunculus Regis Franciæ ex parte matris, & germanus Regis Angliæ ex parte patris, orta est gravis dissensio; nam cùm Rex aliquas novitates indebitas & contra bonum commune totius Angliæ vellet in Regnum introducere, quas sine ipsorum consensu facere non poterat, ut dicebant, & maximè quia ipsum idiotam & ineptum ad Regni regimen referebant, contra ipsum rebellionis materiam acceperunt: unde aliis partem Regis foventibus, aliis partem Baronum, in tota Anglia turbatio maxima est secuta. Accidit autem ut Miles quidam de Anglia nomine ANDREAS de Karle Regi Angliæ placere desiderans, in villa de Bourbrique Comiti de Lenclastre ponens insidias proditoriè cepit eum, & occiso Comite de Harrefort super pontem, ipsum Comitem de Lenclastre cum multis Baronibus nobilibus Angliæ ad Regem captum adduxit. Quem post auditam Missam, & Confessionem devotè ut moris est, ut dicunt in Anglia, Sacerdoti factam, Corpore Dominico assumpto, omnes parirer Rex tamquam conspiratores in Regem, & domini sui proditores abjudicavit; ceteris omnibus ad diversas partes missis diversa passuris supplicia, dictum ibidem Comitem decollari præcepit: corpus verò Comitis in quadam Abbatia prope locum in quo decollatum fuit sepultum est, ubi ut multi asserunt, Dominus per eum & propter eum super infirmos multa hodie miracula operatur. Rex verò Angliæ in recompensationem beneficij accepti dicto Andreæ de Karle, qui dictum Comitem & ceteros acceperat, dedit Comitatum

Karleoli, in quo eſt civitas & plura fortia caſtra. Sæpedictus Andreas Miles decollato Comite de Lenclaſtre apud ſe cogitans non eſſe tutum in Anglia diutiùs commorari, per Scotos ſe poſſe tueri apud ſe cogitavit, & cum ROBERTO de Brus, qui pro Rege Scotiæ ſe gerebat, confœderatus, totum ſibi datum Comitatum, & ſororem dicti Roberti promiſit ſe accipere in uxorem; hoc tamen totum factum eſt Rege Angliæ neſciente.

Iſto anno Rex Angliæ magno congregato exercitu Scotiam intravit, & omnia vaſtans uſque ad caſtrum Pendebonum, quod dicitur caſtrum Puellarum, ultra procedere non potuit, quia exercitus victualia non habebat. Rediit igitur uſque ad montem qui dicitur Blancha-mora, in cujus pede eſt Abbatia ad quam major pars exercitus declinavit, Rex verò tetendit tentoria ſua extra aliquantulum à remotis, Regina etiam prope eum erat, quæ dominum ſequebatur: Rex verò licentiavit exercitum; nam cùm Scoti per quadraginta octo milliaria à loco ubi Rex erat diſtarent, ſuſpicari non poterat quidquam mali; dominus tamen * JOHANNES de Britannia Comes Richemondiæ & dominus de Sulliaco, quem Rex Franciæ ad Regem Angliæ nuntium tranſmiſerat, cum bona comitiva in Abbatia reſidebant. Et* ecce dictus Miles Andreas de Karle Anglicus ſignificavit Scotis ut venirent, quia Regem Angliæ invenirent exercitu denudatum: qui quaſi effrenati per ſilvas currentes, uſque prope Abbatiam prædictam venerunt, una die & una nocte XLVIII. milliaria peragentes, ubi Comes prædictus Richemondiæ & dominus de Sulliaco comedebant: qui vix adventum Scotorum nunciantibus credere volentes ſumptis armis quemdam ſtrictum paſſum, per quem erat aditus Scotorum, obſtruere cupientes, licet ibidem plures Scotos occiderent, tamen non valentes reſiſtere multitudini, Scotis ſe finaliter reddiderunt. Quod audiens Rex, vix cum paucis ſe ſalvavit; Regina verò ad quoddam caſtrum fortiſſi-

* etiam.

* Cùm ecce

mum cui mare adjacet, ſitum in quadam rupe, per quod ad Scotos eſt tranſitus Flammingorum. Timens Regina ne à Scotis, & fortaſſis etiam à Flammingorum auxilio ſi ibidem diutiùs ſtaret ſibi obſidio pararetur, maluit ſe maris periculis exponere, quàm in manus inimicorum ſuorum ſe ponere; unde intrans mare ipſa & qui cum ipſa erant, graviſſima & quaſi intolerabilia mala perpeſſi ſunt, unde & una de ſibi ancillantibus mulieribus expiravit, & altera peperit ante tempus, ipſa tamen adjuvante Deo ad Securam locum Angliæ poſt multas anguſtias applicavit. Rex verò Angliæ poſitis undique inſidiis Andream de Karle capi fecit, & captum ad mortem terribilem adjudicavit. Trahitur enim primitus ad caudas duorum equorum; quo ſic tracto & non mortuo, eum exenterari fecit, & exenterata viſcera ante proprios oculos comburi, poſtea caput amputari & truncum per ſpatulas ſuſpendi; deinde per quatuor partes dividi, & diviſum ad quatuor civitates mitti, ut hoc horibile mortis judicium fieret de cetero ceteris ad exemplum. Robertus de Brus ſe pro Rege Scotiæ gerens, ad mandatum Regis Franciæ, qui ſicut nuntius miſſus eſt ad Regem Angliæ tunc in Scotia exiſtentem; dominum de Suilliaco ſine quacumque redemptione in ſequenti Quadrageſima liberè Regis Franciæ tradidit voluntati, Comite Richemundiæ apud ſe retento, quem pactione quacumque noluit liberare.

Ludovicus filius Ludovici Comitis Nivernenſis nuper defuncti Pariſius de Flandria veniens, qui * ſine conſenſu Regis homagia receperat apud Luparam arreſtatur; ſed data cautione poſt modicum relaxatur. Cùm igitur inter ipſum & amitam * ſuam quæſtio videretur *, quis avo in Comitatu Flandriæ deberet ſuccedere; conſideratis pactionibus per juramenta firmatis, inter partes judicatum eſt pro dicto juvene Ludovico, & aliis ſuper his de cetero ſilentium impoſitum, & ſic ad homagium receptus poſſedit pacificè Comitatum. Carolus Rex novus contra bonum

* quia

* avunculum ſuum

* verteretur

commune patris sui sequens vestigia, qui suo tempore monetas mutaverat, hoc anno quorumdam seductus puer suorum consilio debilem monetam poni instituit; unde in populo postea damna innumerabilia sunt secuta. In Alemannia Duces in controversia electi, cum suis complicibus, rapinis & incendiis atrociter secum pugnant.

Nullus Imperator. MCCCXXIII.

Hoc eodem anno JORDANUS dictus DE INSULA inter Vascones nobilis valde genere, sed ignobilis actione, cùm fama publica referente in multis criminibus coram Rege accusatus esset, nec se de ipsis legitimè purgare posset ratione nobilitatis & generis; nihilominùs Papa JOHANNES eidem neptem suam contulit in uxorem, ad cujus Papæ preces Rex eidem Jordano XVIII. casus de quibus accusatus erat in Curia Franciæ, & de quorum quolibet secundùm consuetudinem Franciæ dignus erat morte, misericorditer condonavit. Qui dicti beneficij immemor ad nominatum malum malis * accumulans, utpote virgines opprimens, homicidia perpetrans, malos & homicidas nutriens, prædones diligens, Regi rebellans; unde & in quemdam servientem Regis in baculo suo ut moris est Regis servientibus, Regis insignia deferentem, proprio baculo interfecit. His auditis Parisius ad judicium advocatur; qui multa Comitum & nobilium Baronum Aquitaniæ nobili turba circumdatus Parisius veniens, stantibus ex opposito sibi Marchione de Aguonitano quondam Domini Papæ CLEMENTIS defuncti nepote, & domino de Lebret *, multísque aliis: super sibi impositis criminibus auditis ejus allegationibus & responsionibus, priùs in Castelleti carcerem repositus dignus morte per Magistros Palatij finaliter condemnatur, & in vigilia Trinitatis ad caudas equorum tractus, in communi Parisius patibulo suis exigentibus meritis est suspensus. In subsequenti festo Pentecostes Regina MARIA uxor CAROLI Regis soror Regis Boëmiæ, ipso & avuncu-

* mala

* d'Albret

lo ipsius Trevirensi Episcopo præsentibus, multísque Francorum nobilibus, Missam celebrante & ipsam jnungente Senonensi Archiepiepiscopo, in Capella Regis Parisius coronatur. Eodem anno frater THOMAS de Aquino Ordinis Prædicatorum, natione Italicus, vir secundùm sæculi dignitatem nobilis, ut pote frater Comitis de Aquino, sed nobilior sanctitate, in Theologia Doctor excellentissimus, cujus doctrina fulget Ecclesia universalis ut Sole & Luna, de consensu fratrum diligenti examinatione præhabita de vita, moribus, doctrina, per Summum Pontificem canonizatur, & de cetero Sanctorum catalogo decernitur describendus.

In diœcesi Senonensi in quodam castro Regis Franciæ, quod dicitur Castrum Landonis, Gallicè *Chasteau Landon*, quidam maleficus & sortilegiator cuidam Abbati de Ordine Cisterciensi promiserat magnam pecuniæ summam ab ipso perditam facere restitui, nec non fures pecuniarum & factores * earumdem sibi facere nominari. Modus autem per quem venire voluit & credidit dictus sortilegiator obtinere intentum *; catum enim sumens nigrum & in quadam cista sive scrinio includens, cibum confectum de pane madefacto in chrismate, oleo sancto & aqua benedicta quod sibi ad triduanum victum posset sufficere cum ipso in dicta cista reponens, dictum catum in cista repositum in quodam quadruvio plublico sub terra defossum inferiùs per triduum reposuit, eumdem post triduum ad se iterum accepturum, proviso tamen dicto cato de duabus fistulis concavis quæ à scrinio usque ad terræ superficiem protendebant *, per quem * posset aerem aspirare & iterum respirare. Contigit autem quòd pastores per dictum quadruvium cum canibus more solito pertransirent; sed canes odorem cati sentientes, scilicet ac si talpas sentirent, cum unguibus scalpentes & terram fortiter effodientes à loco illo nullo modo evelli poterant: quod quidam ceteris sapientior Justitiæ nunciavit *, qui illuc cum plurimis veniens, rem ut gesta erat reperiens, ipsum & omnes alios in vehementem

* fautores eorum
* hic est
* protendebantur
* quas
* præposito

admirationem impendit. Sed cùm Judex apud ſe anxiùs cogitaret quomodò actorem tam horrendi maleficij inveniret, ſciebat enim quòd hoc propter aliquod maleficium inventum erat, ſed ad quod vel à quo penitus ignorabat; unde cùm apud ſe cogitans revolveret, & ciſtam de novo fabricatam agnoſceret, vocavit omnes carpentarios: cúmque quis artifex eſſet inquireret, unus in medio procedens confeſſus eſt eam feciſſe, ſed cuidam qui ſe Johannem Præpoſiti nominabat vendidiſſe, neſciens ad quos uſus ipſam intenderet applicare. Qui propter ſuſpicionem captus & ad quæſtiones applicatus omnia confitetur; primò accuſans quemdam qui dicebatur Johannes de Perſant hujus maleficij principalem adinventorem & magiſtrum illius artis, complices verò illius maleficij accuſavit quemdam Ciſtercienſem Monachum apoſtatam & hujus de Perſant ſpecialem diſcipulum, & Abbatem Sarcuncellis Ciſtercienſis Ordinis, & quoſdam Canonicos Regulares: qui omnes capiuntur, & coram Officiali Archiepiſcopi & aliis Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis vincti Pariſius adducuntur. Cúmque ab illis qui in hoc maleficio credebantur quæreretur de modo hujus maleficij operandi, dixerunt quòd ſi per * triduum extractum de ciſta excoriaſſent, & de corio ipſius corrigias feciſſent quas tantùm pertraxiſſent, ut colligatæ poſſentunum circulum tantum facere ut homo aliquis poſſet in medio circuli ambitus ſtare ſpatio, quo ſic facto invocans * dicti circuli ſe ponens, priùs tamen in poſterioribus ſuis ponens de prædicto cibo cati aliud nihil facturus, Berich dæmonem invocaret, & * veniens ad omnia interrogata reſpondens furta & furentes, & quidquid ad perpetrandum maleficium* eſſet neceſſarium revelaret. Quorum auditis confeſſionibus Johannes Præpoſiti & Johannes de Perſant tamquam actores maleficij ad pœnam ignis ſunt adjudicati: ſed dum iſtud factum aliquantulum protelaretur, alter iſtorum deceſſit, cujus oſſa in deteſtationem criminis comburuntur, altero in craſtino Sancti Nicolai

* poſt

* in medio

* hic veniens & ad

*quodcumque

vitam miserabilem per pœnam incendij finiente. Abbas verò & alter apostata & ceteri Canonici Regulares, qui ad perpetrandum maleficium Sanctum Chrisma & oleum sanctum ministraverunt, penitus degradati, secundùm diversa eorum demerita affligendi ad diversos carceres perpetuò mancipantur. Eodem anno liber quidam cujusdam Monachi de Morigniaco juxta Stampas, qui liber haberet * Beatæ MARIÆ multas depictas imagines, qui causam * cum hoc continebat multa ignota nomina quæ ut firmiter dicebatur nomina dæmonum credebantur, quia delicias & divitias promittebat, quinimmo & quidquid homo optaret si librum pro se depingi faceret, & nomen proprium bis in illo inscriberet, & multa alia quæ nihil, vel error, videbantur, meritò tamquam superstitiosus Parisius condemnatur.

* habebat
* etiam

Eodem anno dominus de Partanayo vir nobilis & potens in Pictavia per fratrem MAURITIUM deputatum per Papam in Aquitaniam præcipuè Inquisitorem super factis hæreticæ pravitatis, Ordine Prædicatorem sed natione Britonem, super multis casibus hæreticalibus præ honore à quocumque viro Catholico vix dicibilibus apud Regem Franciæ graviter infamatur. Cui Rex citiùs quàm debuisset acquiescens, ut puro * tamen hoc zelo fidei ductus, nulla deliberatione vel pœna * præhabita, ipsum capi præcepit, & Parisius ad suam audientiam evocari: qui captis omnibus bonis suis & in manu Regis positis, Parisius adducitur & in domo Templi Parisius per aliquos dies arrestatur. Postea verò in præsentia plurium Prælatorum & peritorum copia numerosa dicto nobili personaliter constituto, proposuit contra ipsum dictus Inquisitor multos articulos hæreticos, petens ut ad eos responderet, & de veritate dicenda juraret: qui contra dicti Inquisitoris personam multa proponens per quæ eum ineptum ad inquisitionis officium asserebat, nolens jurare nec etiam respondere ad ejus audientiam si quæ esset, ad Romanam Curiam appellavit. Quo Rex comperto, nolens

* puto tamen
* parua

nolens alicui viam juris præcludere, priùs sibi bonis suis integraliter restitutis ipsum sub tuta custodia ad Summum Pontificem destinavit. Cùm igitur in præsentia Papæ dictus Inquisitor prædictos articulos proposuisset contra dictum Nobilem; Papa eidem alios auditores assignavit, dicto Inquisitori præcipiens ut siquid vellet contra ipsum proponere, proponeret coram illis, & ita secundùm consuetudinem Curiæ Romanæ negotium ibidem diutiùs est protractum.

In fine istius anni LUDOVICUS juvenis apud villam de Brugis veniens benignè ab omnibus recipitur, & multis eisdem concessis libertatibus ab ipso, in ipsius receptione multa gaudia renovantur: sed hoc eis summè displicebat quia utebatur, relicto Flammingorum consilio Abbatis Verziliacensis consilio, filij quondam Petri FLOTE ante Curtracumcum Comite Attrebatensi ROBERTO occisi, quem propter mortem patris reputabant capitalem inimicum Flandrensem *, unde & si quid in toto Comitatu ordinatum esset, quod ad ipsorum votum succederet quantumcumque bene & justè ordinatum esset, si scirent ex Abbatis processisse consilio, quasi injustum & malum reputabant; unde & coactus est Comes illum dimittere, & * ad propria remeare. Hoc eodem tempore orta est Brugis dissensio. Nam cùm Comes villis ruralibus talliam imposuisset satis gravem, collectores autem longè majorem levaverant quàm imposita fuisset: unde rurales seu forenses graviter provocati, inito cum mediocribus de villa consilio quos consimiliter Majores de villa gravaverant, fuit ab ipsis per dictas villulas unanimiter ordinatum, quò dcertâ horâ campanæ in eorum Ecclesiis pulsarentur, & omnes ad sonitum pararentur, & sic congregati villam de Brugis subitò pariter sunt ingressi, & præcedente quodam quem sibi ad hoc ducem statuerant, quosdam de gentibus Comitis & quosdam de Majoribus occiderunt.

* Flandrensium

* hic

Circa ista tempora mortuo MATTHÆO Vicecomite Mediolanensi & Capitaneo Guibelinorum successit in Regnum GALTHERUS filius ejus. Contra

quem Papa & Rex ROBERTUS unà cum Cardinali de Pogeto & domino HENRICO de Flandria pugnatorum Capitaneo misit copiosam multitudinem bellatorum; qui adjunctis sibi Guelfis inter Mediolanum & Placentiam cum Galeacio & ceteris Guibelinis conflictum gravissimum habuerunt. Sed domino Henrico de Flandria fratre Comitis de Namurco occiso, ut dicebatur, & fratre Cardinalis * occiso, Cardinali fugiente occisi sunt ex parte Guelfa mille quingenti & ampliùs bellatorum; & sic cessit victoria Guibellinis.

> * etiam

Circa finem istius anni quasi in medio Quadragesimæ redeunte Rege de partibus Tholosanis, cùm apud Castrum * in diœcesi Bituricensi Rex cum uxore sua prægnante devenisset, fortè gravata ex itinere per mensem vel circiter ante tempus peperit filium, qui baptizatus satis citò post modicum tempus expiravit; & aliquibus diebus * mater post filium decessit & apud Montem-Argi in Ecclesia Fratrum * sancti Dominici deportata honorificè est sepulta.

> * Exoldunum situm
>
> * clapsis
>
> * sororum

Causâ electionis Regis Romanorum inter Electores Alemannos in discordia celebrante *, post multas terrarum spoliationes, incendia & rapinas, ex consensu Electorum ad bellum campestre dies assumitur, dies scilicet ultima Septembris. Ex parte Ducis Bavariæ erat Rex Boëmiæ, Dux verò Austriæ conduxerat secum maximam multitudinem Sarracenorum & Barbarorum, quos in prima fronte belli posuit, Duce eorum fratre suo HENRICO *. Contra quos ex parte Bavari Rex Boëmiæ primum bellum habuit; post diuturnum verò conflictum Sarracenis & Barbaris interfectis, capto Henrico fratre Ducis Austriæ cum multis aliis, cessit Regi Boëmiæ victoria gloriosa. Sequenti verò die, fuit prima dies Octobris, pugnavit Bavarus contra Ducem Austriæ FREDERICUM, quo capto in prælio cum multis Nobilibus multísque occisis, Bavarus die ipso gloriosissimè triumphavit. Captis autem utrisque Frederico videlicet Austriæ & Henrico fratre suo, Henricus se citiùs liberavit; pro redemptione enim sua

> * Aleman. discordia continuante
>
> * constituto

dedit Regi Boëmiæ undecim millia marchas argenti boni & puri, restituit etiam quamdam terram quam dudum pater dicti Henrici Rex videlicet ALBERTUS violenter abstulerat Regi Boëmiæ, in qua terra erant sexdecim munitiones, scilicet civitates & castra bona & fortia, exceptis villis campestribus quæ in isto numero clauduntur. Hanc terram Rex Boëmiæ recepit, & Henricum fratrem Ducis liberum abire permisit. Fredericus verò Dux Austriæ per duos annos & septem menses apud Bavarum captus continuè detinetur; sed non obstante captione Ducis Frederici Dux LEPODUS frater Ducis & ceteri fratres ejus à frequentibus bellorum incursibus contra Bavarum nullatenus quieverunt, unde Ducis captivitas guerram non abstulit sed potiùs aggravavit.

Nullus Imp. MCCCXXIV.

Hoc anno uxore Regis Franciæ sorore Regis Boëmiæ defuncta, Rex JOHANNAM quondam filiam Comitis Ebroïcensis cognatam suam germanam, utpote avunculi sui filiam, accepit in uxorem.

Super hoc tempore in Vasconia per dominum de Montepesato bastidia quædam in dominio Regis Franciæ de novo fundatur, quam tamen esse in dominio Regis Angliæ dictus asserebat. Cùm igitur super his inter gentes Regis Franciæ & Regis Angliæ quæstio oriretur, lata est pro Rege Franciæ sententia, unde ex hoc dicta bastidia Regi Franciæ adjudicatur & ad dominium Regni Francorum applicatur. Unde offensus ex hoc dominus de Montepesato ducens secum * Senescalum Regis Angliæ advocavit; qui simul ad dictam bastidiam venientes, omnes ibi inventos de hominibus Regis Franciæ occiderunt, & aliquos de ibi receptis * Majoribus, ut dicitur, suspendentes, bastidiâ funditus destructâ, ad castrum de Montepesato omnia quæ ibi poterant inveniri portaverunt. Et licèt Rex per seipsum potuisset injuriam vindicare, nihilominùs tamen volens omnia rectè facere, Regi Angliæ hanc signifi-

* milites

* repertis

cavit injuriam, ut in terra sua factam juxta condignum sibi faceret emendari. Ad quod faciendum Rex Angliæ fratrem suum de secunda uxore patris sui cognatum germanum Regis Franciæ ex parte matris, RAIMUMDUM * nomine, cum quibusdam Magnatum Angliæ ad Regem Franciæ misit, cum potestate ab eodem concessa tractandi cum Rege Franciæ de emendatione, & tractatum cum eo habitum integraliter confirmandi. Rex verò voluit ut unà cum Senescalo Angliæ in Vasconiæ partibus deputato dominus de Montepesato cum quibusdam, quorum consilio dictum maleficium dicebatur perpetratum fuisse, omnimodè suæ voluntati pro emenda traderetur, hoc adjuncto etiam quòd castrum redderetur. Cúmque manifestè cognoscerent Anglici Regis animum ad aliam recipiendam emendam * quam, ut prædictum est, nullatenus inclinari, in eam simulatoriè consenserunt; adjunctóque eis domino JOHANNE de Anebleyo * Milite Regis, ut in ejus præsentia nomine Regis fieret dicti negotij executio, versùs Vasconiam properarunt; sed pactum non tenuerunt, & nuntians Regi quomodò ab Anglicis sit delusus, & quomodò castra & villas Anglicis munientes se ad bellum ut poterant præparabant: Rex avunculum suum Comitem Valesij cum duobus ejusdem avunculi filiis PHILIPPO & CAROLO & domino de Attrebato Comite Bellimontis-Rogerij in Vasconiam misit cum electa copia pugnatorum: qui veniens apud civitatem Agiensem *, * voluntariè se reddidit sine pugna. Audiens verò Comes Valesij fratrem prædictum Regis Angliæ cum Anglicis in villa quæ dicitur Regula, quæ vulgari Gallicorum dicitur *La Riolle*, cum pugnatorum suorum potentia residere; illuc cum exercitu applicuit. Sed cùm quidam de nostris nimis prope portam accessissent, & incautè illos de villa ad pugnam provocassent, occiso domino de Florentino cum quibusdam aliis Militibus, turpiter sunt devicti. Quod graviter ferens dictus Comes Valesij, erectis machinis & ceteris ad destructionem villæ necessariis

* Edmundum

* quam petebat Rex Franciæ

* Artablayo

* Agennensem

* ipsa

instrumentis, obſidionem poſuit contra villam, ita ut ex nulla parte pateret in villam ingreſſus vel egreſſus. Videntes verò illi de villa ſibi & ſuis undique periculum imminere, quæ pacis erant protinus obtulerunt. Fuit autem ordinatum hoc modo, quòd villa redderetur, & habitatores qui adhuc vellent Regi Angliæ adhærere poſſent ſalvâ vitâ & ſupellectili ad loca alia ſe liberè transferre: qui verò vellent ibidem remanere fidelitatem facerent Regi Franciæ, & obedirent Cuſtodibus ibidem ex parte Regis Franciæ deputatis. Dictus verò Edmundus Capitaneus dicti belli & frater Regis Angliæ ex parte patris, nepos verò domini CAROLI ex parte matris, permiſſus eſt redire ad Regem Angliæ, ut ſi Rex Angliæ vellet tenere pacta quæ Regi Franciæ Pariſius promiſerat, pax firma eſſet, ſi non, ipſemet rediret ad dominum Carolum tradendus Regis Franciæ voluntati; & ob hoc dati ſunt obſides quatuor Milites Anglici, & datæ ſunt treugæ uſque ad ſequens Paſcha; & ſic licentiatus Edmundus per Burdegaliam in Angliam remeavit, dicentes * eum primitus debuiſſe ad Regem adduxiſſe, vel ante dictam licentiam, Regis ſuper hoc imperium expectaſſe. Sic igitur capta eſt Regula, & caſtrum de Montepeſato funditus eſt deſtructum, cujus dominus antea mortuus fuerat, & ut dicitur præ triſtitia & dolore. Et ſic ſedata * eſt Vaſconia tota ſub dominio Regis Franciæ, exceptis Burdegali & Baïona & Sanctus Severus, quæ adhuc ſunt ſub obedientia Regis Angliæ remanentes. Dominus verò Carolus licentiato exercitu in Franciam repedavit.

* dicentibus multis.

* ſubjecta.

Iſto anno præcepit Papa Prælatis & univerſis aliis tam Religioſis quàm non Religioſis habentibus officium prædicandi in virtute ſanctæ obedientiæ, ut proceſſus quos contra LUDOVICUM Ducem Bavariæ fecerat, Clero & populo publicè nuntiarent; interdicens ſub pœna inobedientiæ ne quis ipſum Imperatorem diceret nec etiam nominaret: unde & omnes vaſſallos ejus à juramento fidelitatis abſolvens, præ-

cepit nè quis durante ejus rebellione & inobedientia contra Ecclesiam, sibi præberet auxilium, consilium vel favorem. Si quis verò secùs facere videretur, si Prælatus, esset suspensus, si laicus, excommunicatus, & terra ejus Ecclesiastico supposita interdicto. Præcepit etiam ut Decretalis nova ab eo edita damnans quorumdam doctrinam hæreticam asserentium CHRISTUM nihil habuisse in proprio vel in communi, ut Evangelio & scripturæ sanctæ, quæ clamat Christum loculos habuisse, dissonam & contrariam Parisius & in aliis Studiis generalibus publicaretur. Fecit etiam specialiùs eodem anno publicari indulgentias datas contra Galeacium & fratres ejus, patre eorum jam defuncto, de quibus supra fecimus jam mentionem. In fine quasi istius anni ad preces sororis suæ Reginæ Angliæ ad eum humiliter veniens *, Rex * treugas inter ipsum & Regem Angliæ per dominum CAROLUM usque ad Pascha positas, usque ad festum beati Johannis Baptistæ prolongavit; ut interim per utriusque amicos inter duos Reges de concordia tractaretur.

* venientis.
* Franciæ.

Dux Austriæ per Bavarum captivus detinetur, sed Dux Lepodus ceteríque fratres Ducis Austriæ in eum & terram suam multa maleficia moliuntur.

Nullus Imp. MCCCXXV.

Hoc anno ad Reginæ uxoris suæ submonitionem, ut firmiter creditur, Rex Angliæ ad diem certum promisit in Franciam se venturum, & Regi de terra Vasconiæ & Pontivi homagium se facturum. Hoc instanti tempore Regina Franciæ nova prægnans erat & partui proxima, unde & Regis Angliæ adventus dilatio tolerabilior habebatur; sperabatur enim sicut & quidam Astronomi prænosticaverant, ut dicitur, ipsam filium habituram, Regis enim adventus novi partus gaudium multipliciter augmentasset: sed Dominus qui omnia disponit prout vult, aliter quàm humana mentiebatur opinio, ordinavit; non enim multum

pòst filiam peperit ſibi primogenitam. Illo in tempore Regina Angliæ reſidente in Francia apud fratrem ſuum Regem Franciæ, Rex Angliæ, qui certa die promiſerat venire & Regi Franciæ homagium ſe facturum, mutato propoſito quidquid juris habebat in Ducatu Aquitaniæ dedit filio ſuo primogenito EDUARDO qui poſt eum erat in Anglia regnaturus; veniénſque de mandato patris in Franciam intercedente matre ad homagium benigniter eſt receptus. Regina Angliæ reſidens in Francia ut ad eum veniret in Angliam interim revocatur; ſed Regina ſciens Regem habere Conſiliarium, qui ſibi quantum poterat confuſionem & vituperium procurabat, poſt cujus tamen vocem Rex indifferenter omnia faciebat, timuit & non immeritò illic ire: unde & remittens in Angliam armigeros & ancillas & etiam Milites quos ſecum veniens adduxerat, paucis retentis elegit in Francia remanere; interim verò Rex Franciæ pro ſe & retenta familia expenſas & neceſſaria faciebat miniſtrari.

Juvenis Comes Flandriæ habens dominum ROBERTUM avunculum ſuum ſuſpectum nè in ejus mortem malum aliquod moliretur, hominibus in villa de Warneſton prope Inſulam ad tres leucas habentibus, ubi dictus avunculus reſidebat, per litteras mandavit, ut viſis litteris dictum avunculum ſuum interficerent tamquam proditorem; ſed Cancellarius Comitis antequam litteræ ſigillatæ traderentur hominibus dictæ villæ, hoc domino Roberto ſignificavit. Quo comperto dominus Robertus ſe à villa quàm citiùs potuit elongavit, & ſic litteræ Comitis poſtea venientes ad villam effectum ipſo domino Roberto abſente nullatenus habuerunt; unde ex hoc inter dictum Comitem & dominum Robertum pergrandes inimicitiæ ſunt ſecutæ. Comes verò captum Cancellarium interrogans cur ſic ſecretum ſuum revelaſſet, reſpondit confitens ſe hoc factum feciſſe nè honor Comitis deperiret; nihilominùs tamen dictus Cancellarius in carcere Comitis eſt detentus. Satis citò poſtea fortè ipſius

ſuis exigentibus peccatis dicto Comiti grande fortunium accidit in Curtraco, quòd cùm præcedentibus factis * in compoſitione pacis Comes & Flandrenſes Regi maximam ſummam pecuniæ promiſiſſent ſuper Comitatus villarum collectam, per dominum Comitem impoſitam & ad eamdem levandam & explectandam aliqui Nobiles, aliqui etiam de Majoribus de Brugis, & de Ypra, & de Curtraco per dictum Comitem deputantur. Communitatibus verò & hominibus villarum campeſtrium viſum eſt quòd major pecuniæ quantitas per dictos collectores levaretur quàm eſſet ſumma quæ Regi Franciæ debebatur, ignorantes etiam quòd ex hoc Regi erat aliqua ſatisfactio facta: unde Rectores Communitatum à Comite petierunt ut de receptis rationem redderent collectores; ſed renuente Comite orta eſt gravis diſſenſio inter ipſos. Collectores verò unà cum Comite ſe in Curtraco recipientes, inito ſimul conſilio cogitaverunt villæ ſuburbia incendere, ut venientes qui pro Communitatibus ab eis compotum exigebant, non habentes ubi ſe protegerent faciliùs poſſent ſuperari: illic enim convenerant cum armatorum multitudine copioſa. Sed Dominus quod contra alios malitioſè compoſuerant in ipſos retorſit; ignis enim in ſuburbio poſitus in tantum invaluit, ut non tantum ſuburbium ſed etiam totius villæ reſiduum concremaverit. Quod illi de Curtraco perpendentes, & hoc eſſe factum à Comite & ſuis proditoriè æſtimantes, qui priùs pro ipſo & cum ipſo erant contra eum unanimiter arripiunt arma, & utriuſque partis multi occiduntur etiam Nobiles, & maximè dominus JOHANNES de Flandria aliàs dictus ex parte matris de Nigella. Comes verò capitur, & quinque Milites, & duo alij nobiles domicelli, qui omnes ſic capti illis de Brugis ſunt traditi & carceri mancipati. Unde ex hoc Majores cum Communitatibus & villis circumadjacentibus, exceptis Gandavenſibus, concordati dominum ROBERTUM Comitis avunculum, & ut prædictum eſt Comitis

* pactis.

mitis inimicum Ducem ſibi concorditer elegerunt: qui ſuper ipſos Ducatu accepto incarceratum, ut priùs dictum fuerat, Comitis Cancellarium liberavit, & liberatum multipliciter honoravit. Gandavenſes verò partem foventes Comitis contra Brugenſes tenentes incarceratum Comitem arma ſumpſerunt, & in ipſos virilem impetum facientes, fere quingentos ex ipſis, ut dicitur, occiderunt; nec tamen Comes ſic fuit à carcere liberatus. Unde & circa idem tempus Rex Franciæ ſolemnes nuntios miſit Brugenſibus, rogans & exhortans ſuper Comitis liberatione, ſed nuntij vacui redierunt.

Circa feſtum Magdalenæ & in tota præcedente & ſequente æſtate maxima fuit ſiccitas, itaut per quatuor lunationes continuas vix plueret, quod juxta æſtimationem pluviæ duorum dierum debuerit æſtimari, etiamſi omnes pluviæ quæ in illis quatuor lunationibus ſucceſſivæ fuerunt, etiam ſimul & in unum adunatæ *; & quamvis æſtus eſſet permaximus, non fuerunt tamen tonitrua vel fulgura, vel etiam tempeſtates, unde & fuerunt fructus pauci, ſed vina ſolito meliora. In ſequenti hyeme fuerunt frigora permaxima, itaut in brevi tempore bis Secana gelaretur in tantum ut ſuper glaciem onerati tranſirent homines, & dolia plena deſuper traherentur, glaciei verò magnitudinem atteſtatur utriuſque pontis Pariſius lignei poſt glaciei diſſolutionem ruptio ſecuta.

* fuiſſent.

Circa iſta tempora CAROLUM Comitem Valeſij gravis arripuit ægritudo, itaut uſu membrorum ſuorum parte media corporis privaretur. Et quoniam vexatio dat intellectum, creditur firmiter factum Ingerranni de Marigniaco per eum ſuſpenſi, ut dicebatur, ad conſcientiam revocaſſe; quod ex hoc perpendi potuit; nam cùm quotidiè ingraveſceret ejus ægritudo, fuit Pariſius pauperibus quædam generalis pecuniæ diſtributio facta, cúmque pecuniæ prædictæ diſtributores ſingulis pauperibus ſingulos darent denarios, dicebant pauperibus; *Orate pro domino Inge-*

ranno & pro domino Carolo, Ingerannum domino Carolo præponentes; unde & ex hoc plurimi collegerunt quòd de & super ipsius morte conscientiam faciebat. Qui post diuturnum languorem in villa quæ dicitur Partecum Carnotensis diœcesis decima die anni expiravit. Cujus corpus sepultum est apud Fratres Prædicatores Parisius; adserunt tamen nonnulli quòd ibi est locus propriæ supulturæ, sed propter malitiam temporis & ineptitudinem non valens ulteriùs deportari fuit ibidem sub custodia depositum, tempore magis competenti ad locum Cartusiensium quem ipse fundaverat & dotaverat, & ubi ut dicitur vivens sepulturam elegerat, aliàs deportandum; cor verò ipsius apud Fratres Minores Parisius est sepultum. Hoc eodem anno multi de diversis mundi partibus audientes quòd dominus Ludovicus de Claromonte in sequenti proximo Paschate transfretaret ad terram sanctam, fervore devotionis & fidei excitati, rebus propriis distractis, nonnulli venditis patrimoniis sepulcrum Domini nostri Jesu Christi cupientes, si esset eis possibile, visitare, & adorare eum in loco ubi steterunt pedes ejus, Parisius advenerunt: quod perpendens dictus dominus Ludovicus, & videns quòd sibi nihil esset prosperum * ad dictum passagium peragendum, maximè cùm deesset facultas unde ad tam arduum aggrediendum passagium opportuna navigia pararentur; in die sancta Veneris quæ est Parasceve ante Pascha Parisius in Regali Palatio in pleno sermone fecit eis publicè prædicari, quòd illo anno non intendebat nec poterat transfretare, sed quòd eadem die anno revoluto & in civitate Lugdunensi super Rhodanum parati cum eo transfretarent, & ibidem nominaretur eis portus ad quem omnes peregrini deberent pariter applicare; quod dictum multis versum est in scandalum, nonnullis etiam in derisum, & sic fraudati ab intento ad propria vacui redierunt.

* præparatum.

Hoc eodem anno in fine Januarij vir venerabilis de

Pontizara aliàs de Chambeliaco Abbas Monasterij S. Dionysij in Francia ex . * . . . . futuris perutile dereliquit, quòd novam domum infirmorum sui Monasterij inchoavit, & inchoatum miro & valde sumptuoso opere consummavit. Cui successit sequenti mense Martij à Fratribus dicti Monasterij pacificè & concorditer electus Frater GUIDO de Castris, vir Religionis honestate conspicuus, omníque morum honestate præclarus; cujus electionem Avinioni positus domnus Summus Pontifex sequenti mense Aprilis, quinto videlicet Kalendas Maij confirmavit.

* exemplum Monachis.

Nullus Imp. MCCCXXVI.

Hoc anno Regina JOHANNA viri illustris LUDOVICI quondam filia cum magno sumptu & apparatu licèt * . . . . fructuosè die Pentecostes Parisius coronatur. Hoc eodem anno Regina Angliæ IZABELLA soror Regis Franciæ timens mariti sui offensam incurrere si diutiùs in Francia moram protraheret, necnon & credens eum placare offensum si ipsam unà cum filio suo primogenito præsentialiter conspiceret, unà cum filio suo versùs Angliam acceptâ à Rege & Regalibus licentiâ iter arripuit; & expectans nova de domino suo Rege Angliæ, in Comitatu Pontivi, qui sibi ut dicebatur ratione dotis fuerat à Rege Angliæ assignatus, aliquamdiu disposuit immorari. Interim autem venerant rumores ad Regem Franciæ, ut dicebatur, quòd Rex Angliæ in toto Regno suo omnes de Regno Franciæ existentes in Anglia occidi præceperat, bonáque omnia eorum confiscaverat; unde Rex Franciæ permotus præcepit omnes Anglicos in Regno Franciæ existentes capi, & eorum bona confiscari, necnon in diversis Regni carceribus ipsorum corpora detineri: quod & factum est una die & una hora in toto Regno Franciæ, in crastino videlicet Assumptionis beatæ MARIÆ Quod factum omnes Anglicos de Regno Franciæ mirabiliter terruit, timebant enim quòd sicut una die capti fuerant, una

* parum.

die morti pariter traderentur : sed Deus qui sic etiam malè ordinata in melius immutare *, aliter ordinavit. Nam Rex cognoscens falsam esse suggestionem de captione & occisione Gallicorum in Anglia, Anglicos captos in Francia liberari præcepit : illorum tamen Anglorum, qui divites apparebant, bona quoad partem quæ ad eos contingere poterat confiscavit; in quo facto omnes boni homines de Regno turbati sunt, nam ibi notabatur in Rege & Consiliariis hujus facti nota detestabilis avaritiæ fuisse potiùs quàm propter Regis vindicandam injuriam.

* solet.

Interim Regina Angliæ de transfretando deliberat in Angliam, sed quomodò fieri posset verisimiliter dubitabat. Nam Rex Angliæ per malos Consiliarios suos & præcipuè per dominum HUGONEM dictum * *Le Despensier* contra eam gravissimè permotus, per omnes portus mandaverat ut si ipsam ad ipsorum aliquem applicari contingeret, utpote Regali * & Regalibus præceptis inobediens tamquam rea criminis caperetur. Quod perpendens Regina assumpto secum domino JOHANNE de Hanonia viro nobili & potenti & in armis industrio & probato, cum trecentis armatis hominibus ad quemdam portum de quo nullatenus sperabant Anglici esse eam transituram, eo quòd portus est nimis distans à Francia & nimis periculosus, cum magna sui & suorum anxietate applicuit, unde & quædam domicellarum suarum præ timore & turbatione maris mortua, altera antequam tempus esset pariendi protulit abortiuum. Ipsâ verò cum suis ad portum, ut prædicitur applicatâ, illi de portu qui etiam super hujus captione Regis mandatum acceperant, acceptis armis, ad Regis implendum præceptum se quàm citiùs poterant disponebant. Sed Regina prudenti usa consilio eorum furorem barbaricum sine armis & sine quocumque bellico apparatu prudenter & mansuetè compescuit. Nam ipsis ad se ad alloquium evocatis, ostendit eis filium suum futurum eorum Regem & dominum, asserens se terram intrasse

* *Spenser*

* Regi.

ſic non propter Regis domini ſui vel certè * turbationem, ſed propter malorum Conſiliariorum Regis, qui ſuis malis conſiliis Regem videbantur dementare, & ex hoc totius Angliæ pacem & concordiam perturbare, ſi poſſet, excuſationem *, vel ſi non poſſet, ſaltem à Rege elongationem, ut per hoc malè acta corrigerentur, & terra, ad ſtatum pacificum reduceretur. Viſo verò Anglici eorum domino filio ſcilicet Regis tota eorum ferocitas in manſuetudinem commutatur, & Reginam cum filio ſibíque coaſſiſtentibus cum magno gaudio ſuſceperunt, & Regi Angliæ Reginæ uxoris ſuæ & filij adventum ſibi & Regno pacificum quàm citiùs innoteſcere curaverunt, eámque ab ipſo clementer & benigniter debere recipi ſupplicantes. Sed Rex Angliæ obſtinatus in malo animo, prædictam admiſſionem gratanter non accepit, ſed indignanter remandavit, ſibi diſplicere quòd cum manu armata viſa eſſet terram Angliæ ſubintrare, præſertim cùm eam Regni & Regis aſſereret inimicam. Quibus auditis Regina ſibi de cetero magis timuit, ſed favorem Baronum & bonarum villarum & maximè Londoniæ civitatis quantum potuit procuravit, & obtinuit. Poſtmodùm Regina ſperans cor Regis ad amorem & manſuetudinem poſſe inflectere, verſùs ipſum aliquamdiu properavit; ſed Rex eam malignorum depravatus conſilio quaſi ſibi omnino abominabilem nec audire voluit, nec videre. Unde Barones indignati unà cum domino JOHANNE de Hanonia contra Regem ad bellum proceſſerunt, & multis ex parte Regis occiſis, inter ceteros HUGO Diſpenſator præcipuus & primus inter Regis Conſiliarios vivus capitur, & Rex fugiens de prælio cum paucis de ſuis in quodam caſtro fortiſſimo ſito in finibus Walliæ & Angliæ ſe recepit. Deinde verò cùm de illo caſtro voluiſſet prædictus Rex ad locum alium ſe transferre, à quibuſdam Baronibus ibidem in inſidiis poſitis violenter capitur, & fratri Comitis de Lenclaſtre, qui dicebatur ad Curtum-collum eo quòd ejus fratrem dominum THOMAM de Lenclaſtre decollari feciſſet, cuſto-

* Regni

* accuſationem *vel* executionem.

diendus traditur; quem sub tuta & arcta custodia usque ad vitæ suæ finem diligentissimè custodivit. Deinde convocato in Londoniis Consilio Baronum & Comitum, EDUARDUS nuper Rex unanimi omnium consensu tamquam indignus & inhabilis ad Regni Angliæ regimen judicatur, dignitate & auctoritate Regia necnon & Regis nomine meritò de cetero decernitur esse privandus, filium verò suum licet parvulum * renitentem ipso patre adhuc vivente super se Regem coronavit *. Satis citò pòst Hugo Dispensator per Baronum judicium ad caudas equorum fuit tractus, & ipso exenterato, ipso vivente viscera ejus sunt combusta, & deinde suspensus vitam suam miserabiliter terminavit. Deinde verò plures alij, qui sibi in malis suis favebant consiliis, diversis mortis generibus atrociter perierunt.

*plurimum

* coronarunt

Hoc anno mittitur in Italiam ex parte Summi Pontificis Legatus scilicet dominus BERTRANDUS de Pogeto, & aliquantulùm pòst adjungitur eidem dominus JOANNES Gayetanus Cardinales, ut partem foverent Ecclesiæ contra Guibelinos, & maximè contra illos dominos de civitate Mediolani, ratione quorum totam civitatem & patriam dominus Papa Ecclesiam suo supposuerat interdicto, quod tamen interdictum ipsi nullatenus observabant, & si qui utpote religiosi aliqui illud observare vellent, necessariò cogebant fugere & patriam relinquere, vel diversis afflicti suppliciis interire; unde & ob hoc adserunt nonnulli quòd multi occisi sunt cùm nollent in eorum præsentia celebrare, vel eis Sacramenta Ecclesiastica ministrare. Circa ista tempora moritur EDUARDUS Rex Angliæ, & in loco patrum suorum honorificè ab uxore & filio suo ceterísque Regni sui Proceribus sepelitur, & filius ejus EDUARDUS ei succedens in Regno Angliæ confirmatur: utrùm tamen mors accelerata fuerit vel non, novit ille qui nihil ignorat. Circa ista fere tempora inter Comitem Sabaudiæ & Delphinum grave initum est bellum, sed multis ex parte Ducis corruentibus, multis cum Comite fugientibus, capiuntur multi No-

biles, putà frater Ducis Burgundiæ, Comes Autissiodorensis & multi alij Nobiles & Potentes, & sic Delphino quem pater prædicti Sabaudiæ Comitis per malitiam diu oppresserat cessit victoria, sed pars Comitis major & fortior videbatur.

Ludovico Duce Bavariæ in Imperatorem, sicut prædictum est*, detentóque apud eum in vinculis Duce Austriæ Frederico, per Ducem Lepodum & fratres ejus, frater * videlicet Ducis Austriæ, Alemannia multis in modis inquietatur & rapinis hinc inde. Sed Dominus qui immutat corda hominum sicut vult cùm in eo sint non solùm Regnorum sed etiam Regum omnium jura & potestates, cor prædicti Ludovici erga prædictum Fredericum Ducem Austriæ ejus antea inimicum, licèt cognatum germanum, taliter ad misericordiam inclinavit, ut ei omnem offensam remitteret, & eum à carcere & vinculis cum pluribus Nobilibus qui cum ipso captivi detinebantur, sine prece vel pretio liberatum vel liberum & immunem ad propria transmiserit; facto tamen sibi priùs juramento supra Corpus Christi, de quo uterque hostiâ divisâ in duas in eadem Missa communicavit, de servanda sibi in posterum fidelitate, quam * & Dux Austriæ fecit, & sic liber cum suis ad propria remeavit.

* se habente

* fratres

* quod

Circa ista fere tempora ad Ludovicum Ducem Bavariæ se Regem Romanorum publicè nominantem venerunt in nomine Bereth de Studio Parisius duo filij diaboli, videlicet Magister Johannes de Gonduno * natione Gallicus & Magister Marsilius de Padua natione Italicus, & cùm fuissent Parisius in scientia satis famosi, à quibusdam de Ducis familia, qui eos à Parisius agnoverant circumspecti & agniti, ad eorum relationem ad Ducis non solùm Curiam, sed etiam gratiam finaliter admittuntur. Unde & dicitur Ducem prædictum eos esse taliter adlocutos: Pro Deo, quis movit vos venire de terra pacis & gloriæ ad hanc terram bellicosam refertam omnis tribulationis & angustiæ? Responderunt, ut dicitur: Error quem in Eccle-

* Dicitur Johan. de Gaudunoin Epist. Greg. x. PP. ad Richardum Regem Angliæ præfixa *Defensori pacis.*

ſia Dei intuemur nos fecit hucuſque exulare, & non valentes hoc ampliùs cum bona conſcientia ſuſtinere, ad vos confugimus, cui cùm de jure debeatur Imperium ad vos pertinet errata corrigere, & malè acta ad ſtatum debitum revocare: Non enim, ut dicebant, Imperium ſubeſt Eccleſiæ, cùm eſſet Imperium antequam haberet Eccleſia quidquam dominij vel Principatûs; nec regulari debet Imperium per regulas Eccleſiæ, cùm inveniantur Imperatores plures electiones Summorum Pontificum conſummaſſe*, Synodos convocaſſe & auctoritatem eiſdem etiam de diffiniendis eis quæ fidei erant jure Imperij conceſſiſſe; unde ſi per aliqua tempora contra Imperium & Imperij libertates aliquid * proſcripſit Eccleſia, hoc dicebant non ritè & juſtè factum, ſed malitiosè & fraudulenter contra Imperium ab Eccleſia uſurpatum: aſſerentes ſe hanc quam dicebant veritatem contra omnem hominem velle defendere, & ſi neceſſitas eſſet etiam pro ejus defenſione quodcumque ſupplicium & mortem finaliter ſuſtinere. Cui tamen ſententiæ quin potiùs veſaniæ Bavarus non totaliter*; quinimmo convocatis ſuper hoc peritis, invenit hanc eſſe prophanam & peſtiferam perſuaſionem, cui ſi acquieſceret, eo ipſo cùm ſit hæretica jure Imperij ſe privaret, & ex hoc viam Papæ aperiret per quam contra ipſum procederet. Unde & perſuaſum eſt ei ut illos puniret, cùm ad Imperatorem pertineat non ſolùm Catholicam fidem & fideles ſervare, ſed etiam hæreticos extirpare. Quibus dicitur ſic Bavarus reſpondiſſe; Inhumanum eſſe homines punire vel interficere ſua caſtra ſecutos, qui propter eum dimiſerunt propriam patriam, fortunam proſperam & honores; unde eis non acquieſcens eos ſemper adſiſtere præcepit, juxta eorum ſtatum ſuámque magnificentiam eos donis & honoribus ampliavit. Quod tamen factum dominum Papam JOHANNEM non latuit; unde & ſuper hoc factis multis ſecundùm vias juris contra eos proceſſibus, excommunicationis ſententiam contra ipſos & Bavarum fulminavit, eámque mittens

* confirmaſſe

* præſcripſit

* acquievit

mittens Parisius ceterísque locis solemnibus fecit publicè proclamari.

Hoc eodem anno domnus Papa multis conductis stipendiariis contra Guibelinos & maximè contra GALEACIUM & fratres ejus * Vicecomites, Mediolanensi patre eorum domino MATTHÆO in excommunicatione defuncto, ceterósque, Mediolanum multos stipendiarios data eis plena indulgentia misit. Qui in Italiam venientes, & se contra Italicos ad prælium opponentes, omnes, vim eorum evadente Capitaneo, pariter sunt occisi. Unde & super his & non sine causa dicitur domnum Papam meritò ista pati, * inimicos suos materiali gladio Ecclesia non utatur, maximè cùm hæc dicerent nonnulli, hoc domnum Papam proprio motu inconsultis Fratribus inchoasse. Papa igitur depauperatum se videns misit nuntios speciales per universas provincias Regni Franciæ, ad petendum Ecclesiarum & Ecclesiasticarum personarum Regni Franciæ subsidium pro guerra sua in Italia prosequenda. Quod Rex Franciæ asserens hoc in Regno Franciæ inconsuetum, prohibuit; sed domino Papa sibi super his rescribente, postmodùm Rex considerans *Do ut des*, faciliter concessit; unde & pro duobus succedentibus annis Papa Regi biennalem decimam super Ecclesiam concessit: & ita dum miseram Ecclesiam unus tondet, alter excoriat. Valuit istud subsidium multùm Domino Papæ, nam ab aliis decimam integram, ab aliis mediam, à nonnullis quidquid exigere * potuerunt. Unde & ab omnibus qui beneficia Ecclesiastica tenebant auctoritate Apostolica habuit Papa valorem totius beneficij unius anni, quod usque nunc in Regno Franciæ fuerat inauditum; unde & meritò formidandum nè futuris temporibus Gallicanæ Ecclesiæ desolatæ, cùm non sit qui se opponat, magnum præjudicium generetur.

* Vicecomite patre.

* cùm contra.

* exhibere.

Hoc eodem anno quidam bastardi nobilium virorum de Wasconia in concubinatu filij, terras & villas Regis Franciæ cum armis & bellico apparatu multi-

pliciter & hoſtiliter invaſerunt; contra quos Rex miſit conſanguineum ſuum dominum ALPHONSUM de Hiſpania nuper de Canonico & Archidiacono ſcilicet Pariſius factum Militem; ſed licèt circa hujus perſecutionem negotij multam Regis pecuniam expenderet, parum tamen vel nihil profecit, & accepta inibi febre quartana, de qua ſatis citò poſtmodùm mortuus eſt, infecto negotio inglorius in Franciam remeavit. Baſtardi verò prædicti de Vaſconia uſque ad civitatem Xanctonenſem in Pictavia cum quibuſdam Anglicis applicuerunt. Erat autem civitas Xantonarum Regis Franciæ, ſed caſtrum fortiſſimum quod ſuper eminebat civitati erat Regi Angliæ; in quo ſe prædicti baſtardi Vaſcones contra civitatem & Comitem Augi cum multis aliis nobilibus ibidem ex parte Regis Franciæ tranſmiſſis viriliter protegebant. Sed cùm multos inſultus illi Vaſcones cum Anglicis in caſtro ſuſtinuiſſent, relictis paucis ad cuſtodiam caſtri ad campos bene diſtantes à civitate clam confugerunt, mandantes Comiti Augi, & eis qui in civitate erant ex parte Regis Franciæ, quòd ipſum in tali loco & ad diem certum & præfixum ad bellum campeſtre expectarent: qui Comes prædictus libenter annuit, & acceptis ſuis & hominibus de civitate ad bellum aptis ad locum eidem deſignatum quantùm potuit properavit. Perpendentes verò Vaſcones cum Anglicis eum à civitate elongatum, per aliam occultam viam divertentes civitatem ingreſſi, eam etiam cum civitatis Eccleſiis totaliter combuſſerunt. Quod * Comes Augi unà cum domino ROBERTO Bertrando Mareſcallo Franciæ ſe deceptos videntes, eos uſque in Vaſconiam proſecuti ſunt, & multas ibidem terras & villas Regis Franciæ ſubmittentes dominio, prædictos Vaſcones & Anglicos ita fugere compulerunt, ut nullomodo præſumerent vel auderent deinceps in propriis partibus apparere. Hoc eodem anno Regina Franciæ apud Caſtrum-novum juxta Aurelianis prægnans ducitur, quia ſperabatur

* quapropter.

ipſam in dicto caſtro * quàm alibi filium maſculum habituram, ſicut prænoſticaverant quidam ſortilegi & ſortilegæ; ſed Deus volens mendaces eos oſtendere aliter ordinavit, nam & Regina filiam peperit, & ſatis citò pòſt altera ejus primogenita filia expiravit.

* potiùs.

Circa fere idem tempus Comes Flandriæ Brugis per Brugenſes detentus aliquamdiu in carcere, deliberatur; priùs tamen præſtito juramento, quòd jura, libertates & conſuetudines eorum fideliter & inviolabiliter obſervaret, & quòd occaſione priſionis ſeu detentionis ſibi factæ nullum eis malum inferret vel inferri faceret in futurum, quia ut ipſi aſſerebant ad ejus magnam utilitatem fuerat properatum. * Juravit etiam quòd de cetero in ſuis arduis negotiis eorum conſilio ſpecialiter uteretur; quod tamen ut rei probavit eventus notabiliter ut promiſerat * adimplevit.

f * perpetratum

* non

MCCCXXVII.

Hoc anno Rex Franciæ CAROLUS miſit nuntios ad Regem Angliæ novum, ut ad eum accederet de Ducatu Aquitaniæ, homagium facturus; ſed Rex Angliæ propter recentem mortem patris aſſerens ſibi non tutum eſſe patriam elongare, veriſimiliter ſibi timens aliquos latentes inimicos, ſe ex hoc erga Regem Franciæ excuſavit, & Rex Franciæ excuſationem libenter acceptavit. Pariſius pro ſedanda diſcordia inter Comitem Sabaudiæ & Delphinum cum Rege multi Barones congregantur, ſed non invenientes in eis pacis materiam vacui revertuntur *, eorum unicuique de jure ſuo defendendo, nonobſtante quòd commiſſum * fuiſſet in Regem, licentia conceditur. Hoc eodem fere tempore dominus LUDOVICUS Comes Clarimontis volens occultè omnibus oſtendere devotionem & affectionem quam habebat ad terram ſanctam, proponens, ut dicitur, quàm citiùs poſſet commodè transfretare, licentiam accepit in Eccleſia beatæ MARIÆ Pariſius, * in Capella Regis jurans publicè ſe ab illa die Pariſius nullatenus ingreſſurum, donec

* &

* vel appellatum fuiſſet ad Regem.

* &

juramentum factum adimplevisset de passagio transmarino; & licèt post emissum juramentum ignoraretur Parisius intravisse, non tamen ab eo multùm se elongavit; nam in domo Templi, & in Lupera*, & in ceteris juxta Parisius suburbiis tutum portum inveniens, ibidémque continuè permanens juramentum emissum, ut credebat*, à longè conspiciens laudabiliter observavit.

* Lupara.

* credebatur.

Hoc eodem anno concordatum est inter Regem Franciæ & Regem Angliæ, Hispaniæ, Arragoniæ, Siciliæ & Majoricarum, ut Mercatores undecumque terrarum cum securo conductu possent de Regno ad Regnum tam per terram quàm per mare cum mercimoniis suis incedere, & mercimonia sua deportare: & ut hoc edictum nulli lateret vel latere potuisset, fuit hoc per singula Regna proclamatum publicè. Hoc anno dominus Alphonsus de Hispania ex Clerico & Parisius Canonico nuper factus Miles, ex infirmitate quam in Vasconia acceperat, apud Gentiliacum juxta Parisius in domo Comitis Sabaudiæ moritur, & apud Prædicatores Parisienses Ecclesiasticæ traditur sepulturæ.

Hoc eodem anno circa finem Augusti LUDOVICUS Dux Bavariæ se Regem Alemannorum publicè nominans, cum viginti tantùm equis vel circiter quasi venationi vacans Alpes transgreditur; quod ut ad notitiam Lombardorum deventum est, & maximè Nobilium, domini scilicet CANIS de Verona, domini CASTRUCII, domini GALEATII ceterorúmque fratrum suorum filiorum domini Matthæi, ceterorúmque de Comitatu Mediolanense Nobilium cum magno exercitu* occurritur, & productus* usque Mediolanum, à primoribus civitatis & patriæ honorificè, multis & magnis ditatus muneribus, ibidem recipitur; & ibidem permanens, & cum prædictis Nobilibus de rebus suis disponens, in Octabis Epiphaniæ in Imperatorem coronâ ferreâ coronatur.

* ei.
* perductus.

Hoc eodem anno in die Natalis Domini circa me-

diam noctem Regem Franciæ CAROLUM gravis ægritudo arripuit; quâ diu laborans, in vigilia Purificationis beatæ MARIÆ apud nemus Vicenarum prope Parisius expiravit, relicta Regina uxore sua desolata vidua & prægnante. Cujus corpus juxta PHILIPPUM Fratrem suum more patrum suorum sepulcris Regum Franciæ apud sanctum Dionysium honorificè sepelitur. Cor verò ipsius apud Prædicatores Parisius tumulatur. Et ita tota progenies filiorum PHILIPPI PULCRI qua in Regno Franciæ numquam pulcrior visa fuerat, in quatuordecim annis totaliter exterminatur.

Defuncto Rege CAROLO Barones ad tractandum de Regni regimine congregantur : nam cùm Regina esset prægnans, & incertum esset de sexu, nullus audebat sub incerto sibi nomine assumere Regis nomen, sed solùm erat quæstio inter eos, cui tamquam propinquiori deberet Regni regimen committi, præcipuè cùm in Regno Franciæ mulier ad Regnum personaliter non accedat. Anglici autem dicebant quòd EDUARDUS juvenis Rex Angliæ tamquam propinquior, quia filius filiæ Philippi Pulcri, & per consequens nepos Caroli ultimò defuncti, ad regimen Regni & etiam ad Regnum, si Regina non haberet masculum, deberet accedere, & non PHILIPPUS Comes Valesij, qui solùm erat cognatus germanus Caroli ultimò defuncti Regis. Unde & in hanc sententiam multi peritorum in jure Canonico & Civili conveniebant; dicebant enim quod IZABELLA Regina Angliæ filia Philippi Pulcri & soror Caroli ultimò defuncti repellebatur à Regno & Regni regimine, non quia non esset genere propinquior, sed propter defectum sexus; ubi igitur poterat dari sexus genere propinquior ubi non esset defectus, putà masculus, ille deberet in Regno & regimine succedere : * & continuo verò illi de Regno Franciæ non æquanimiter ferentes subdi Regimini Anglicorum *; quòd si dictus filius Izabellis haberet aliquod jus in Regno, hoc sibi

* E contrariò.

* dicebant.

naturaliter accederet ratione matris, ubi ergo mater nullum jus haberet, per consequens nec filius, aliter accessorium esset principalius principali. Et hac sententia tamquam saniori accepta, & à Baronibus approbata, traditum est regimen Regni PHILIPPO Comiti Valesij, & vocatus est tunc Regnum Regens seu Regni: & ex tunc accepit homagia Regni Franciæ; non autem Regni Navarræ, quia Comes Ebroïcensis PHILIPPUS ratione uxoris quæ fuerat filia LUDOVICI primogeniti Philippi Pulcri, cui ratione matris debebatur Regnum Navarræ, dicebat se in eo jus habere. E contra Regina JOHANNA de Burgundia quondam uxor Philippi Longi, dicebat jus illius Regni debere filiæ suæ uxori Ducis Burgundiæ ratione patris sui, qui prædicti Regni & jurium & pertinentiarum ejusdem saisitus mortuus fuerat & vestitus. Simili etiam & per eamdem rationem Regina JOHANNA Ebroïcensis uxor CAROLI Regis dicebat illud eidem filiæ suæ ratione patris sui, qui inter ceteros ultimus prædicti Regni jurium & pertinentiarium mortuus fuerat saisitus & vestitus, fortiori ratione deberi. Hinc & inde multis altercationibus habitis aliquamdiu remansit negotium in suspenso.

H. des Ministres d'Estat p. 606.

Circa fere idem tempus captus est PETRUS Remigij principalis Thesaurarius CAROLI Regis ultimò defuncti. Nam cùm accusatus esset à multis super multimoda infideli dispensatione bonorum Regalium, pluriúmque mobilium & immobilium, itaut nonnulli & Magni assererent valorem bonorum suorum ultra duodecim & ampliùs centum millia libras ascendere mirabili depauperatione: cùmque haberet thesaurum innumerabilem, & requisitus esset de villicationis suæ sibi commissæ reddenda ratione, cùm non haberet quid convenienter responderet, adjudicatus est ad suspendendum. Qui cùm esset ad patibulum juxta Parisius, confessus est proditionem fecisse Regi & Regno in Vasconia; unde & propter hanc confessionem ad caudam quadrigæ quæ eum ad patibulum portaverat ap-

plicatus *, statim de paruo patibulo usque ad magnum patibulum, quod ipse novum fieri fecerat, modúmque faciendi & ordinem cum magna, ut dicitur, diligentia operariis tradiderat, trahitur, & primus ibidem suspenditur. Justum enim judicium est, laborantem de laborum suorum fructibus aliquid percipere. Suspensus est autem xxv. die Aprilis quæ fuit dies beati Marci Evangelistæ, quod fuit anno MCCCXXVIII. licèt ejus captio fuisset anno XXVII. aliquantulum post mortem Caroli Regis.

* alligatus

Circa finem istius anni die scilicet Veneris Sancti *, quæ tunc fuit prima dies Mensis Aprilis, Regina JOHANNA uxor nuper CAROLI Regis apud nemus Vicenarum peperit femellam; & cùm mulier ad dignitatem Regiam non ascendat, PHILIPPUS Comes Valesij qui dicebatur Regens de cetero dictus est Rex. Unde apparet liquidè quòd recta linea Regum Franciæ defecit in isto, & translatus * est ad lineam transversalem; iste enim Philippus nunc Rex, fuit filius CAROLI Comitis Valesij, qui Carolus Comes erat avunculus Caroli Regis ultimò defuncti, & ita iste Philippus priùs dictus Regens modò verò Rex, solùm erat germanus Caroli Regis, & ita à germano ad germanum translatùm est Regnum in linea transversali.

* sancta

* translatum est Regnum

PHILIPPUS VALESIUS MCCCXXVIII.

Hoc anno aliquantulum post Pascha LUDOVICUS Dux Bavariæ apud Mediolanum coronatus, sub conductu CASTRUTII, qui pro tunc dominabatur in civitate Lucana & plurium aliorum Guibelinorum versùs Romam proficiscitur; quod audientes cives Romani ultramodum gavisi sunt, & eidem venienti cum apparatu & ingenti gaudio occurrerunt; quem cum hymnis & canticis usque ad Ecclesiam sancti Petri tam Clerus quàm Populus perducentes, assensu omnium Imperator semper Augustus est nominatus: & sic consummato toto mysterio quod in coronatione Impera-

torum consuetum est fieri, eum ad Imperiale palatium perduxerunt. Cúmque per mensem vel circiter in civitate Romana permansisset, surrexerunt quidam filij diaboli zizaniam pessimam in horto Ecclesiæ seminantes, & dixerunt sic: Ex quo Deus dedit nobis & civitati Romanæ, quæ ab antiquo dicitur & est caput totius mundi, * unum caput scilicet Imperatorem in brachio potentiæ suæ temporaliter nos & civitatem nostram immo & totum mundum defendi & tueri, bonum est & omnino expedit quòd habeamus & caput aliud quod in sede sancti PETRI resideat, & more prudentium * Patrum nobis spiritualia ministret, maximè ut ipsi dicebant, quòd ipsi habebant chartas authenticas & prudentium * Patrum Sanctorum auctoritate factas, in quibus contineri videbatur, quòd ubi Papa sufficienter requisitus per cives & populum Romanorum nollet vel differret ad sedem sancti Petri accedere, ex hoc Canonicos sancti Petri & sancti Johannis Lateranensis devoluebatur potestas & auctoritas Papalis * alium eligendi. Quod verbum toti populo placuit, & sic ad electionem alterius Papæ processerunt, & quemdam fratrem Minorem qui dicebatur Frater PETRUS Rainalutij unanimiter licèt nequiter elegerunt, & electum consecraverunt, & in Cathedra sancti Petri honorificè quomodò solitum est aliis Papis antiquitus fieri posuerunt. Qui sic introductus aliquos apud se Cardinales ordinavit, & fere quotquot fuerunt per eum ordinati erant de ordinibus Mendicantium, & omnes Guibellini, unde & ille qui proposuit verbum de illius electione dicitur fuisse de ordine Fratrum Minorum sancti Augustini. Asserunt tamen nonnulli quòd hujusmodi non Papæ sed Antipapæ electio de LUDOVICI Ducis assensu & conscientia non processit, sed nequiens tumultuationem tumultuantis populi sedare, quod voluit populus facere, necessitate magis quàm voluntate compulsus toleravit. Dictus verò Antipapa, qui priùs dicebatur Frater Petrus, vocavit se NICOLAUM quintum; cui aliquæ civitates Italiæ

Guibelinæ

* per unum
* præcedentium
* præcedentium
* Papam

Guibelinæ & terra Ducis Bavariæ in ſpiritualibus obediebant. Cùm verò dictus Antipapa & Bavarus aliquamdiu in civitate Romana reſediſſent, & importabiles expenſas quotidie ſuper civitatem facerent, nec plus poſſet nec vellet eos populus Romanus tolerare, neceſſariò compulſi ſunt de civitate exire, & hinc inde per civitates Italiæ evagari.

Circa iſta tempora Papa JOHANNES fratrem MICHAELEM Generalem totius Ordinis Fratrum Minorum ad ſe evocat in Avinione tunc temporis exiſtentem, eidem in virtute ſanctæ obedientiæ præcipiens, ut ea quæ circa declarationem Regulæ eorum, & maximè ea quæ de paupertate Evangelica ipſe tenenda præceperat, ipſe firmiter obſervaret, & ſibi ſubditis inviolabiliter obſervari præciperet; qui ſibi ſuper his, ut fertur, ſatis arroganter reſpondit. Verumtamen finaliter ſuper his hujuſmodi reſponſionis deliberatione octo dierum inducias impetravit, ſed durante induciarum tempore non expectans tempus ad ſibi reſpondendum præfixum, ipſe cum quodam fratre dicto Bonagratia, qui in Curia Romana nuper optimus Advocatus fuerat, & cum quodam dicto fratre Franciſco Doctore in Theologia, clàm de nocte fugit, & mare Marſiliæ cum ſuis intravit: poſt quem Papa Cardinalem de Arrebleyo ut caperetur miſit, ſed cùm jam mare intraſſet in vanum laboravit. Qui frater Michael, ut dicitur, uſque Januam navigavit, & de Janua verſùs Antipapam & Bavarum ſe transferens, ſe eorum, ut fertur, contubernio ſociavit. Papa verò contra prædictos generaliter ſcilicet Bavarum, Antipapam & Fratrem Michaelem prædictum, & contra quemlibet eorum ſpecialiter multos proceſſus fecit, & eos finaliter tamquam hæreticos condemnavit, fratrémque Michaelem ab adminiſtratione Generalis Ordinis depoſuit, & fratribus Ordinis præcepit quatinus providerent ſe de alio Generali. Sed ſuper his & aliis gravaminibus ſibi, ut dicebatur, per Papam factis frater dictus Michael cum ſuis complicibus à Papa

non bene consulto ad Papam * dicitur appellasse. * meliùs consultum.

Rex Franciæ cum Baronibus suis tractatum habuit super ordinatione Regni Navarræ & Comitatus Campaniæ, & convocatis plurimis Nobilibus de Regno Navarræ, de eorum voluntate & assensu, hoc approbante Procerum Francorum consilio, restituit Rex dictum Regnum & dignitatem Regiam PHILIPPO Comiti Ebroicensi, ratione uxoris suæ, cui de jure Regnum debebatur, cùm esset filia LUDOVICI primogeniti JOHANNÆ Reginæ Navarræ quondam uxoris PHILIPPI Pulcri; ratione verò Comitatus Campaniæ, in Comitatu Marchiæ juxta civitatem Angolismensem alios redditus assignavit. In hoc autem facto Rex principium Regni sui mirificè decoravit, qui à rectitudine justitiæ incipiens non solùm in aliis & de aliis, sed etiam de seipso exhibuit justitiæ complementum.

Circa istud tempus Comes Flandriæ suo domino Regi Franciæ sicut debebat fecit homagium: quo facto Comes * dicto Regi plurium * subditorum suorum & maximè de Brugis, de Ypra & de Casello, & de pluribus aliis locis intolerabiles extorsiones exposuit *. Et quòd ipsæ tantæ potestatis non esset quòd solus posset eorum maliciis obviare & rebellionis materiam extirpare; Unde & sibi à dicto Rege fieri auxilium humiliter supplicavit; quod Rex libenter annuit, sed quando & quo tempore hoc fieret, cùm tempus hyemis instaret, & ipse & Barones sui improvisi essent, sub deliberatione sui consilij determinandum dereliquit. Interim verò pro coronatione Regis & Reginæ Remis fiebat maximus apparatus, itaut pro tunc non esset memoria aliquorum, quòd in Regno fuisset talis vel tantus apparatus factus, & duravit festum coronationis per quindecim dies continuos. Coronatus verò Rex est cum Regina uxore sua Remis per manum Archiepiscopi Remensis, domini videlicet GUILLERMI de Tria, dominica die in festo sanctæ Trinitatis. Statim post coronationem suam Rex cum suis

* vale.
* pluribus.
* imposuit.

Baronibus ſuper facto Flammingorum tractatum habuit, an videlicet eodem anno illuc ire ad pugnam contra eos ut contra rebelles & hactenus incorrigibiles expediret, vel differre uſque ad annum ſequentem. Cúmque plurimi * & majoris partis eſſet ſententia, ut dicitur, expedientius eſſe differre uſque ad annum ſequentem, & hoc quia, ut dicebant, antequam Rex & Barones ſui parati eſſent, & antequam eſſent parata ea quæ tanto exercitui erant neceſſaria, tempus propter inſtantem hyemem eſſe omnimodè ad præliandum inaptum. Quod verbum dicitur multum diſplicuiſſe Regi, cùm haberet propoſitum firmatum illic ire; unde auditâ iſtorum ſententiâ domino GALTHERO de Crecyaco pro tunc Regni Franciæ Coneſtabulario, viro in armis ſtrenuo & probato fertur dixiſſe: Et vos Coneſtabularis quid ſuper hoc dicitis? qui licèt plurimùm renuens dicitur reſpondiſſe: Semper bonum tempus inveniunt qui bonum cor habent. Quod Rex audiens gaviſus valde eſt, ſurgens amplexatus eſt eum, dicens: Qui me diligit me ſequatur. Unde & ſtatim proclamatum eſt, ut omnes in feſto Magdelenæ eſſent apud Attrebatum parati ad pugnam. Unuſquiſque aliarum civitatum & locorum inſignium non ſe paraverunt ad prælium, quia datâ ob hoc Regi pecuniâ in ſuis locis & civitatibus reſederunt.

* plurimorum

Rex de coronatione ſua rediens viſitato priùs beato Dionyſio Patrono ſuo, Pariſius cum magno honore recipitur, & Eccleſia Cathedrali beatæ MARIÆ devotè viſitata Regale Palatium Pariſienſe ingreditur, ubi parato Regali convivio à ſui Regni Primoribus, ut Rex magnificus magnificè honoratur. Interim verò Pariſius cum aliquot diebus perſiſteret, & de Regni negociis maximè de Flandrenſi itinere cum ſuis diſponeret, ipſe mane ſurgens Pariſienſes Eccleſias devotè cum paucis ſecum aſſumptis viſitabat, & maximè pauperes domus Dei, unde & dicitur plurimùm eorumdem pauperum manus oſculatus fuiſſe, & cibos manu propria eiſdem porrexiſſe, & multa eiſdem & domui

elemosynarum & pietatis opera impendisse. Peractis verò aliquibus diebus, Rex interim apud sanctum Dionysium revertitur; & extractis corporibus beatorum Martyrum Dionysij, Rustici & Eleutherij de locis propriis ubi positi requiescunt, capucio & cucupha depositis, usque ad eorum altare propriis manibus vectavit, & ibidem ea devotissimè collocavit, per ipsum juxta posito corpori* beati Ludovici, & auditâ Missâ ab Abbate sancti Dionysij super altare sanctorum Martyrum solemniter celebratâ, vexillum quod Auriflammeum dicitur, ab eodem Abbate super dictum altare benedictum in præsentia Prælatorum & Baronum de ejusdem Abbatis manu recepit & domino Miloni de Nucherico, viro utique in cunctis bonis actionibus strenuo & probato, ad portandum tradidit & servandum. Quibus strenuè peractis Rex sanctorum Martyrum corpora propriis manibus usque ad cryptam eorum reportavit devotissimè; & quod nullum prædecessorum legimus antea fecisse, ipse etiam personaliter cryptam eorumdem intravit humiliter non sine lachrymis ut notabiliter videri potuit, implorans auxilium quorum patrocinio post Deum & beatam MARIAM indubitanter sperabat de adversariis suis obtinere victoriam. Die verò sequenti post sumptionem sacri vexilli Rex iter suum versùs Flandriam egreditur*, & expectans aliquandiu Baronum suorum exercitus, multis aliis ad ejus auxilium continuè affluentibus, transiens Attrebatum derelictis paludibus, qui aliquamdiu prædecessorum suorum aliqualiter fuerant occasio scandali & ruinæ, versùs castrum Flammingorum quod dicitur Casellum iter arripuit, fixísque contra dictum castrum tentoriis, terras circumquaque deprædantes * multipliciter devastavit. Flammingi verò Regis & ejus exercitus adventum sentientes se properanter ad prælium paraverunt. In dicto verò castro in Regis & totius Francorum exercitus derisum & subsannationem in quodam eminenti loco posuerant Flammingi quemdam gallum permaximum de tela tincta, dicentes:

* corpore

* aggreditur

* deprædans

Quando gallus iſte cantabit, Rex Caſellum capiet vi armorum; unde & gallicè in gallo ſcriptum erat: *Quand ce coq chanté aura, le Roy Caſſel conqueſtra.* Volentes per hoc aſtruere caſtrum prædictum nullo tempore capiendum. Unde & ſubſannantes Regi dicebant eum & vocabant Regem inventum; ſed ut in proceſſu apparere poterit, in malum ſuum prophetaverunt, bene enim invenit eos, & melius eis fuiſſet eſſe perditum quàm totaliter inventum.

Hoc eodem tempore domnus Papa decimam biennalem priùs CAROLO Regi defuncto *, Philippo Regi modo conſimili ut Carolo noviter confirmavit. Hoc eodem anno pacificati ſunt Scoti & Anglici, qui à multis temporibus fuerant inter ſe diſcordantes, ſub hac, ut dicitur, forma: Quòd filius Regis Scotiæ haberet ſororem novi Regis Angliæ in uxorem, & quòd de cetero Rex Scotiæ, ut dicitur, teneretur juvare Regem Angliæ in omnibus guerris ſuis, excepto ſolo Rege Franciæ. Hoc eodem anno moritur vir nobilis & in armis potens & ſtrenuus dominus JOHANNES Dux Calabriæ, unicúſque filius Regis Siciliæ ROBERTI, principalis Capitaneus totius Guelfæ in Italia. Hoc eodem anno menſe Septembri fuit in Italia magnus terræ motus, & maximè circa civitatem Peruſij, & circa adjacentia loca, itaut illius terræ aliqua funditus pro parte caſtra corruerint. Unde & in Francia in principio Octobris, & directè in vigilia beati Dionyſij, & in octabis, venti permaximi fuerunt, itaut aliquæ domus & aliqua pinnacula corruerint, & maximè pinnaculum ſancti Petri de Calvomonte in territorio Balgaſſini *.

* permiſſam.

* *f.* Vulcaſſini.

Hoc eodem anno affixæ ſunt clam & de nocte quædam litteræ apertæ in valuis beatæ Mariæ Pariſius, & in Eccleſiis Minorum & Prædicatorum, ex parte Bavari & Antipapæ, & etiam Michaelis nuper Generalis Ordinis Fratrum Minorum; in quibus continebantur multa nefanda contra domnum Johannem Papam, aſſerentes eum hæreticum & ab Eccleſia præciſum,

maximè quia paupertatem Evangelicam quam CHRISTUS & Apostoli tenuerant & viventes docuerant, nitebatur destruere, ut dicebant, & ob hoc Concilium generale per dictum Antipapam & Bavarum in civitate Mediolanensi celebrandum convocabant. Quasdam etiam litteras clausas Episcopo Parisiensi & Universitati mittebant; & quoniam eis suspectæ erant, habita deliberatione super his, easdem clausas domno Summo Pontifici remiserunt, expectantes quid super his esset ordinandum.

In vigilia beati Bartholomæi Apostoli post prandium cùm Rex vellet more solito sopori aliquantulum inclinari, Marescaliæ & aliis exercitus custodiis hinc & inde dispersis, post aliqualem * Paletationem factam cum Bidaldis prope Cassellum, Bidaldis fugientibus, sicut solet, aliquantula commotio in exercitu Francorum habetur & statim sedatur: quo facto statim pòst nullo clamore præmisso, & ecce exercitus Flammingorum juxta Casellum collectus quasi in modum cunei prorupit tendens in quantum poterat directè versùs tentorium Regis; & cùm jam bene infra * tentoria Francorum positi essent, & Regis tentorium multum appropinquarent, nullúmque ex ore suo dicerent verbum, sempérque ante se incederent, credebant Franci non inimicos esse sed potiùs aliquos extraneos qui ad Regis auxilium incederent, & ab aliquibus dominis immiterentur; unde & quidam nobilis Miles dictus REGINALDUS de Lor credens eos de Franciæ exercitu, volens eos ut amicos licèt perturbantes quietem exercitus corripere, ab eis in via occiditur; & ecce subitò in exercitu Franciæ clamor attollitur, & ad arma clamatur. Primus verò qui hoc Regi volenti quiescere nunciavit, fuit unus frater Prædicator Regis Confessor, cùm omnes alij dormirent vel stupefacti essent, & * se citiùs quàm poterant armabant. Cúmque Rex super hoc esset incredulus, & nuntianti Fratri nollet acquiescere, videns eum quòd Clericus vel Sacerdos esset, & quòd non ita esset, sed

* *lex Gall. Paleteis.*

* pene intra.

* vel se armarent.

quia territus hoc diceret, illo contrariò affirmante firmiter ita esse, & inimicos Flammingos jam propè esse. Cúmque sic verbis ad invicem contenderent Rex & Frater, ecce dominus MILO de Nucheriis Regis vexillifer tentorium Regis ingreditur, & confirmans verbum Fratris, de se armando velociter exhortatur. Quo audito Rex ad arma cucurrit, sed qui eum armarent armigerum vel militem non habebat cùm * non
unusquisque ad arma curreret, & de se salvando cogitaret; sed soli eum suæ Capellæ Capellani & Clerici armaverunt. quo armato licet minùs completè quàm deberet, Rex ascenso equo cum paucis de suis, eis obviàm de fronte voluit incedere, sed dictus de Nucheriis Regis vexillifer in armis doctissimus eum duxit per viam à latere, dicens non esse tutum eis frontaliter obviare. Et ecce interim cùm Rex per devium cum suis paucis deducitur, visis Regalibus insigniis totus equestris exercitus, multis peditum fugientibus, ad eum quasi unus homo congregatur. Quod perpendentes Flammingi statim se in uno globo quasi involuto posuerunt; cúmque aliquandiu hinc inde concertarent, nec dividi possent cùm omnes pedites essent, uterentur etiam fortissimis & acutissimis baculis quos equorum pectoribus apponebant; finaliter tamen equorum & equitantium potentia sunt divisi, & quasi in momento occisi. Cúmque eorum nonnulli vellent fugæ præsidio se salvare, habuerunt obviàm Comitem Hanoniæ cum toto suo exercitu,* quasi leo super fugientes ir- *qui
ruens fere omnes in momento trucidavit; & sic illis mortuis cessit victoria Regi & Franciscis. De Franciscis verò pauci sunt mortui, itaut numerus mortuorum in ipso conflictu ultra decem & septem personas tam nobilium quàm ignobilium non excederet,* equorum *at
permaximus numerus. De Flammingis verò morientibus satis dissimili * est loquendum, nam morientium * modo
in loco ubi conflictus habitus fuerat numerus XI.[m] V.[c] XLVII.* exceptis his qui per diverticula fugientes fue- * 11547.
runt occisi hinc & inde miserabiliter, unde & suspica-

batur numerus occiſorum tam in loco conflictûs quàm
*18800. extra per diverticula xx.[m] cc.[c] minùs *, ſicut Rex
Franciæ teſtificatus fuit per ſuas ſigillatas litteras ſuper
hoc Abbati ſancti Dionyſij directas, quas vidi. Rex
verò hac habitâ victoriâ, tentorium ingreſſus ante-
quam arma deponeret præcepit ſolemniter cantari *Te
Deum Laudamus*; quo finito incœpta eſt antiphona
beatæ MARIÆ & poſt Antiphonam beatæ MARIÆ
antiphona beati Dionyſij, de victoria ſibi & ſuis nihil
attribuens, ſed potiùs Deo, beatæ MARIÆ & Sanctis
Martyribus, qui per eorum miniſterium hoc operati ſunt
opus. Unde ſæpe & ſæpius Rex poſtea teſtificatus eſt, &
non ſolùm ipſe, ſed & omnes qui in prædicto prælio fue-
runt hoc idem adſerunt, quòd in hoc facto non fuit opus
hominis ſed Dei, qui in hac die voluit malignorum
*deprimere ſuperbiam deponere *, & Regem ad eos in humilitate
& juſtitia accedentem exaltare, & coronam Franciæ
per eos vilipenſam & contemptui habitam, contra eos
per orationem beatæ MARIÆ & Sanctorum Marty-
rum protegere & tueri.

Conſummato verò ad honorem Dei & Regni Fran-
ciæ de adverſariis triumpho, poſitus eſt ignis in caſtro
Caſſelli & funditus eſt deſtructum. Quo facto Rex
cum exercitu versùs Ypram iter arripuit, & aliquantu-
lum diſtanter à terra tentoria fixit; quod videntes illi
de Ypra, quæ pacis ſunt conferentes, ad Regem hu-
militer acceſſerunt, petentes recipi ad miſericordiam
ſalva vita & patria; ſed Rex noluit, niſi totaliter ad
voluntatem ſuam ſe obligarent, quod & factum eſt:
Et ita Rege extra villam remanente de præcepto Regis
dominus de Nucheriis ingreſſus eſt villam cum multi-
tudine armatorum. Cùmque ſuper tractatu pacis eſſet
inter ſe invicem magna diſcordia, & inter eas gentes
quæ ex parte Regis dirigebantur; tamen finaliter con-
cordatum eſt, quòd quingenti de villa quos Rex vellet
accipere, traderentur in hoſtagium & Pariſius duceren-
tur, omnes conſpiratores contra Regem & Comitem
& etiam eorum complices uſque ad Regis revocatio-
nem

nem bannirentur, fortalitia verò funditus destruerentur. In hac verò pace quidam Sacerdos de villa nullatenus concordabat, sed Yprenses à concordia quantùm poterat & obedientia Regis revocabat, & jam multos de villa à bono proposito retrahebat; quod audientes qui ex parte Regis directi fuerant, statim contra eum arma moverunt, quem fugientem ad quamdam domum de villa fortissimam cùm quasi quatuordecim sibi fatuè adhærentibus, ipsum & domum pariter combusserunt. Cives verò Brugenses datis de villa mille hostagiis, voluntati Regis se penitus subjecerunt. Tota verò Flandria jam quasi quietata & sub obedientia Regis posita, Rex in præsentia Baronum convocari fecit coram se Comitem Flandriæ, cui fertur sic dixisse: *Comes, ad requestam vestram huc veni, & fortè quia negligens fuistis de justitia facienda, ut tamen vos scitis, venire non potui sine * & meorum maximis* * meis. *expensis & laboribus; ecce de liberalitate totam terram vestram quietam & pacificam vobis restituo, expensas condono; sed de cetero caveatis nè propter defectum justitiæ oporteat me redire, scientes quòd si ob defectum vestrum rediero, non ad vestram sed ad meam utilitatem redibo.* Et sic quibusdam dimissis de suis ad auxilium Comitis, Rex reversus est ad Franciam victor.

Comes verò memor verbi Regis in Flandria remanens, de conspiratoribus & malefactoribus diligenter investigans, infra tres menses vel circiter de eis, ut dicitur, diversis mortis generibus fere decem millia extirpavit. Rex verò in Francia existens beatum Dionysium penitus * devotè & humiliter visitavit, & po- * primitus. stea ivit Carnotum *, & Ecclesiam beatæ MARIÆ * Parisios. ingressus, coram imagine eisdem armis quibus in bello armatus fuerat se armari *, & super equum cui existenti * fecit. in bello insederat ascensus, beatæ MARIÆ, cui se hoc in belli periculo facturus * donaverat, Ecclesiæ * facturum donaverat. ejusdem arma & equum deferens devotissimè præsentavit, eidem de tanti evasione periculi gratias agens. Cúmque Comes Flandriæ conspiratores & malefacto-

res diligenter, ut prædictum eſt, inquireret; quidam dictus GUILLERMUS Decani de Brugis, qui totius conſpirationis contra bonum pacis & patris cauſa movens & principalis fuerat, ſibiipſi non immeritò timens, ad Ducem Brabantiæ fugit petens ab eo auxilium contra Comitem Flandriæ, qui, ut aſſerebat, multos bonos & probos viros de Flandria morti & ſine cauſa inhumaniter tradiderat, nec adhuc, ut dicebat, deſiſtere proponebat, promittens Duci ſi hoc vellet facere, equos, arma & pecuniam. Cui Dux ſuper hoc deliberatione habita dicitur reſpondiſſe, ſe hoc ſine Regis Franciæ conſilio & aſſenſu nullatenus velle facere, ſed primitus ipſum & gentes ſuas ad Regem mitteret, & de facto quod petebat auxilium * Regis conſilium ordinaret. Qui Guillermus captus ad laqueum quem tetenderat ſub tuta cuſtodia ad Regem Pariſius adducitur, & inquiſitus de vita & regimine ad duriſſimam mortem adjudicatur; qui * enim in pilorio vertitur, & deinde ambæ manus ſcinduntur, & in rota eminenti ligatus ponitur pugnis abſciſis ante eum ad circumferentiam rotæ pendentibus; cùm verò morti videretur jam proximus ob nimiam ſanguinis effuſionem, deponitur & ſequenti die tractus ad caudam quadrigæ ipſe cum ſuis pugnis abſciſis in magno patibulo ſuſpenditur, laborum ſuorum mercedem recipiens per duos dies ante Natale Domini.

* ſecundùm.

* priùs.

Hoc anno circa medium menſis Octobris CLEMENTIA uxor quondam Regis LUDOVICI primogeniti Regis PHILIPPI Pulcri Pariſius moritur, & in Eccleſia Fratrum Prædicatorum Pariſius ſepelitur. Hoc eodem anno JOHANNES dictus de Cherchemont Pictavienſis diœceſis & Cancellarius Regis Franciæ, vir utique in ſæcularibus negotiis hujus mundi peritiſſimus, in curiis Regis & Papæ præſtantiſſimus, utpotè apud omnes potens opere & ſermone, ſed in victu delicatiſſimus, & in exteriori geſtu ſecundùm quod apparere poterat ſuperbiſſimus fere judicio omnium meditatus *; cùm vellet quamdam

* judicatus

Capellam Canonicorum in loco ubi natus fuerat ædificatam visitare, magis, ut creditur, inter suos, quòd natus esset de humili plebe, magnitudinem nominis & potentiæ suæ volens ostendere, quàm Deum in hujusmodi facto honorare; statim ut diœcesim & territorium Pictaviense ubi multùm honoris & gloriæ mundanæ se indubitanter accipere credebat ingreditur, nemini loquens morte subitanea suffocatus est. Sigillum verò Regis quod super se gestabat ad Regem misit, corpus verò ad Capellam quam ædificaverat defertur, ubi per Pictaviensem Episcopum qui tunc præsens aderat tumulatur.

Hoc eodem anno Rex misit in Angliam ad Regem nuntios scilicet Magistrum PETRUM Rogerij Abbatem Fiscanensem, Doctorem in Theologia, virum summæ memoriæ & ultra modum communem hominum eloquentem cum pluribus aliis, ut eum citarent venire ad Regem pro homagio Ducatus Aquitaniæ faciendo: sed Regis Franciæ nuntij diutiùs expectantes, loqui cum Rege Angliæ nullatenus potuerunt, sed ut dicitur, cum ejus matre loquentes ineptum modo muliebri responsum acceperunt, & sic cùm haberent præfixum terminum, ad Regem Franciæ sunt reversi, quæ fecerant & audierant referentes. Hoc eodem anno & tempore Dominus Papa JOHANNES quosdam processus per Episcopum Relatensem * contra fratrem PETRUM Rainalutium factos, qui falso nomine se Papam NICOLAUM vocare faciebat, Parisius publicari fecit. In quibus continebatur quòd prædictus frater Petrus cum quadam muliere dicta Johanna Mathiæ ante ingressum Ordinis matrimonium consummaverat, & ad uxoris petitionem ut ad eam rediret secundùm legem matrimonialem pluries citatus & monitus, claves vilipendens Ecclesiæ venire contempserat, & ob hoc ipsum sicut contumacem excommunicatum virtute dictorum processuum publicè nuntiabat.

f. * Reatinensem.

Rex Franciæ cum suo Consilio deliberat utrùm

propter defectum hominis & homagij, Ducatus Aquitaniæ sibi & suo dominio debeat applicari, & accepto ex deliberatione sui Consilij, quòd non, sed solùm & durante vacationis homagij tempore supposita citatione sufficienter debita, dominus interim de terra vassalli potest facere fructus suos, usquequo vassallus ad homagium revertatur. Propter quod missi sunt in Vasconiam dominus Petrus Rogerij nuper Fiscanensis Abbas, modò verò Attrebatensis Episcopus, & vir nobilis dominus de Creduno * ut emolumenta terræ Vasconiæ ponerent in manu Regis Franciæ, usquequo Rex Angliæ de dicta terra homagium debitum fecisset: & interim ex abundanti Rex alios nuntios misit in Angliam ad Regem, ut eum citarent una vice pro omnibus super prædicto homagio faciendo, protestans quòd si hoc negligeret Rex, contra eum procederet quantùm de jure esset in talibus procedendum.

* Craon.

Circa fere ista tempora Regina peperit filium, qui statim natus moritur, & in Ecclesia Fratrum Minorum Parisius sepelitur.

MCCCXXIX.

Anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo nono, Dominicâ post festum Trinitatis Rex Angliæ cum suis deliberatione præhabita, cum paucis, ut dicitur, mare transiens venit Ambianis ubi Rex Franciæ tunc præsens erat pro homagio ducatus Aquitaniæ faciendo. Sed cùm Rex Angliæ magna parte illius per patrem Regis Franciæ dominum videlicet Carolum quondam Comitem Valesij spoliatum se diceret, & in sui & Regis Angliæ præjudicium ad dominium Regni Franciæ applicatum esse diceret minùs justè; dicebat ad dictum homagium non teneri, nisi ipso de tota terra priùs in integrum restituto. Cui responsum fuit, quòd pater ejus Eduardus forefecerat, & quòd Rex Franciæ per dominum avunculum suum scilicet Carolum de Valesio, & patrem Regis qui nunc est, eam jure belli justè acquisierat; quare dicebat Rex Franciæ

ſe ad reſtitutionem aliquam non teneri. Finaliter veró inter eos concordatum eſt, quòd Rex Angliæ homagium faceret Regi Franciæ de Ducatu Aquitaniæ pro portione quam tenebat, remanente parte acquiſita Regi Franciæ, & ſi in hoc Rex Angliæ ſentiret ſe in aliquo læſum eſſe, veniret ad Parlamentum Regis Franciæ Pariſius, & ſuper hoc Rex per judicium Regni ſui ſibi exhiberet Juſtitia complementum: & ſic facto homagio Rex Franciæ Belvacum revertitur, Rege Angliæ ſtatim in Angliam transfretante.

Circa iſtud tempus miſit in Franciam Rex Cypri ſolemnes nuncios, unum videlicet Archiepiſcopum cum quibuſdam aliis ad dominum Comitem Clarimontis, ut eidem* pro filio ſuo daret filiam ſuam matrimonio copulandam; gaudebat enim Rex Cypri poſteritatem de Francorum ſemine & Sanguine prorogari. Hoc eodem tempore frater PETRUS de Palude de Ordine Prædicatorum vir utique magnæ vitæ & famæ, Doctor in Theologia, Avinioni exiſtens, Patriarcha Jeroſolymitanus per Summum Pontificem ordinatur. Circa iſtud tempus Rex Franciæ miſſis in Flandria ad hoc ſolemnibus nunciis, domino ſcilicet JOHANNE de Vienna Epiſcopo Ebroïcenſi cum multis aliis, portas de Brugis, de Ypra & de Curtraco cum fortalitiis eorum funditus deſtrui & diſrumpi fecit; quod tamen nullus prædeceſſorum ſuorum ante fecerat. Sibi & poſteris Regibus Francorum providens de remedio opportuno ad demendam ſuperbiam Flammingorum. Hoc anno dominus ROBERTUS dictus de Brus Rex Scotorum pace facta cum Anglicis, ut prædiximus, moritur, & ſucceſſit in Regno ſuo filius ejus pro eo.

* idem

Dominicâ ſecundâ Junij Epiſcopus Pariſienſis Pontificalibus inductus in Parviſio Eccleſiæ beatæ MARIÆ Pariſius coaſſiſtentibus ſibi quibuſdam Epiſcopis, convocato ad hoc Clero & populo multos proceſſus factos contra fratrem PETRUM Rainultij de Ordine Fratrum Minorum, in animæ ſuæ & multarum aliarum diſpendium ultra montes pro Papa ſe gerentem, necnon &

LUDOVICUM Regem Bavariæ,& fratrem MICHAELEM quondam Fratrum Minorum Generalem per dominum Papam depositum, & ipsorum complices, promulgavit, & in eos sicut hæreticos & ab unitate fidei Catholicæ & Ecclesiæ præcisos auctoritate Apostolica excommunicationis sententiam fulminavit. Quasdam etiam litteras per eos Parisius directas, & clam de nocte in valvis Ecclesiæ beatæ MARIÆ Parisius & in valvis Ecclesiarum Fratrum Minorum & Prædicatorum affixas, in quibus multæ blasphemiæ de domino Papa JOHANNE falsè inserebantur, tamquam manifestam hæresim ibidem auctoritate Apostolica condemnavit, & videntibus cunctis qui aderant, easdem in ignem ibi accensum projiciens concremavit. Quo sic peracto incontinenti frater HENRICUS de Semons Doctor in Theologia & Provincialis Ordinis Fratrum Minorum in præsentia omnium surrexit, & ex parte generalis eorum Capituli, quod pro tunc Parisius tenebatur, ne in aliquo viderentur falsis fratribus se favorabiles exhibere, facta, processus & excommunicationes contra Fratres prædictos Ordinis eorum per domnum Papam
Psal. 10. 7. factas, dicens hæc verba: *Fidelia omnia mandata ejus, confirmata in sæculum sæculi, facta in veritate & æquitate*; palam & publicè approbavit, depositionémque fratris Michaëlis quondam Generalis eorum Ministri per dominum Papam factam ex parte generalis eorum consilij & etiam Capituli & Ordinis, justam & laudabilem protestatus fuit, factáque Antipapæ & prædicti fratris Michaëlis, fratris etiam Bonagratia, & fratris etiam Francisci de Ordine Fratrum Minorum, & eorum si qui essent consortes vel complices tamquam falsa & hæretica, & eorum Ordini inimica & contraria reprobavit, & de eorum factis vel maleficiis Fratres & Ordinem multipliciter excusavit.

Circa principium Julij Patriarcha Jerosolymitanus unà cum Episcopo Mimatensi & nunciis Regis Cypri ducentes secum filiam Comitis Clarimontis filio Regis Cypri deponsandam, cum multis aliis peregrinis, ac-

ceptâ licentiâ à domno Papa per portum Marsiliæ ad Insulam Cypri tendunt, sperantes Domini nostri JESU CHRISTI auxilio ab illo loco usque Jerusalem transfretare, ut Dominum nostrum JESUM CHRISTUM verum Deum adorent in loco ubi steterunt pedes ejus. Hoc eodem tempore Dux Britanniæ in Ecclesia beatæ MARIÆ Carnotensi præsente Rege Franciæ PHILIPPO, ejusdem loci Epicopo Missam celebrante, sororem Comitis Flandriæ desponsavit. Hoc anno in mense Septembri Mediolanum & multæ civitates Italiæ Ecclesiastico suppositæ interdicto ad obedientiam humilem accedentes, satisfactionem debitam promittentes, siqui excommunicati erant, dominus Papa absoluit, & interdictum Ecclesiasticum amovit. Hoc anno mense Novembris circa festum beati Clementis quadam die MATILDAM Comitissam Attrebatensem matrem Reginæ JOHANNÆ de Burgundia revertentem Parisius de Sancto Germano in Laya, ubi colloquium habuerat cum Rege pro quibusdam de novo contra eam emergentibus arduis negotiis ratione Comitatus Attrebatensis, procurante domino ROBERTO Attrebatensi nepote suo, utpote filio fratris sui, scilicet domini PHILIPPI de Attrebato, dicente & adserente prædictum Comitatum ex successione patris sui deberi sibi occasione quarumdam litterarum ab eo de novo inventarum, licèt in Parlamento Parisius in præsentia PHILIPPI Pulcri Regis esset antea de contrario contra eum judicatum, in via gravis arripuit ægritudo, & infra octavum diem sequentem mortua est Parisius, & sepulta in domo Fratrum Minorum. Cui in Comitatu Attrebatensi successit Regina Johanna de Burgundia ejusdem filia.

Hoc eodem anno circa finem ejus, PHILIPPUS Comes Ebroïcensis positus super scutum ante altare in civitate Pampelonæ unà cum uxore sua, rationes cujus competebat sibi Regnum, in Regem & Reginam Navarræ unanimi consensu totius terræ Procerum & Nobilium elevantur, & inuncti more solito ibidem coro-

nantur. Circa ista tempora fuit in Episcopatu Parisiensi, in quadam villa quæ dicitur Pomponne, quidam puer octo annorum vel circiter, qui dicebatur infirmos solo verbo curare, unde & multi infirmi ex diversis partibus ad eum confluebant; unde & siquis febricitans ad eum veniret præcipiebat ei comedere pisa vel anguillam & cetera talia, quæ noscuntur omnino esse contraria sanitati. Quod Episcopus Parisiensis & sapientes perpendentes, statim eum cum sua medecina & vaticinationibus contempserunt: unde & Parisiensis Episcopus vocatis patre & matre unà cum puero evidenter cognoscens superstitiosum esse & fatuum quidquid per puerum agebatur, præcepit patri & matri sub pœna excommunicationis ne eum taliter agere permitterent, cunctisque subditis ne de cetero ad eum causâ expectandæ * sanitatis * sub pœna anathematis interdicens. Hoc eodem anno dominus GUILLERMUS de Melduno Senonensis Archiepiscopus, vir siquidem humillimus & devotus, mense Novembris moritur, & in quoddam Monasterium Regularium quod dicitur *Le Iars* prope Meldunum honorificè sepelitur. Cui in Archiepiscopatu successit Magister PETRUS Rogerij Doctor in Theologia Ordinis sancti BENEDICTI, & ex Abbate Fiscanensi factus Attrebatensis, & demum Senonensis Archiepiscopus.

* expetendæ
* accederent

Circa finem hujus anni in mense Martij LUDOVICUS Dux Bavariæ audiens mortuum FREDERICUM Ducem Austriæ, qui contra eum in Regem Alemanniæ electus, & contra juramentum suum in præjudicium Bavari Regem Alemanniæ, omissa fidelitate quam promiserat publicè se nominans, partem Bavari contrariam sustinebat, de Italia in Alemanniam se retraxit; ubi dicitur multorum Nobilium & Majorum Alemanniæ auxilium impetrasse ad procuranda jura Imperij & tuenda. Interim autem Bavaro stante in Alemannia Antipapa non multùm audebat se ostendere, sed clam hîc & ibi ubi poterat cum suis falsis Cardinalibus & fratre Michaële quondam Ordinis Fratrum Minorum

Generali

Generali & quibusdam aliis excommunicatis & condemnatis de hæresi falsis fratribus Minoribus latitabat.

Circa ista tempora adductus est Avinioni quidam frater Minorum de Provincia oriundus, nomine VERANUS, qui apud Montem-Pessulanum & in aliis eorumdem locis solemnibus dicebatur fuisse Lector, ob hoc quia contra Papam dicitur publicè prædicasse; qui ad ejus adductus præsentiam nullâ sibi factâ reverentiâ, dixit sibi in facie quòd erat verus hæreticus & non Papa, & quòd pro ista veritate desiderabat mori: requisitus de causa, dixit; Quia tu destruis vel destruere niteris paupertatem Evangelicam quam Christus verbo docuit & exemplo, propter quod dictum detentus est in carcere cum quindecim aliis ejusdem Ordinis Fratribus, qui de diversis mundi partibus adducti propter sua dicta hæretica in diversis carceribus miseri detinentur.

Circa ista tempora Rex Franciæ PHILIPPUS convocavit Parisius omnes Prælatos Regni Franciæ super corrigendis excessibus Prælatorum & Officialium eorumdem. Cúmque multi casus in prædicto Consilio ex parte Regis & multorum dominorum Nobilium temporalium contra Prælatos in medio producerentur, qui jurisdictionem eorumdem multùm prope tangere viderentur, verisimiliter à nonnullis ambigebatur ut Rex ab Ecclesiis jurisdictionem intenderet amovere temporalem: quod Rex quàm citiùs perpendere potuit fecit eis responderi, quòd jura & libertates quæ Ecclesia ab antiquo habuerat, & quæ prædecessores sui & sua libertate * & magnificentia eidem contulerant, non intendebat quoquomodo minuere vel auferre, sed potiùs augmentare; sed ob hoc Concilium vocaverat, ut Officialium non solùm Ecclesiæ sed etiam Regalium corrigerentur excessus, & nominatis pluribus excessibus & etiam erroribus, monitione præmissa ut corrigerentur, * soluit Concilium abire. In Anglia EDMUNDUS avunculus juvenis Regis An-

* liberalitate.

* sivit.

gliæ asserens fratrem suum EDUARDUM Regem patrem Regis juvenis vivere, & ob hoc nolens ejus filio, vivente patre, sicut Regi legitimo obedire; insuper accusatus de proditione facta contra Regnum & Regem, ex præcepto Regis nepotis abscisso capite vitæ transmissus est perpetuæ.

Comes Hannoniæ GUILLERMUS existens in Claromonte civitate Arverniæ, missis Ambassiatoribus ad Papam, & per eos audiens ejus adventum non esse gratum Papæ, indignatus contra eum vehementer, ad propria remeavit.

MCCCXXX.

PHILIPPUS filius Regis Majoricarum vir utique nobilis, utpote de eximio genere Hispanorum, & illustri prosapia Regum Francorum, utpote cognatus germanus PHILIPPI PULCRI ex parte matris; cùm abundanti gauderet patrimonio, beneficiáque Ecclesiastica plura & pinguia in Regno ultra omnes Clericos obtineret, omnibus dimissis peditanter ut pauper quærens eleemosynas in habitu Begardorum per mundum progreditur, nec à quoquam volens aliquid accipere etiam fratre vel sorore, nisi sibi pietatis intuitu & titulo eleemosynæ concedatur. In Lombardia homines Cardinalis de Pogeto ex parte domni Papæ ibidem Legati in mense Junij cum Guibelinis congrediuntur ad bellum, & vincuntur ab eis, vivi aliqui capiuntur, sed major pars occiditur. Circa medium istius mensis Regi Franciæ ex uxore sua sorore Ducis Burgundiæ nascitur filius cui nomen imponitur LUDOVICUS, propter quem Rex Franciæ ad sanctum LUDOVICUM de Marsilia ipsius Regis ex parte matris avunculum peregrè profectus est, sed hoc nonobstante puer quintadecima die ab ortu suo moritur, & in Ecclesia Fratrum Minorum Parisius sepelitur. Rex verò de Marsilia revertens ubi peregrè profectus fuerat, domnum Papam humiliter & devotè visitavit, & ab eodem honorificè susceptus sumpto secum convi-

vio ad propria remeavit. In ſecunda Dominica menſis Auguſti iſtius anni proceſſus facti contra Bavarum & Antipapam & eorum complices Pariſius auctoritate Apoſtolica repetuntur.

In XXIII. die menſis Auguſti Antipapa in habitu ſæculari propter timorem vulgi non audens in proprio apparere habitu, Avinionem ingreditur, & die ſequenti poſito ſibi pulpito ut eminenter & evidenter ab omnibus poſſet videri, domno Papæ & Cardinalibus * in Conſiſtorio Fratrum Minorum exiſtens ha- *f.* * conſi-
bitu, præſentatur, & aſcendens pulpitum ſumpto the- dentibus, in
mate: *Pater peccavi in cælum & coram te*; & pro * the- *Luc* 15. 18.
* altero.
mate: *Erravi ſicut ovis quæ periit, require ſeruum tuum*; *Pſal.* 118.
multos confitens & enumerans errores in quibus ipſe 176.
inciderat, & multos in periculum animæ ſuæ aberrare fecerat, omni venia ſe ſe indignum judicans, & omnem pœnam in comparatione errorum ſuorum tamquam arenam & quaſi nihil eſſe aſſerens, nihilominùs ad gremium veniens Eccleſiæ veniam humiliter precabatur, aſſerens, & domnum Papam ſuper hoc teſtem invocans, cui ſuper hoc ut dicebat, (& domnus Papa ſuper hoc teſtimonium perhibebat) quòd per unum annum ante & quatuor menſes ſcripſerat ſe voluiſſe citiùs ad Eccleſiæ obedientiam redire, ſed malignorum Guibelinorum & aliorum multorum detentus violentia, quæ jam diu ante bonum propoſitum conceperat, pro voluntate ſua citiùs non potuerat deducere ad effectum. Dominus Papa ipſo deſcenſo de pulpito partem ſui thematis reſumens, videlicet: *Require ſeruum tuum*; priùſquàm * multa de erroribus * cùm priùs
ſuis & de errorum periculis prædicaſſet, nihilominùs tamen ſubjunxit ovem errabundam non eſſe morſibus luporum imponendam, vel omnino ut abjectam inter pericula dimittendam, ſed diligenter requirendam, & requiſitam ac inventam ſuper humeros repoſitam ad ceterarum caules ovium reducendam. Quibus dictis dictus Antipapa ad pedes domini Papæ fune in collo poſito cum lacrymis veniam poſtulans humiliter ſe

proſtravit; dominus verò Papa funem de ejus collo deponens, primò eum recepit ad oſculum pedis, deinde manus, tertio oris; & de hoc mirati ſunt multi; & *Te Deum Laudamus* incipiens Cardinalibus & aliis aſſiſtentibus ſubſequentibus, Deo cum toto Clero & populo celebratis Miſſarum ſolemniis gratias egit, qui hac die tantum & tam opprobroſum & intolerabile malum contrito ſub pedibus Eccleſiæ ſuæ ſanctæ patre & capite totius diſſenſionis diabolo, ab unitate Eccleſiæ * extirpavit: & hoc idem dominus per univerſalem * per ſuas bullas fieri demandavit, dictum verò Antipapam in quadam camera juxta domum Cambellani ſui poni præcepit, uſquequo pleniùs deliberaſſet quid ſuper his eſſet facturus.

* ſchiſma.
* Eccleſiam

Circa medium menſis Septembris Rex Hiſpaniæ & Arragoniæ cum Sarracenis in Regno Granatæ congrediuntur, & Deo favente ceſſit victoria Chriſtianis, ex Paganorum ſex millibus equitum & decem millibus peditum interemptis, & multis cum hoc captis. Prima die Novembris in toto Regno Franciæ una hora & die de mandato domni Papæ capti ſunt omnes fratres Hoſpitales de Altopaſſu cum omnibus bonis, quia litteris & indulgentiis abutebantur Apoſtolicis, & plura in ſuis litteris quæ vidimus nominanter continebantur, quàm in bullis principalibus; & idcirco in diverſis carceribus Epiſcoporum ſecundùm diverſas quas inhabitabant diœceſes detenti ſunt. Hoc anno in Regno Franciæ univerſaliter fuerunt vina peſſima & pauca; nam circa feſtum beati Dionyſij & modicum ante ſuperveniens gelu fortiſſimum ipſi vindemiæ licet modicæ, ita eam attrivit quòd nullo modo poſtea potuerit ad maturitatem perduci. Hoc eodem anno in menſe Novembris & in principio Decembris fuerunt quaſi continuè permaximi venti, & aquæ fluviales valde magnæ propter frequentem inundantiam pluvialem.

Hoc eodem anno in vigilia beati ANDREÆ Apoſtoli apud Londonias in Anglia dominus ROGERUS dictus

de Mortuò-Mari Miles, de quo & pro quo Regina Angliæ mater Regis Angliæ, filia quondam Regis Franciæ Philippi Pulcri à multis multipliciter fuerat diffamata, ob hoc quòd eidem Militi ut exteriùs apparebat nimis familiarem se reddebat; convictus de conspiratione facta contra Regem & Regnum Angliæ, ipsa Regina totius facti complice & conscia ut dicebatur, per civitatem ad caudas equorum tractus proditiones & maleficia confessus est, & maximè de procuratione* Regis Eduardi patris istius Regis, usque ad patibulum tractus suspenditur, filio ipsius in carcere remanente usquequo Rex & Barones super hoc pleniùs ordinassent. Propter quod ipsa Regina de mandato sui filij Regis & Baronum in quodam castro sub tuta custodia detinetur. Hoc eodem anno quarta die Januarij domnus Papa Avenioni existens fecit Consistorium publicum, ubi recitati sunt processus facti contra Bavarum & ejus fautores, & contra Magistrum Michaëlem quondam Generalem Ordinis Fratrum Minorum, & contra alium ejusdem Ordinis fratrem dictum Bonagratia, & plures alios. Et quoniam audiverat Papa quòd Bavarus quamdam convocationem Baronum & Nobilium aliquorum fecerat in Alemannia, & aliam post Purificationem beatæ MARIÆ facere proponebat; idcirco monuit ipsum Bavarum de non faciendo, & omnes de non adessendo, sibíque & mandatis suis non parendo, alioquin si secùs facerent excommunicationis sententiam incurrerent ipso facto: & multas ibidem contra tales excommunicationes terribiles sublimavit. *

* mortis

* fulminavit

In festo Purificationis beatæ MARIÆ Rex Franciæ primum terminum habuit de biennali decima sibi super Gallicanam Ecclesiam à domno Papa concessa. Sarcina quædam intolerabilis quæ suo tempore Gallicanam Ecclesiam mirabiliter suffocavit, & invalescente semper avaritia meritò formidandum est ne per hoc finaliter ad nihilum reducatur, nisi Deus solus, cujus solius regimine protegitur, ei sic oppressæ subveniat

intuitu pietatis. Circa ista tempora obiit Archiepiscopus Rothomagensis, & Magister PETRUS Rogeri Monachus & Doctor in Theologia vir eloquentissimus de Episcopatu Senonensi, quem vix per annum integrum tenuerat; in Rothomagensem translatus est. Archiepiscopus Bituricensis auctoritate Apostolica translati sunt. Eodem tempore mortuus est Episcopus Noviomensis, cui dominus de Vienna Episcopus Abrincensis*; Magister verò JOHANNES Hantfune natione Normannus, procurator Regis Franciæ in Curia Romana per provisionem Apostolicam factus est Episcopus Abrincensis: ut sic multiplicato numero mutatorum, multiplicaretur in Curia Romana numerus servitiorum. Instante prædicto conflictu mutationum in Prælationibus, ut est dictum, misit dominus Papa dignitatem Episcopatus Noviomensis tunc vacantis domino GUILLERMO de Sancta-Maura Tornacensis Diœcesis Cancellario Regis Franciæ, qui tamen noluit eam acceptare; & sic eam dominus Papa contulit domino BERTRANDO fratri dicti Guillermi natione Normanno.

deest hic nonnihil

* successit

Hoc eodem anno cùm Anglici in castro Xantonensi congregati se parare ad bellum viderentur, & appareret inter Regem Franciæ & Angliæ notabilis materia dissensionis & belli; misit Rex Franciæ fratrem suum Comitem cum exercitu copioso de Alençonia, qui illuc cum exercitu veniens castrum illud fortissimum Anglicorum hactenus tutamentum & refugium funditus diruit & ad terram prostravit, licèt super hoc, ut dicitur, à Rege Franciæ mandatum non haberet. Satis citò verò pòst Rex Angliæ Franciam intravit, & pace inter se inita & Regem Franciæ facti sunt non inimici. Hoc eodem anno post inundationem pluviarum permaximam, quæ à principio Novembris incœperat & duraverat usque ad principium Martij & deinceps, * ut terræ quamplurimæ, quæ propter duritiam arari non poterant, remanerent incultæ.

f. * tanta siccitas secuta est

Circa idem tempus Rex Boëmiæ magis, ut asserunt,

causâ curiositatis & patriæ videndæ quàm alia quacumque ratione, Italiam intravit; quem videntes Italici Guibellini, & agnoscentes eum fuisse HENRICI Pij Imperatoris ultimò defuncti filium, eum cum gaudio & magno honore susceperunt, & se sibi abiugato* & Bavaro & ejus dominio cum pluribus civitatibus subdiderunt. Ab illo verò tempore multùm incœpit fortuna Bavari discurrere, & jam de eo fama pauca vel nulla currere videbatur, ipso de die descendente in diem*, Theutonicorum semper consuetudo fuerit, quòd nullum libenter sequitur cujus fortuna secunda non est. Circa ista tempora multi Nobiles, Principes, Barones & alij nobiles ac milites parabant se optantes proficisci in auxilium Christianorum in Regnum Granatæ; sed licèt ad hoc multi avido desiderio ob favorem & zelum fidei devotè moverentur, nihilominùs fraudati sunt desiderio suo. Nam Rex Hispaniæ Sarracenis treugas dederat, qui tamen totius negotij principium & caput fuerat, & per cujus terram ad Sarracenos ingressus fuerat,* & aliunde nullus esset ad eos accessus. Quas treugas dicunt multi Regem Hispaniæ coruptum pecunia concessisse.

f. * abnegato Bavaro

* cùm

* cùm

MCCCXXXI.

Hoc anno lata est Sententia in Parlamento Regis Franciæ pro Duce Burgundiæ pro Comitatu Attrebatensi, contra dominum ROBERTUM dictum de Attrebato Comitem Bellimontis in Normannia; nam litteræ quas dicebat se quasi miraculosè invenisse inventæ sunt falsæ: unde & ob hoc capta est quædam domicella quæ falsitatem fecèrat, sicut ipsamet recognovit & modum faciendi & placandi sigillum coram Rege ostendit. Ob hoc etiam captus est quidam Prædicator Confessor prædicti Roberti: dictus verò dominus Robertus licentiatus à Rege & Optimatibus cum confusione discessit. Circa istud tempus Burgundi de ultra Sonam de Comitatu videlicet Burgundiæ contra Ducem Burgundiæ rebellaverunt, nolentes ei

homagium facere, cùm tamen ratione uxoris suæ Comitatus eidem deberetur: unde utrimque facta est maxima præparatio ad bellum, & convocatio Magnorum & Potentium & Nobilium utrobique; sed antequam aliqualiter congrederentur, Rege Franciæ mediante & multis aliis Nobilibus & Potentibus prudentibus, fuit inter eos pax reformata: unde venientes ad ejus homagium, ipsum uxorémque suam per civitates, castra & fortalitia patriæ associantes, ut dominum suum proprium receperunt. Circa ista tempora Comes Fuxensis matrem suam sororem videlicet domini Roberti Attrebatensis in quodam castro incarceratam *, quia in confusionem sui totiúsque generis sui nimis effrenatê nimiam corporis sui lasciviam sequebatur; quod sine assensu & auctoritate Regis Franciæ non creditur esse factum. In Italia fuerunt hoc mense Septembris inundationes aquarum permaximæ, & similiter in Arragonia & Provincia in tantum, ut aquarum impetu multa castra & villæ dicantur ruisse. In Francia verò nihil horum vel minimè, licèt tota hyems sequens fuerit pluviosa & gelu paucum & quasi nullum.

* tenebat

Circa medium mensis Octobris quædam domicella pro facto litterarum, quas dominus Robertus Attrebatensis dicebat se miraculosè vel quasi invenisse, capitur, & quia confessa est se dictas litteras placasse de mandato dicti domini Roberti, idcirco confessione ista facta ad plateam porcorum ducitur, & præsentibus Præposito Parisiensi & multis aliis comburitur, multis tamen malis & machinationibus quamplurimis primitus, ut dicitur, confessis. His ut præmittitur ita gestis, dominus Robertus prædictus sibi ipsi meritò metuens, ad sui defensionem corporis extra metas Regni Franciæ posuit se & ad Ducem Brabantiæ cognatum suum se transtulit, dimissis uxore & filiis infra Regnum: quo audito Rex præcepit statim ut tota terra dicti domini Roberti in manu sua poneretur; & quoniam Rex nolebat contra eum procedere de facto, juris ordine prætermisso, idcirco misit Rex ad eum nuncios in Ducatu Brabantiæ,

Brabantiæ, qui eum perſonaliter citaverunt coram Rege & Paribus Regni ad certum & præfixum diem juri pariturum, & quamquam* ratione poſſet ſe de ſibi impoſitis criminibus defenſurum.

* quacumque.

Primâ Dominicâ Adventus hujus anni dominus Papa debuit publicè prædicare, quòd animæ decedentium in gratia non videant Deum per eſſentiam, nec ſint perfectè beatæ niſi poſt reſumptionem corporis: quod dictum multos ſcandaliſavit, verumtamen magis creditur hoc opinativè, quam cum aſſertione dixiſſe, quoniam ut multi & Majores aſſerunt, dictum eſt in ſe hæreticum, & qui hoc cum aſſertione diceret, non poſſet faciliter ab hæreſi excuſari; & licet in principio ſcandalum magnum de hoc fuerit, nihilominus paulativè ceſſavit in tantum ut vix de hoc mentio aliqua haberetur.

Quidam frater Prædicator Confeſſor domini Roberti prædicti ad aulam Epiſcopi Pariſienſis in præſentia aliquorum Magiſtrorum in Theologia,& præcipuè fratris PETRI de Palude tunc Patriarchæ Jeroſolymitani, & aliquorum aliorum Magiſtrorum, & præcipuè Mendicantium, & aliquorum de Secretariis Regis adducitur, & de illis falſis litteris quid & quantum ſciret diligenter interrogatur; & quoniam ibi & alibi ſemper dixerat quòd illud quod de prædictis litteris ſciebat erat ſub ſigillo Confeſſionis, & per conſequens illud non poterat nec debebat revelare, & in hoc propoſito viriliter perſiſtebat: verumtamen quia antequam in ipſorum Magiſtrorum præſentiam veniret, ipſe conſenſerat quòd ſi Magiſtri in Theologia vellent in præſentia ejus aſſerere quòd ipſe poſſet iſtud ſine peccato revelare, ipſe revelaret de litteris & earum mutatione, quando & quomodò inventæ fuerunt, edoceret; idcircò Patriarcha prædictus de Ordine Prædicatorum Doctor in Theologia aſſumpto verbo in præſentia dicti fratris Confeſſoris & omnium aliorum coaſſiſtentium, dixit quòd ipſe poterat iſtud ſine peccato vel periculo revelare, quoniam, ut di-

cebat, sola peccata sub sigillo Confessionis cadunt, & quia istud non erat peccatum, sed magis erat ad manifestationem & elucidationem veritatis & propter pacem & tranquillitatem totius Regni, & per hoc si sciretur, justitia præclarissima virtutum in Regno Franciæ fieret & etiam servaretur, & idcircò de revelatione nullum sibi periculum imminebat, imno sibi deberet pro merito compensari. Cui finienti alij assistentes Magistri consenserunt unanimiter, magis ut plurimi credunt, volentes hominibus placere quàm secundùm nominis sui professionem perhibere testimonium veritati, cùm istud sit contra doctrinam communem, quam Prædicatores reputant verissimam, & quam ipsi quotidiè defendere nituntur, quæ dicit, quòd ea quæ sub eodem contextu cum peccatis dicuntur, licet peccata non sint, sub eodem sigillo Confessionis cum peccatis habentur. Nihilominus cùm hæc doctrina ibi locum non habuerit, quia veritas ibi nullum professorem, & impletum est illud propheticum: *veritas corruit in plateis:* verumtamen hac sententia ligatus frater prædictus adserit quòd ea quæ de prædictis sciebat libenter diceret; quo audito gravisi sunt consiliarij & familiares Regis, & pacti sunt in dolo bonum verbum facere de eo cum Rege, & tunc duxerunt eum cum Patriarcha prædicto ad Capellam Episcopi juxta aulam, & ibi in præsentia eorum qui ad hoc vocati fuerant, ea quæ de prædictis litteris & earum inventione sciebat plenè revelavit. Quid tamen sigillatim dixerit non fuit vulgariter scitum, hoc tamen bene fuit vulgariter scitum, quòd facta confessione sua ipse iterum ad carcerem unde exierat reducitur, & de eo postea memoria vel mentio non habetur, & quid de eo factum fuerit penitus à communi populo ignoratur.

In mense Februarij in domo Regia quæ dicitur Lupara, coassistentibus Paribus Regni Franciæ, Rege sedente pro tribunali, unà cum multis aliis Regni Baronibus & Nobilibus, multísque Prælatis & Consi-

liariis Regni fuit prædictus dominus Robertus tertiò vocatus, quoniam hæc erat tertia dies sibi præfixa ad respondendum articulis criminalibus sibi impositis; ad quam diem personaliter non comparuit, misit tamen unum Abbatem Ordinis sancti BENEDICTI cum aliquibus Militibus sine tamen procuratorio, qui instanter rogabant Regem & Pares ceterósque judices ut ex abundanti quarta sibi dilatio concederetur, promittentes quòd infra illud tempus personaliter compareret, & de sibi impositis legitimè se purgaret. Eodem verò die in præsentia Regis & Procerum adducta fuit quædam domicella quæ multum familiaris fuerat dicto domino Roberto & uxori suæ, quæ à Francia fugerat in Brabantiam; & cùm multa ibidem detegerentur crimina contra dictum dominum Robertum & uxorem suam, quamplurima de ipsis in præsentia omnium qui aderant confessa est esse vera, uxorem tamen dicti Roberti sororem Regis Franciæ graviùs quàm dominum Robertum in ejus præsentia accusabat, & maximè de falsitate sigillationis litteræ de qua dominus Robertus fuerat accusatus. Eodem verò die negotio sic peracto, genu flexo Rex Boemiæ & JOHANNES primogenitus Regis Franciæ cum multis aliis Baronibus Regem instanter rogabant ut dicto domino Roberto quartam dilationem gratiâ concederet, & quòd ipsius bona durante termino nullatenus confiscarentur; quod Rex concessit usque ad sequentem mensem Maij de gratia speciali.

Hoc anno frater PETRUS de Palude Patriarcha Jerusalem, qui missus fuerat ad Soldanum ad sciendum utrum via posset inveniri, quâ terra sancta recuperaretur, rediens ad JOHANNEM Papam,* deinde PHILIPPO Regi Franciæ in præsentia multorum Prælatorum & Baronum relationem suam de obstinatione Soldani faciens, nimiùm voluntatem Regis & Baronum commovit, ut quasi unanimiter concordarent pro recuperatione terræ sanctæ transfretare. Quod videns Summus Pontifex ad requestam Regis

* ipsi

Franciæ mandavit & commisit Patriarchæ & omnibus aliis Prælatis, quatinus in locis suis Crucem prædicarent ac prædicari diligenter facerent, admonentes ut Crucis signatione omnes diligenter ad transfretandum se præpararent. Hoc anno quintadecima die mensis Decembris fuit eclipsis Lunæ valde magna modicum post mediam noctem, & duravit per tres horas & ampliùs, sed quia tali hora accidit, ideo à paucis fuit visa. Hoc eodem anno Philippus Rex monetam antea mutabilem valde in meliori statu posuit; nam ipse ordinavit quòd unus florenus de Florentia non valeret nisi decem solidos Parisienses, & aliæ monetæ de auro secundùm tale pretium, unus grossus Turonensis de argento novem Parisienses parvos, & parvus denarius qui valebat duos denarios reduxit ad unum; & sic res multæ quæ ante erant caræ valde quasi ad medium reducuntur.

MCCCXXXII.

Hoc anno dominus Robertus sæpe nominatus fuit bannitus per Barones Regni Franciæ, & omnia bona ejus Regi confiscata; sed adhuc ex abundanti ad preces aliquorum Magistrorum Rex noluit bannire usque ad mensem post Pascha differendum*, & sic si infra talem terminum veniret & in voluntate sua se poneret, ipse faceret ei talem gratiam qualis expediens sibi videretur, si autem non veniret omnino extorqueretur*. Hoc anno transacto termino gratioso domino Roberto de Attrebato sæpedicto à Rege concesso Parisius XIX. die mensis Martij, per omnia quadruvia principalia, tubis præcinentibus, præconibus proclamantibus, idem dominus Robertus in sua pertinacia persistens, nec ad voluntatem Regis veniens, solemniter fuit bannitus; & in auribus totius populi recitatum est quomodò per falsas litteras Comitatum Attrebatensem tentaverat obtinere, & quomodò ad respondendum super hoc & super alios quamplurimos articulos ante Regem & ante Pares Regni Franciæ pluries fuerat

* differendo.

* expelleretur.

adjornatus; & sic quia ad dies sibi super hoc assignatos non venit, nec procuratorem sufficienter fundatum pro se misit, per contumaciam fuit positus in defectu.

Hoc anno Rex PHILIPPUS apud Meldunum fecit nuptias JOHANNIS filij sui Ducis Normanniæ & filiæ JOHANNIS Regis Boëmiæ quondam HENRICI Imperatoris filij. Hoc eodem anno Philippus Rex in die sancti Michaëlis fecit Militem filium suum Johannem Parisius cum magna solemnitate & gaudio totius populi; & fuit ibi magna congregatio Magnatum, inter quos fuit Rex Boëmiæ qui erat pater uxoris novi Militis, Rex Navarræ, Dux Burgundiæ, Dux Britanniæ, Dux Lotharingiæ, Dux Brabantiæ, Dux Borbonensis cum multis aliis Nobilibus sine numero, & eodem die Rex fecit desponsari filiam suam MARIAM cum filio Ducis Brabantiæ. Eodem anno die Veneris post festum sancti Michaëlis congregatis omnibus prænominatis Principibus cum aliquibus Prælatis multisque Militibus ac notabilibus Parisius in Capella Regia, Rex fecit proponere coram omnibus quòd ipse intendebat terræ sanctæ iter arripere, & filium suum Johannem circa quartum decimum annum agentem custodem Regni dimittere, rogans eos quatinus extensis manibus ad sacrosanctas Reliquias jurarent ei obedientiam tamquam domino & heredi Regni, & si contingeret in ista via ipsum Regem decedere, quamcitiùs bono modo possent ipsum in Regem coronarent; quod omnes simul tam Prælati quàm Barones elevatis manibus ad sanctas Reliquias juraverunt, & postea quilibet per se illud idem juravit.

MCCCXXXIII.

Hoc anno die Veneris post festum sancti Michaëlis in prato * juxta Abbatiam sancti Germani de Pratis Archidiacono Rotomagensi, de commissione JOHANNIS Papæ Crucem prædicante, cum * liberatione terræ sanctæ à Sarracenis iniquè & injustè occupatæ, PHILIPPUS Rex primus, & Patriarcha Jerosolymitanus

* pro

* Clericorum

cum multis aliis magiſtris & probis perſonis Crucem aſſumpſerunt; & fuit ordinatum quatinus per totum Regnum Franciæ Crux prædicaretur, & quòd omnes Crucesignati parati eſſent ad transfretandum à menſe Auguſti tranſacto in annis tribus. Hoc eodem anno in craſtino Aſcenſionis Domini fuit eclipſis ſolis valde magna per duas horas poſt meridiem.

Hoc anno cùm prædicatio quam dominus JOHANNES Papa debuit prædicare, in qua publicè, ut ferebatur, dixerat; quod animæ decedentium, (ut dictum eſt primâ Dominicâ Adventus Domini anno milleſimo trecenteſimo trigeſimo primo) quòd inquam, animæ decendentium in gratia non vident Deum per eſſentiam, nec ſunt perfectè beatæ uſque poſt reſumptionem corporum, (quod multos ſcandaliſaverat) quaſi ſopita videretur; publicè tamen apud Avinionem ubi Papa tunc reſidebat iſtud dictum eſt à pluribus, & maximè à quibuſdam Cardinalibus ob favorem, aliis propter timorem ſummi Pontificis prædicti: nam quemdam fratrem Prædicatorum, qui contra iſtud dictum ſive errorem iſtum prædicaverat, ſtatim in carcerem fecit poni, * ut ſuſtineretur ac etiam prædicaretur.
* volens Pariſius autem * à Magiſtris & tota facultate Theologiæ reprobaretur, miſſi ſunt à latere ipſius Papæ Pariſius duo Magiſtri in Theologia, unus de Ordine Fratrum Minorum, ejuſdem Ordinis Generalis, alter de Ordine Fratrum Prædicatorum, qui ſibi in opinione ſua conſentiebant; & quamvis fingerent quòd * pro reformanda pace inter Regem Angliæ & Regem Scotiæ eſſe miſſos, apparuit tamen quòd pro alio non venerant niſi ut Magiſtros in Theologia regentes Pariſius cum aliis de Regno Franciæ ſubverterent, & ad opinionem ſuam adducerent. Sed ita per Dei gratiam non accidit; nam cùm idem generalis Miniſter eamdem quæſtionem in præſentia Scholarium quaſi infinitorum determinaret, & teneret pro concluſione, affirmando quòd animæ decedentium ſeu animæ Sanctorum non vident nec videbunt Deum viſione beatifica & glorioſa uſque ad

* cùm
* ſe

assumptionem corporum in die extremi Judicij: hoc audito magnum murmur inter Scholares auditum est, dicentes talem errorem sine punitione transire non debere. Audiens autem scandalum qui erat Parisius pro hac determinatione frater Prædicator qui cum illo, ut dictum est, venerat, quid de his pro quibus missus fuerat in Franciam faceret vel diceret, nisi statim ad Papam rediret? Sed in quodam sermone ipsum Summum Pontificem super errore prædicto excusavit, dicens quòd numquam * tenebat, nec umquam istam tenuerat doctrinam, quæ ponit quòd animæ Sanctorum non videbant Deum usque ad diem Judicij. Et cùm ad aures Regis Franciæ PHILIPPI ista devenissent, tamquam verus Catholicus ac pugil Christi fidei fortissimus valde condoluit quòd talis zizania erroris in medio tritici fidei, quæ semper in Regno Franciæ viguit, superseminaretur: & cùm audiret prædictus Minister quòd Rex super hoc malè contentus erat, jvit ad eum ut super hoc se excusaret; sed Rex animadvertens & dubitans ne ipse * verbis involveret, dixit ipsum in præsentia bonorum Clericorum in Theologia libenter audire. Tunc Rex accersitis decem Magistris in Theologia de sufficientioribus qui tunc Parisius potuerunt inveniri, quorum quatuor erant de Ordine Minorum, interrogavit eos in præsentia dicti Magistri * quid eis de doctrina quam nuper Parisius seminaverat videretur? Qui omnes reprobaverunt eam, ipsam cum determinatione sua falsam & hæreticam reputantes; sed ad hoc non potuerunt eum adducere ut cum eis concordaret. Sed Rex adhuc super hoc non contentus, altera die satis citò póst fecit vocari in domo sua de nemore Vincennarum omnes Magistros in Theologia cum omnibus Episcopis & Abbatibus, qui tunc Parisius potuerunt inveniri, vocato etiam prædicto Ministro. Cùm resedissent, Rex in Gallico suo duo eis quærendo proposuit. Primum fuit utrum animæ Sanctorum ex tunc videant faciem Dei. Aliud fuit utrum ista visio qua nunc vident faciem Dei in die Judicij deficiat alia superveniente vi-

* nequaquam

* seipsum

* Ministri

sione. Ad primam quæstionem omnes responderunt affirmativam *; ad secundam similiter, responderunt quòd ista visio non in die judicij deficiet, sed permanebit æternaliter. Verum est quod aliqui dixerunt quòd ista visio in die Judicij perfectior erit, & cum istis prædictus Minister non sponte sed quasi coactus, ut videbatur, concordatus est. Et de ista sententia Rex petivit ab omnibus Magistris ibidem assistentibus unam litteram sigillis istorum singulorum munitam; quod & factum est; nam factæ sunt tres litteræ eamdem formam continentes, sigillatæ singulæ XXIX. sigillis quia tot erant ibi Magistri: quarum litterarum ex parte Regis una fuit missa Papæ, mandans sibi à latere quatinus sententiam Magistrorum de Parisius, qui melius sciunt quid debet teneri & credi in fide quàm Juristæ & alij Clerici, qui parum aut nihil sciunt de Theologia, approbaret, & quòd sustinentes contrarium corrigeret.

* affirmativam

Hoc anno Rege Scotiæ ROBERTO du Brus mortuo, & filio suo DAVID, qui filiam Regis Angliæ EDUARDI desponsaverat, in Regno Scotiæ succedente, contigit EDUARDUM de Bailleul venire ad Regem Angliæ tamquam ad superiorem in isto casu, ut dicebat, dicentem Regnum Scotiæ ad ipsum & non ad David nec ad alterum alium pertinere, cùm ipse de primogenita ALEXANDRI Regis Scotiæ natus esset, & David de secunda genita; petere ab eo tamquam à superiori, ut dictum est, ut ad homagium Regni Scotiæ ipsum reciperet. Quod Rex Angliæ libenter faciens statim ut ipsum in saisinam ejusdem Regni poneret contra Scotos, non obstantibus pactionibus & confœderationibus quas cum Roberto de Brus Rege habuerat, arma paravit, Scotis etiam ad defendendum se viriliter præparatis: quibus congredientibus Scoti succubuerunt, multísque eorum interfectis & quàm plurimis captis civitas de Barawic Sedes Regni Scotiæ obsidione tuita *, ut aliqui, dixerunt, proditoriè capitur. Hoc anno decem naves munitæ armis & victualibus à Rege Franciæ Philippo in auxilium Scotorum

* cincta

torum in civitate de Barwic per gentes Regis Angliæ obſeſſoribus * miſſæ ſunt, ſed vento impellente contrario ad portum optatum pervenire non valentes portui de Scluſa in partibus Flandriæ appulerunt, & ibi venditis omnibus, immo quaſi diſſipatis parvum aut nullum effectum habuerunt. In iſto anno fuit tanta fertilitas vini in Regno Franciæ quòd ſextarium vini mundi & clari denarium venderetur, & aliquando pro minori pretio haberetur. Hoc eodem anno Delphinus de Vienna dimiſſo exercitu, cum paucis quoddam caſtrum Comitis Sabaudiæ quod obſederat explorans, à quodam baliſtaria percuſſus, poſtea niſi per medium diem ſupervixit, fratre ſuo, quia non habebat heredem de corpore proprio, herede relicto.

* obſeſſorum.

MCCCXXXIV.

Hoc anno fuit cariſtia magna in Regno Franciæ, & maximè in partibus meridionalibus, ſed vinum pro nihilo habebatur. Hoc etiam anno illi de Bonia * contra Legatum à Papa miſſum ad ſubmittendos Guibelinos rebellaverunt, & ipſum extra patriam fugaverunt, magnâ copiâ de ſuis interfectâ, & quoddam caſtrum fortiſſimum quod extra muros civitatis ædificaverant * funditus everterunt. Eodem anno orta eſt magna materia guerræ inter Ducem Brabantiæ & Comitem Flandriæ pro quibuſdam redibentiis, quas Epiſcopus Leodienſis in villa de Malignes in Brabantia dicebat ſe habere (quas redibentias aliqui dicebant quòd prædictus Comes Flandriæ fraudulenter à prædicto Epiſcopo emerat ut materia diſcordiæ inter eos oriretur) itaut ex utraque parte magnis viribus ac magno apparatu arma pararentur, Rege Boemiæ, Epiſcopo Leodienſi prædicto, Comite Hanoniæ cum Johanne fratre ejus, Comite de Guellis cum plurimis magnis de Alemannia partem Comitis adjuvantibus; Rege Navarræ, Comite Alençoniæ fratre Regis Franciæ, Comite Barri, Comite de Stampis cum multis aliis Nobilibus de Regno Franciæ partem Ducis foventi-

* Bononiæ.

* ædificaverat.

bus: ſed interveniente Rege Franciæ PHILIPPO quaſi pro mediatore, ad pacis concordiam ſunt adducti. Eodem anno DAVID de Brus filius Roberti
* quondam Regis. de Brus quidam * Scotiæ, juvenis quaſi tredecim annorum cum uxore ſua ſorore Regis Angliæ, ut contra æmulos ſuos Regem Angliæ & Eduardum de Bailleul
* Regem. de novo creatum * ſub alis Franciæ tuerentur, ab aliquibus ſibi benivolis latenter in Franciam ſunt adducti, & apud caſtrum Gaillardum in Normannia morati ſunt.

Hoc anno Rex Franciæ Philippus ordinata quadam domo pro Religione, quæ Moncellus dicitur, juxta pontem ſanctæ Maxentiæ, quæ ad fiſcum Regium per quamdam forefacturam pervenerat, feminas poſuit ad ſerviendum Deo in perpetuum ſub Regula Fratrum Minorum, & ibidem incluſit, redditibus pro earum vita ſufficienter aſſignatis. Eodem anno uxor domini ROBERTI de Attrebato ſoror Regis Fran-
f. * tumultuum. ciæ quarumdam immutationum *, ut dicebatur, ſuſpecta cum filiis ſuis, mater apud Chinonum in Pictavia, filij verò apud Nemoſum in Vaſtineto ſub qua- *Nemours.* dam cuſtodia detinentur. Hoc etiam anno ut dixerunt quidam Aſtrologi, propter ſiccitatem æſtatis & maximam hyemis humiditatem, quæ qualitates ut aſtruxerant ipſi, ratione eclipſis Solis anni præcedentis, quæ fuit in Gemini ſigno humano provenerant, maxima utriuſque ſexus mortalitas ſecuta eſt non ſolùm in Regno Franciæ, ſed maximè in locis illi ſigno magis appropinquantibus. Hoc etiam anno maxima fuit vini abundantia, ſed non æquè matura nec fortia fuerunt ſicut in anno præterito. Hoc anno Scoti reparatis reſumptiſque viribus contra EDUARDUM de Bailleul quem Rex Angliæ ſuper eos Regem ſtatuerat, & contra Anglicos ab eodem Rege dimiſſos ad cuſtodiam munitionum quas ſuper eos acquiſierat, pugnant, omnia quæ perdiderant civitate de Barwic excepta, recuperantes, ipſúmque Eduardum de Regno ac de finibus ſuis turpiter ejicientes.

Hoc anno JOHANNES Papa XXII. quarta die mensis Decembris defunctus est Avinioni postquàm sedisset XIX. annos incompletos : qui errorem de beatitudine animæ quam ipse diu tenuerat, publicè prædicaverat, insufficienter tamen, ut aliqui dicunt, moriens revocavit; & XIX die mensis ejusdem JACOBUS Presbyter Cardinalis sanctæ Priscæ Cisterciensis Ordinis electus est, ac etiam octava die Januarij consecratus ac BENEDICTUS XII. vocatus. Hoc anno circa Parisius in vigilia sancti Nicolai hyemalis audita sunt magna tonitrua, gelu & nive aëre frigescente, & satis citò pòst in die Octavarum sancti Johannis Evangelistæ audita sunt ita magna & horribilia cum coruscationibus ac si esset circa festum beatæ Mariæ Magdalenæ, vento tamen & pluviâ aëre madescente, ac etiam XIX. à die Januarij aëre, nive, gelu, grandine, frigescente. Hoc anno Rex Franciæ PHILIPPUS ut Summum Pontificem de novo creatum visitaret cum magno apparatu *, sed superveniente infirmitate cùm jam esset quasi in medio itineris, consilio medicorum ad propria remeavit. Hoc eodem tempore missi sunt ab eodem Rege solemnes nuntij ad Summum Pontificem cum certis petitionibus passagium terræ sanctæ maximè tangentibus, in quibus bene & gratiosè Papa se habuit, aliquibus tamen deliberationi reservatis.

* profectus est.

Hoc anno JOHANNES Dux Britanniæ cernens de corpore suo heredem non habere, & considerans utilitatem & pacem Regni Franciæ quam summè diligebat, necnon & benevolentiam quam erga personam PHILIPPI Regis habebat, considerans etiam multa incommoda quæ in eodem Regno possent accidere, si talis terra sicut Ducatus Britanniæ * in manus feminæ neptis videlicet, quæ in eodem Ducatu se dicebat jus habere, voluit Regi Philippo Ducatum suum prædictum post decessum suum dimittere, ita tamen quòd si post decessum ejus aliquis probabilis heres appareret, aliqua terra sufficiens ei ab eodem Rege assignaretur. Et ideo sic ordinatum fuit, quòd

* deveniret

ſi aliquis heres probabilis appareret in eodem Ducatu poſt prædicti Ducis deceſſum, Rex Ducatum Aurelianenſem pro dicta recompenſatione aſſignaret; ſed contradicentibus aliquibus Brittonibus negotium imperfectum tunc remanſit, & aſſignata eſt dies ad tractandum iterum de iſto negotio ad Octabas beatæ Mariæ Magdalenæ, & iterum prolongata eſt uſque ad craſtinum ejuſdem, deinde uſque ad aliam diem Dominicam ſequentem, & in die illa negotium ſub quadam diſſimulatione tranſivit & in pendulo remanſit, & finaliter ad nihilum redactum eſt.

MCCCXXXV.

*de Sepoïo, Cepoy.

Hoc anno dominus JOHANNES de Septio*, qui miſſus fuerat à Rege Franciæ maximè in terram Turcorum ad explorandos portus & paſſus, ad faciendas aliquas munitiones & præparationes victualium pro paſſagio terræ ſanctæ, patratis aliquibus victoriis ſatis inſignibus, ſicut in tam parva manu pugnatorum quam ipſe habebat, quia non habebat niſi ſolos pedites, potuit fieri, in Franciam rediit. Epiſcopus etiam Belvacenſis JOHANNES, qui diu peregrè, cauſâ à pluribus ignoratâ profectus fuerat, & cum eodem domino Johanne in terra iſta Turcorum, & in aliquibus bellis in quibus egregiè ſe habuit, aliquandiu fuerat, ad propria reverſus eſt.

Hoc eodem anno circa medium Junij dominum JOHANNEM primogenitum immo tunc unigenitum PHILIPPI Regis Franciæ Normanniæ Ducem gravis & valde periculoſa infirmitas arripuit; nam, ut aſſerebant medici, non ſolùm quotidiano typo per quatuordecim dies continuos laboravit, verùm etiam plures acceſſus febris tertianæ ſuſtinuit: & cùm à medicis omnino deſperaretur de eo & humanum ſolatium deficeret, Rex & Regina ad Divinum auxilium confugerunt, mittentes ad omnes Eccleſias Cathedrales & ad omnia Collegia tam Mendicantium quàm non Mendicantium quibus tunc mitti potuit Prædica-

tores ad exhortandum populum, rogantes omnes humiliter quatinus processiones devotas facerent, & Divinas aures lacrymis & orationibus sollicitarent, quatinus filio suo Regni heredi in tanta necessitate subveniret Divina misericordia. Nam Rex tantùm de misericordia Dei & de ejus auxilio precibus Sanctorum & bonarum personarum confidebat, quòd pluriès dixit Reginæ & aliquibus aliis, quòd si Dux prædictus eorum filius mortuus esset, non citò eum sepeliret, sperans firmiter quòd Deus eum à morte resuscitaret. Unde factum est, quòd * à Clero & populo, & maximè à Canonicis Ecclesiæ Cathedralis beatæ Mariæ de Parisius, & ab omnibus Collegiis ejusdem civitatis, necnon & à Conventu sancti Dionysij ter nudis pedibus delatis ad Taverniacum ubi erat infirmus sacrosanctis reliquiis, clavo scilicet & corona Domini, cum digito sancti Dionysij, quæ ibi fere per quindecim dies remanserunt, processiones solemnes & devotæ factæ fuissent, prædictus infirmus convaluit & sanatus est, paventibus * ejus Rege videlicet & Regina & plurimis, qui prædicto Duci in infirmitate adstiterant, necnon & aliquibus medicis prædicantibus quòd Deus Sanctorum & bonarum personarum precibus eum non solùm ab infirmitate curaverat, immo etiam quasi à morte resuscitaverat. Hoc anno septima die Julij quæ fuit dies Veneris, in festo sancti Martialis Rex Franciæ Philippus filio suo domino Johanne Duce Normanniæ de gravi ac periculosa infirmitate per preces bonarum personarum, ac etiam ut pro certo credendum est, per merita Sanctorum mirabiliter convalescente, de villa quæ Taverniacus dicitur, in qua prædictus infirmus in infirmitate jacuerat, ab Ecclesia sancti Dionysij quatuor miliaribus & ampliùs distante, gloriosum Martyrem Dionysium specialem patronum, protectorem & adjutorem suum cum sociis suis petendo, non sine magno labore ac difficultate propter inconsuetum laborem & propter opus tali viro inusi-

* cùm

* parentibus

tatum, devotiſſimè viſitaturus advenit; & cum gratias egiſſet ſalutans ſanctos Martyres, & facta brevi oratione, cùm jam maxima pars noctis tranſiſſet, poſt laborem tanti itineris ad quieſcendum ſe ordinavit uſque in craſtinum. Adveniente autem craſtina die Miſſâ ſuâ devotiſſimè auditâ, & oſculatis cum magna reverentia ſacroſanctis reliquiis clavo & corona, cum aliis pranſum ivit. Facto autem veſpere poſt cœnam & poſt Matutinas Conventûs inopinatè iterum ad Eccleſiam veniens, ibidem peroravit & totum ſervitium ſuum de ſanctis Martyribus Dionyſio ſcilicet & ſociis ejus non à Capellanis ſuis ſed à Monachis aliquibus, non tamen à toto Conventu fieri juſſit. Iterum autem cum vigiliis & omnibus horis Canonicis ſic celebratis, locum illum ubi requieſcunt Sanctorum corpora in ſcriniis electrinis aperiri fecit, & ibidem ſolus intrans cum ſumma devotione quaſi per ſpatium horarum duarum remanſit. Deinde ſubſequenter auditâ Miſsâ ſuâ domno Abbate celebrante ad altare ſanctorum Martyrum, poſt prandium ſic viſitatis ſanctis Martyribus & regratiatis, ad viſitanda alia loca ſancta iter arripiens cum gaudio receſſit.

Hoc anno circa feſtum Magdelenes Rex Angliæ EDUARDUS cum manu valida tam equitum quàm peditum adjuvante ſibi Comite Namurcij uxoris ſuæ cognato, & Comite de Guellis qui ſororem ſuam deſponſaverat, cum aliquibus aliis de Alemannia vadum illud quod Mare Scoticum dicitur ſine aliquo obice ſeu impedimento tranſiens, Scotiam intravit; nam Scoti propter ſuorum paucitatem in reſpectu ſui exercitus eidem obviare non ſunt auſi. Deinde ad villam ſancti Johannis ſe transferens, & illam muniens, ibidem EDUARDUM de Bailleul cum fratre ſuo Comite Cornubiæ dimiſit; & ad ſanctum Andream veniens, cùm ibidem aliqualem moram traheret, venerunt ad homagium aliqui Magni & Nobiles de Regno Scotiæ, quos ipſe pacificè recipiens, licèt aliqui Magni & Nobiles de eodem Regno adhuc ſibi non

obedirent, nec ad homagium ejus venissent, sublimato & confirmato in eodem Regno Eduardo de Bailleul, sic ordinavit: videlicet quòd idem Eduardus & successores sui Reges Scotiæ Regibus Angliæ homagium facerent, & eisdem contra omnes auxilium ferrent ad supplementum exercitus eorum trecenti * homines de armis cum mille peditibus quandocumque necesse fuerit, per unum annum integrum ducendo vel mittendo; & * Reges Angliæ ultra noluerunt retinere ipsos ad proprias expensas eorum, remanere minimè tenebuntur. Eodem tempore quasi post triduum cùm ad notitiam Scotorum devenisset, quòd Comes Namursij qui tardè Regem Angliæ secutus fuerat, & ad ipsum venire festinabat, transitum maris Scotici vellet cum suis attentare, eidem insidias paraverunt, mittentes ante ipsum in via de suis partem non modicam, altera in insidiis remanente; & cùm ipsos pertransisset, ipsi à tergo secuti sunt eum, aliis eidem obviantibus; & sic inter eos inclusus, commisso prælio, multis suorum captis, & quamplurimis interfectis, ipsemet etiam capitur. Et cùm unus ex Scotorum Majoribus contra voluntatem aliorum ob favorem Regis Franciæ, ut prætendebat, vellet eum liberare, & eidem cum quatuor viginti solùm armatis conductum præberet, in gressu suo ab Anglicis in insidiis positis & ipse capitur, ac omnibus suis interfectis carceri Regis Angliæ mancipatur. Hoc anno vina fuerunt ita cruda, viridia & indigesta, quód vix sine indignatione gustus sumi potuerint.

* trecentos

* si &c. noluerint

MCCCXXXVI.

Hoc anno Rex Franciæ PHILIPPUS remotis partibus Regni visitatis, ab omnibus civitatibus valde honorificè & cum gaudio magno suscipitur; & cùm Summum Pontificem in civitate Avinionensi etiam visitasset, & ab eodem cum filio suo domino JOHANNE Duce Normanniæ susceptus fuisset, ac de aliqui-

bus etiam negotiis, & maximè de passagio terræ Sanctæ, & auxilio Scotorum, utrùm eisdem Scotis contra Regem Angliæ, qui eos graviter opprimebat, auxilium ferre consideratis confœderationibus quas inter se habebant teneretur, tractasset, Marsiliam intrans, ad visitanda limina sancti Ludovici Massiliensis, necnon & navigium quod ad passagium terræ Sanctæ parari faciebat, se transtulit: ubi à Massiliensibus quamvis sub dominio ejus non essent tanto cum honore & reverentia susceptus est, ut in mare navibus ordinatis ad bellum in præsentia ejus simularent certamen navale, pomis Orengeniis se invicem impugnantes. Hoc anno fuit eclipsis Solis die tertia mensis Martij, attingens fere usque ad centrum ipsius, Marte etiam & Saturno ipsum Solem aspicientibus, qui tunc incipiebant retrogradari, & duravit per duas horas cum aliquibus minutis.

Hoc etiam anno Rege Franciæ Philippo à visitatione Summi Pontificis BENEDICTI per Burgundiam revertente, & à Duce Comitéque Burgundiæ, cujus Sororem desponsaverat, valde honorificè suscepto, magnam discordiam inter ipsum Ducem & JOHANNEM de Chalon, aliquósque tam Nobiles Burgundiæ quàm Alemanniæ eidem domino Johanni adhærentes, pro quibusdam redibentiis in Comitatu Burgundiæ, & maximè super villam & puteum Salinarum, ut asserebat, sibi debitis, quas prædictus Dux & Comes sibi injustè subtrahere nitebantur, invenit: & cùm ipsos ad pacis concordiam adducere satageret, Duce eorum sibi contradicente, in præsentia ipsius Regis ex parte domini Johannis prædicti ac sibi adhærentium defidatus est; & statim in crastinum adjunctis sibi confœderatis suis cum magna copia Alemannorum stipendiariorum hostiliter in Comitatum Burgundiæ, non tamen in Ducatum qui ad Regnum Franciæ pertinet, subintravit, ac magnam partem ejusdem Comitatus igne ac deprædationibus magis quàm ferro prostravit; & sic in aliquibus ca-

stris

ſtris ſuis, quæ ipſe diu ante ſcienter propter hoc muniri fecerat, cum complicibus ſe recepit. Hoc etiam anno Dux Burgundiæ, & non ſolùm Burgundiæ, ſed & Normanniæ, cujus dominus Johannes filius primogenitus Regis Franciæ Philippi Dux erat, nepos ejus ex ſorore, necnon & Flandriæ, quia & ipſe Comes Flandriæ duas uxores ſorores filias Philippi Regis Longi quondam Regis Franciæ duxerat, adjuvante etiam ſibi Rege Navarræ qui neptem ſuam deſponſaverat, cum fratre ſuo Comite de Stampis magnum exercitum congregavit, ac caſtrum domini GIRALDI de Monte-falconis, qui domino Johanni *de Chalon* adhærebat, Chauſiacum nomine vallatus maximis auxiliatoribus potenter obſedit ac etiam primus * obſidione quaſi IX. hebdomadarum in deditione accepit. Deinde Biſentium civitatem, quæ partem domini Johannis ſupradicti fovebat, ſe transferens, ibi exercitum quia pro tanto exercitu minuebantur victualia, datis induciis uſque ad ſequens Natale licentiavit, & ſic inglorius negotium imperfectum dimiſit.

* poſt obſidionem.

Hoc etiam anno grave incendium tam in pannis Indicti quàm in aliis mercimoniis XIV. die Junij conflagravit; in quo multi mercatores, qui ibidem divites & potentes venerant, ita damnificati ſunt, quòd pauperes ad propria reverſi ſunt. Hoc anno ſecunda die Julij natus eſt Philippo Regis Franciæ filius in domo de nemore Vincennarum ex uxore ſua legitima, qui baptizatus eſt, & PHILIPPUS nominatus. Hoc anno XXI. die Julij in Vigilia ſanctæ Mariæ Magdalenæ HUGO de Cuiſiaco Miles natione Burgundus, qui fuerat Præpoſitus Pariſius, & poſtea in numero Magiſtrorum Regalis palatij ſublimatus, tamquam ſubverſor judiciorum multorum propter munera quamplurima accuſatus, etiam multis aliis criminibus convictus, Pariſius communi patibulo ſuſpenditur. Hoc anno quarta die Auguſti circa Pariſius & in confiniis ejus tam horribilis ac valida tempeſtas exorta eſt, ut pavilliones ac tentoria quæ cum maxima ambitione &

apparatu, ut dicebatur, inordinato in domo Regia nemoris Vicennarum propter purificationem Reginæ, ac etiam arbores magnæ magnitudinis & grossitudinis everteret, aliquósque occideret, & plures læderet non sine metu & admiratione multorum.

Hoc anno cùm magna materia discordiæ & guerræ inter Regem Franciæ PHILIPPUM & Regem Angliæ EDUARDUM exorta fuisset, & maximè propter eversionem castri Xantonensis, quod dominus CAROLUS frater Regis Franciæ Comes Alençonij dirui fecerat, necnon & Comitatum Aquiensem * & aliquas villas & munitiones, quas dominus CAROLUS Comes Valesij, pater Regis Philippi à Rege CAROLO defuncto in Vasconia missus propter contumacias Regis Angliæ Eduardi defuncti patris istius Eduardi prædicti, meritò abstulerat, quæ omnia idem Rex Angliæ ab ipso Rege Franciæ repetebat; & propter hoc plures nuntij inter ipsos pro reformanda pace hinc inde transfretassent; ad pacis tamen concordiam non potuerunt reduci, instigante domino Roberto de Attrebato, qui ad Regem Angliæ transfugerat, ut dicebatur.

* Acqs.

Hoc etiam anno cùm magna guerra esset inter Regem Angliæ & Regem Navarræ pro custodia cujusdam Abbatiæ in confiniis Regnorum sitæ, priùs tamen non modicùm damnificati sunt; ad pacis tandem concordiam per Summum Pontificem, & per Regem Franciæ, administrante tunc JOHANNE de Vienna Archiepiscopo Remensi, qui ex parte Regis Franciæ & Navarræ ad hoc missus fuerat, sunt adducti. Hoc anno factæ sunt & confirmatæ confœderationes solemnes inter Regem Franciæ & Hispaniæ. Anno eodem Eduardus Rex Angliæ videns quòd Rex Franciæ Philippus partem Scotorum volebat fovere, & eos contra eum sustinere propter confœderationes, quas Rex Franciæ Philippus Pulcher cognominatus avunculus istius Regis Philippi cum ipsis tamquam Rex Franciæ inierat, magnum apparatum navium cum

ſuis adjutoribus in mare diſpoſuit, & confœderationes cum Duce Bavariæ LUDOVICO iniit qui tunc pro Imperatore ſe gerebat, quamvis per Papam JOHANNEM Imperio eſſet privatus, nonobſtante quòd auctoritate ipſius Summi Pontificis eſſet excommunicatus, Duce eodem eidem auxilium promittente. Hoc anno inter ipſum Regem Franciæ & Regem Angliæ prædictum multa fuerunt bella tam in mari quàm in terra.

MCCCXXXVII.

Hoc anno Rex Franciæ PHILIPPUS multos ſoldarios marinos quæſivit & procuravit, & maximè Januenſium, inter quos erat unus magnus qui oppreſſiones fecerat in Regno Franciæ in partibus Marſiliæ & Aquarum-mortuarum, & Admiraldus ipſorum factus eſt. Eodem anno cùm magna materia diſcordiæ orta eſſet inter Ducem Burgundiæ, ut dictum eſt, & dominum Johannem *de Chalon*, per dominum Regem Franciæ pacificati ſunt. Hoc etiam anno circa feſtum beati Johannis Baptiſtæ apparuit quædam ſtella, quæ cometa dicitur, quæ, ut dicebant Aſtrologi ſapientes, in ſigno Geminorum fuit orta ratione eclipſis Solis anni præcedentis, quæ fuit tertia die Martij per Martem & Saturnum qui tunc aſpiciebant eclipſim eamdem, & tunc incipiebant retrogradari effectu deducta; & dicebant quòd ratione ſigni in quo fuit generata, & ratione generantium, Martis ſcilicet & Saturni, ſignificabat quòd ſanguis immundus abundaret in multis corruptis vel infectis melancholia vel colera, & ideò non erit mirum ſi voluntates & inordinati appetitus à multis poſtea effectui adducentur; & propter hoc potuerunt eſſe plures ægritudines in * diſpoſitis & diverſè ſecundùm diverſitatem recipientium. Item ratione Martis exeuntis in * Scorpione, ſignificabat falſitatem, fraudes, mendacia, latrocinia & guerras; ſed ratione Saturni dicebant quòd ſignificabat invidiam, cupiditatem & extortionem, ranco-

* & indiſpoſitiones diverſæ.
* è

res & odia, machinationes, inobedientes * cordis miserias, mortem, rumores terribiles & pavorem. Item ipsum signum Geminorum secundùm Astrologos est signum humanum, avium, & Magnatorum, ac Deo deservientium: ideò dicebant quòd cometa illa minabatur omnes tales, vel in statu. Item dicebant quòd consideratis imaginibus cæli ab ea pertransitis, & considerato signo conjunctionis Martis & Saturni, non solùm minabatur quadrupedia, sed in aquis natantia, & in eis navigantia, & quòd in aquis vel per aquas multa inconvenientia subsequi deberent.

* inobedientiam,

Eodem anno circa festum Omnium Sanctorum ceperunt gentes Regis Angliæ in Xantonia castrum quod Paracolum dicitur, quod ad Regis Franciæ pertinebat dominium, multas villas circa illud ferro & igne vastantes, & multos interficientes. Hoc eodem anno Rex Angliæ Eduardus multas expensas Regi Franciæ fecit fieri, propter hoc quod communiter dicebatur, quòd idem Rex Angliæ Regnum Franciæ intendebat invadere, & ideò oportuit quòd omnia confinia Regni muniret ac custodiri faceret; & dicebatur communiter quòd dominus Robertus de Attrebato omnia ista procurabat. Hoc etiam anno BENEDICTUS Papa duos Cardinales pro reformanda pace inter Regem Franciæ & Regem Angliæ misit; qui tamen in hoc minimè profecerunt. Hoc etiam anno Thesaurarius Regis NICOLAUS Behucheti scilicet unum portum bonum seu villam in Anglia combussit, qui Portmuth vocabatur, cum aliis villis plurimis; insulas etiam de Grenesiaco mediante vorante flamma, excepto uno castro quod ibi erat, totaliter consumpsit. Eodem anno satis citò post captionem castri quod Paracolum in Xantonia, ut dictum est, nominatur, quidam nobilis homo de Linga Orcitana*, qui RENALDUS de Normannia vocabatur, Parisius in platea porcorum securi judicio Regis percutitur, & sic capite ejus amputato communi patibulo est suspensus, pro eo quod ejus proditione castrum illud ab Anglicis captum fuerat.

* Oxitana, *Languedoc.*

Hoc eodem anno per Comitem Augi Coneſtabularium Regis Franciæ, adjuvantibus ſibi Comitibus Fuxi & de Armeniaco, cum aliquibus Baronibus de Linga Orcitana ac Tholoſanis plurimæ villæ ac caſtra in Vaſconia receperant*. Hoc etiam anno Scoti multa gravamina ab Anglicis patiuntur eos comprimentibus, Rege Franciæ non ferente eiſdem auxilium ut tenebatur. Hoc anno audientibus Rege Navarræ, Comite Alençonis fratre Regis Franciæ cum aliquibus Magnatibus & Baronibus ejuſdem Regis Franciæ, quòd Rex Angliæ apud Boloniam debebat terram capere cum magno exercitu illuc ïerunt; ſed ipſo non veniente vacui ac deluſi reverſi ſunt. Hoc etiam anno Anglici apud Scluſam cum ſexdecim navibus ſe receperunt; qui poſt aliqualiter repulſam paſſi, in mare receperunt ſe: ſed animadvertentes quòd baſtardus Flandriæ frater Comitis Flandriæ, cui commiſſa fuerat cuſtodia portûs incautè ſe gerebat; ſedebat enim cum ſuis & comedebat, ſuper eos ruentes ſubitò quaſi omnes interfecerunt, prædictum verò baſtardum captum in Hollandiam deduxerunt, pluribus tam de ſuis quàm de Flammingis interfectis. Hoc anno venerunt aliqui in Curiam Regis Franciæ ſub ſpecie Religionis, qui Regem cum tota Curia impotionare volebant; ſed capti ac deprehenſi*, quid de eis poſtea factum ſit ignoratum eſt. Hoc anno aliqui Flandrenſes & maximè illi de Gandavo contra Regem Franciæ ac contra Comitem Flandriæ rebellare niſi ſunt; ſed auctoritate Summi Pontificis per Epiſcopum Silvanectenſem ac Abbatem Sancti Remigij excommunicati repreſſi ſunt.

* receptà ſunt

* ſunt, &

MCCCXXXVIII.

Hoc anno xv. die menſis Aprilis apparuit altera cometa ſatis propè, & erat parum clara & jocunda ſine capillis, & ſic fuerunt duæ cometæ in uno anno. Hoc etiam anno Rex Angliæ EDUARDUS ad par-

tes Brabantiæ uxorem ſuam ſororem Comitis Hanoniæ & neptem Regis Franciæ ſecum adducens, cum magno exercitu transfretavit; deinde ad Alemanniam ſe transferens cum LUDOVICO Bavariæ Duce, qui tunc pro Imperatore ſe gerebat licet eſſet excommunicatus, cum pluribus aliis Baronibus ac Magnatibus Alemanniæ confœderatus eſt, factique ſunt ejus ſoldarij, cuilibet ſecundùm factum ſuum certam ſummam pecuniæ pro ſtipendiis promittendo, certis terminis perſolvendam, ita tamen quòd ſi in aliquo terminorum præfixorum à ſolutione deficeret, confœderationes prædictæ nullæ reputarentur. Hoc eodem anno idem Rex EDUARDUS à prædicto Duce Bavariæ LUDOVICO in Imperium Vicarius conſtitutus eſt; qui vocationes ac citationes ſuas tamquam Vicarius Imperij faciens ut Regnum Franciæ hoſtiliter invaderet, pauci eidem obedierunt. Hoc etiam anno audiens Rex Franciæ PHILIPPUS quòd Rex Angliæ cum Alemannis ſibi confœderatis Regnum Franciæ vellet invadere hoſtiliter, apud Ambianis, ut ſibi occureret, exercitum quaſi innumerabilem congregavit, ut non legatur aliquem Regem tam validum ac potentiſſimum congregaſſe; ſed cùm ibi diu expectaſſet cum exercitu ſuo, nec videret prædictum Regem Angliæ ampliùs facientem quàm inter Alemannos deliteſcere, volens etiam terminos Imperij finaliter ac ſine maxima deliberatione invadere, ſufficienter confiniis reſpicientibus *, unumquemque ad propria remeare licentiavit. Hoc anno duæ naves notabiles Regis Angliæ, quorum una vocabatur Chriſtophora, altera verò Eduarda cum aliquibus aliis navibus communibus multis oneratis per gentes Regis Franciæ in mari capiuntur, non tamen ſine magna ſanguinis effuſione; nam ibi de Anglicis pluſquam mille mortui ſunt, & duravit bellum ferre per unum diem integrum. Hoc eodem anno Scoti quia* inter ipſos & Regem Angliæ induciæ erant, ad voluntatem tamen Regis Franciæ contra Anglicos * nihil

f. * munitis *vel aliud quid*

f. * quamvis

fortè * certaverunt, ſed

fecerunt. Hoc etiam anno cùm Flammingi & maximè Gandavenses à Comite suo Flandriæ, ut dicebant, multa gravamina paterentur, spiritu rebellionis arrepti sunt & agitati, eumdémque Comitem suum de finibus Flandriæ fugere compulerunt, multos minoris populi bonarum aliarum villarum sibi conjungentes, & contra Magnos qui eisdem resistebant prævidentes pericula insurgentes, multa mala gravamina eisdem intulerunt; quorum caput & princeps fuit unus qui vocabatur JAOCBUS de Artevilla, non tamen, ut dicebant aliqui, contra Regem & Regnum Franciæ intendentes, sed suum Comitem suis demeritis exigentibus persequentes. Hoc etiam anno in Vasconia, aliqua castra per gentes Regis Franciæ capiuntur, & maximè castrum munitissimum quod Penna de Agenesio diu obsessum in deditione recipitur. Hoc anno quædam bona villa in Regno Angliæ, quæ Hanonia dicitur, per gentes Regis Franciæ capitur, & despoliatur, & flamma vorace consumitur. Hoc etiam anno PHILIPPUS Rex Franciæ quædam privilegia Normannorum confirmavit & renovavit, & ideò ipsi ut ad Angliam transfretarent magnis viribus se præparaverunt, nihil tamen de omnibus istis ad effectum deductum est. Hoc anno dominus de Haricuria qui antea Comitis nomine ac titulo usus non fuerat, auctoritate Regia titulum ac nomen Comitis adeptus est.

MCCCXXXIX.

Hoc anno duo castra fortissima in terra Vasconiæ, Burgum scilicet & Blavia per Regis Franciæ gentes capta sunt, ibíque videlicet in captione castri Blaviæ aliqui Nobiles & maximè dominus Caumont cum fratre Domini de Labret capiuntur. Eodem anno quædam villa in Comitatu Augi quæ vocatur Treportus super mare cum Abbatia quæ erat ibi per gentes Regis Angliæ comburitur. Hoc etiam anno omnes Januenses soldarij, qui mare per totam æsta-

tem custodierant cum Normannis, Picardis ac Britonibus marinariis, multúmque Regnum Angliæ damnificaverant, circa festum sancti Michaëlis ad propria sunt reversi.

Hoc anno circa idem festum Rex Angliæ magnum exercitum Anglorum, Brabantinorum, Alemannorum, soldariorum ac prædonum congregavit, ut Regnum Franciæ invaderet; cui Rex Franciæ obviare cupiens, exercitum permaximum, fortem ac robustissimum apud sanctum Quintinum in Viromandia congregavit. Sed cùm ipse volens terminos Imperij faciliter subintrare bellum aliquandiu dissimularet, exercitúmque suum nondum congregatum expectaret; idem Rex Angliæ cum prædonibus suis Regnum Franciæ hostiliter subintravit, ac partem non modicam Therachiæ incendit ac prædatus est, & tunc Rex Franciæ, nescitur quali usus consilio, eidem obviare differret *, propter quod magnum scandalum ac murmur non solùm in exercitu, sed etiam in toto Regno contra ipsum exortum est. Tandem audito ejus ingressu apud villam quæ Vurefosse * dicitur, quadam die Veneris ei occurrit; nolénsque bellum ulteriùs dissimulare statim arma arripuit, & armatus ad exhortandos ad bellum Duces & Barones suos ac totam militiam, necnon & totum exercitum prosiluit: sed cùm aliqui nescio quo spiritu ducti eidem bellum dissuaderent, quatuor sibi maximè proponentes: primò Dei reverentiam, quia ut dictum est dies Veneris erat: secundò quia cum exercitu suo jam per quinque leucas equitaverat: tertiò quia ipsi nec equi sui de tota ista die comederant nec biberant: quartò difficultatem cujusdam passus inter ipsum & inimicos suos positi; differre bellum, licet eisdem multum resisteret, usque in crastinum adquievit, admonens & præcipiens omnes ut in crastinum ad bellum parati essent, Sacramentísque sacræ Confessionis & Corporis Domini Nostri Jesu Christi diligenter se munirent. Quæ dilatio non solùm sibi, sed

* distulit.

* Vironfosse

ſed toti Regno multùm fuit nocua; nam, cùm minori exercitu ſine comparatione quàm habebat potuiſſet inimicos debellare, ac Regnum ſuum de ipſis liberare, locum eis de loco ubi erant exeundi ac manus ejus effugiendi tribuit: cùm enim Rex Angliæ per referendarios ſuos audiret ejus potentiam, ipſámque metuens, circa mediam noctem fugam iniit, & de Regno Franciæ exivit, ac ſicut vulpes ad foveam ſuam fugiens, infra terminos Imperij ſe ſe recepit.

Hoc eodem anno ſuburbia Boloniæ ſuper mare cum aliquibus vaſis in alveo & juxta in ſicco poſitis per gentes Regis Angliæ combuſta ſunt. Hoc etiam anno Flammingi & maximè Gandavenſes ſpiritu rebellionis agitati contra Regem Franciæ cum Rege Angliæ confœderati ſunt, ipſíque tamquam Regi Franciæ homagium fecerunt. Quo facto, ſatis citò pòſt Rex Angliæ ad Angliam transfretavit, ut à ſuis pecunias extorqueret, & exercitum copioſum contra Regnum Franciæ, & * auxilium Flammingorum adduceret. *f.* * ad
Hoc eodem anno illi de Epiſcopatu Cameracenſi cum illis de Therachia plurimas villas de terra domini JOHANNIS de Hanonia combuſſerunt; & tamen * ex *f.* * cùm
pacto cum domino JOHANNE de Nemurs Capitaneo ipſorum pro parte Regis Franciæ ſe gerente, feriâ quintâ in Cœna Domini deberent confligere, ipſis ad locum belli venientibus, idem dominus Johannes minimè comparuit, ſed ex adverſo ad villam quæ Aubantonnum dicitur, cujus homines expediti ad bellum proceſſerant, ſe malicioſè transferens, ipſam incendit ac prædatus eſt.

MCCCXL.

Hoc anno calamitatis & miſeriæ, ignominiæ & confuſionis, inter duos Reges Francorum & Angliæ nihil laudabile patratum eſt, quia quidquid in eo factum eſt non de Spiritu ſancto ſed ab Angelo Satanæ credendum eſt proceſſiſſe. Nam cùm duobus ſeu tribus annis præcedentibus multa gravamina pauperibus Ec-

clesiis fuerint illata, necnon & exactiones gravissimæ omni communi populo * : hoc eodem anno maximæ confusiones convaluerunt, non tamen ad utilitatem Reipublicæ prædictorum Regnorum in aliquo, sed, proh dolor! ad dedecus & confusionem totius Christianitatis, & sanctæ & universalis matris Ecclesiæ, cujus præfati Principes principaliter & maximè debuerant esse sustentamentum & fulcimen, hoc notum est accidisse. Hoc anno cùm Rex Angliæ à Flandrensibus & maximè à Gandavensibus cum quibus confœderatus erat se absentasset, atque ad Angliam, ut dicebatur, ut pecunias & auxilia congregaret, transfretasset, Comitémque Sarisbariæ cum Comite Auxoniæ * loco sui in partibus Flandriæ dimisisset; iidem Comites consilio inito inter eos ut Insulam obsiderent, exercitum Anglorum atque Flammingorum non modicum congregaverunt, quem ad duo milliaria vel circa ab Insula dimittentes, cum paucis quasi cum ducentis ut locum obsidioni congruum explorarent minùs tamen cautè processerunt, in exercitu suo quem dimiserant confidentes: quos videntes Insulani incautè procedere, ex adverso de villa prosilierunt, ipsóque Comite Sabariæ * de equo ictu lanceæ turpiter dejecto ac graviter vulnerato, ipsum cum suis qui ibidem advenerant antequam à suo exercitu auxilium possent habere, ceperunt, ac Francorum Regi præsentari fecerunt. Ibi etiam quidam Nobilis interfectus est, cujus inimici amputato capite omnino celaverunt ejus nomen, & fuit dictum à pluribus quòd ipse erat Rex Angliæ, propter hoc quia tunc ita se occultabat quòd vix aut numquam poterat inveniri; sed finaliter rei exitus contrarium comprobavit.

* impositæ.

f. * Exoniæ

* Sarisberiæ.

Hoc etiam anno Flammingi, Brabantini & Hanones pacem Regi Franciæ obtulerunt, sed conditiones pacis quas offerebant non admisit, & eos vacuos abire permisit. Hoc anno Rex Franciæ PHILIPPUS contra Flammingos, Brabantinos & Hanones exercitum movens, & Attrebatum veniens diu ibi exercitum ex-

pectavit ; filiúmque ſuum dominum Johannem Ducem Normanniæ ad devaſtandam terram Comitis Hanoniæ præmittens, hic ipſam non modicum damnificavit, ac caſtrum quod Eſchauduerre dicitur cepit & funditus evertit, deinde aliud caſtrum quod Thini dicitur in deditionem accepit. Deinde Rex Pontem Avendin tranſiens, inter Duacum & Inſulam venit, ubi exercitus ejus tam homines quàm equi diverſis infirmitatibus graviter vexari cœpit. Hoc anno Rex Franciæ Philippus audiens quòd Rex Angliæ EDUARDUS qui diu latuerat, magnum navigium ad transfretandum in auxilium Flammingorum præparaſſet, claſſem non modicam Picardiæ ac Normanniæ accepit, ipſámque munivit * ad impediendum tranſitum ejus, necnon & domini Roberti de Attrebato qui cum eo erat. Congregavit duos Admiraldos dominum ſcilicet HUGONEM Queret & NICOLAUM dictum Buchet, eidem claſſi præficiens : ſed cùm in die beati Johannis Baptiſtæ vel circa transfretaſſet & ventum eſſet ad conflictum, noſtri ad portum Scluſæ Regem Angliæ cum navibus ſuis expectantes ut à captione portus ipſum impedirent, (licèt aliqui conſulerent in medio maris obviare ſibi melius eſſe ad finem, quòd nec Anglici nec Flammingi poſſent ſibi auxilium ferre) primo impetu ſatis bene ſe habuerunt ; ſed ſupervenientibus Flammingis tam de portubus Scluſæ quàm de portubus vicinis in auxilium Anglorum, ipſos ſuſtinere non valentes fugam arripuerunt, multíque in mari præcipites ſe dederunt, ut natando evaderent, ſed à Flammingis ſtatim occidebantur in littore, & amiſſis pluribus navibus, Nicolaum dictum Buchet etiam occiderunt, & in deſpectum Regis Franciæ ad malum navis ſuſpenderunt, dominum etiam Hugonem dictum Queret in navi acceperunt. At ut aliqui aſſerebant, hoc totum accidit, quia iſti duo Admiraldi malè concordes erant, ac felle invidiæ commoti unus alterius dignitaten ferre non valebat, ſecundùm Lucani verba, qui dicit.

* miſit.

Nulla fides Regni sociis, omnisque potestas
Impatiens consortis erit, nec gentibus ullis
Credite, nec longè factorum exempla petentur;
Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Volens dicere & annuere quòd quidquid dicatur seu fingatur, nullus vult habere socium in auctoritate, sed totam sibi attribuere auctoritatem.

Hoc etiam anno dominus Robertus de Attrebato de sententiis in Curia Regis Franciæ contra eum latis non contentus propter Comitatum Attrebatensem, in quo jus se dicebat habere, Duce Burgundiæ ratione uxoris suæ per judicium ac sententiam diffinitiuam in saisina posito; ut villam sancti Audomari ad Comitatum Attrebatensem pertinentem obsideret, exercitum non modicum congregavit, & in loco ejusdem villæ satis propinquo tentoria collocans cum apparatu bellico, ut villam & locum obsidioni congruum exploraret, venit: sed Dux Burgundiæ qui intus erat obsidioni locum dare bonum esse non arbitrans, summatis oppidanis ut secum ad bellum exirent, & ipsis exire recusantibus, dicentibus villam suam velle custodire, cum illis qui cum ipso erant exivit ad bellum; & primò ab adversariis suis passus repulsam multùm gravatus est ac periculosè pugnavit: sed PHILIPPO ejus filio ad adjutorium ejus cum Comite Armeniaci valente & potente Milite supervenientibus, inimicos fugere compulerunt. Sed nec hac victoria contenti usque ad tentoria sua in quibus quiescere cupiebant insecuti sunt, ipsorum supellectilem cum tentoriis suis, & maximè tentorium Jacobi de Artevella sectæ Flammingorum pessimæ Capitaneo qui cum prædicto domino erat, ac insignia præcipua ejusdem domini Roberti diripuerunt, Regi Franciæ omnia præsentantes, & ipsos ultrà fugere compulerunt.

Hoc anno Rex Angliæ Eduardus collecto exercitu validissimo Anglorum, Flammingorum, Alemannorum, Brabantinorum, Hanoniorum Tornacum civitatem potentissimam in Regno Franciæ potenter ob-

ſedit, & diu ibi moratus, fere ob defectum victualium uſque ad deditionem coëgit. Hoc etiam anno Rex Franciæ PHILIPPUS audiens quòd Rex Angliæ Tornacum civitatem manu valida obſediſſet, & quòd cives ejuſdem civitatis cum illis qui in villa ex parte ſua erant multùm gravarentur, de loco inter Inſulam & Duacum ubi fere per quinque hebdomadas moratus fuerat caſtra movit, pontémque Bovinarum tranſiens, ad duo milliaria vel circa ab exercitu Regis Angliæ tentoria fixit; ibíque inter duos Reges, diſcurrentibus internunciis tam ex parte ipſorum, quàm ex parte Summi Pontificis, de induciis dandis diu fere per ſex hebdomadas tractatum eſt: quæ tandem de conſilio bonorum virorum, ad procurationem maximè nobilis & religioſæ dominæ veteris Comitiſſæ de Hanonia Franciæ Regis ſororis, Comitis Hanoniæ matris, adminiſtrantibus prudentibus JOHANNE Rege Boëmiæ & Comite Lucentiſburgi, ARNULFO Leodienſi Epiſcopo, RADULFO Duce Lotharingiæ, AYMONE Comite Sabaudiæ, JOHANNE Comite de Armeniaco, de voluntate & conſenſu utriuſque Regis à die * viceſima Septembris uſque ad ſequens feſtum ſancti Johannis Baptiſtæ proximè venientis, & uſque ad ortum ſolis die ſequenti in modum qui ſequitur conceſſæ ſunt. *al.* * vigeſima quinta

« Omnibus præſentes litteras inſpecturis Johannes per Dei gratiam Rex Boëmiæ & Comes Lucentiſburgi, Arnulfus Epiſcopus Leodienſis, Radulfus Dux Lotharingiæ, Aymo Comes Sabaudiæ, Johannes Comes de Armeniaco, ſalutem & notitiam veritatis. Omnibus notum facimus quòd ad dandas vel concedendas treugas ſeu inducias inter Altos & Potentes Principes duos Reges Franciæ & Angliæ, pro ipſis & pro adjutoribus ſuis ac confœderatis, ſive ſint Principes, Prælati vel Barones, aliæ gentes cujuſcumque conditionis ſint Eccleſiaſticæ vel ſæculares, quas dictas treugas ſeu inducias alti homines ac po-

» tentes Dux Brabantiæ, Dux de Gueldris, Marchisius de Juillers ac dominus de Hanonia & dominus Bellimontis ex una parte, & nos prædicti Milites ex altera parte, per potestatem nobis & aliis prænominatis datam per prædictos Reges concessimus, pacto firmavimus, & quilibet nostrum per fidem suam posita manu in altera * affidavimus ex parte dictorum Regum coadjutorum & confœderatorum suorum qualescumque sint, quilibet de parte sua ab hodierna die usque ad diem Nativitatis beati Johannis Baptistæ proximè venientis, & per diem totam integram usque ad diem sequentem in ortu Solis. Et hoc fuit tractatum, concessum, pacto firmatum, concordatum & affirmatum per consilium prædictorum Regum, & per nos in modum & formam quæ sequitur: Primò quòd durantibus dictis treugis nulla novitas, nullum malum sive gravamen fiet ab illa * parte super alteram in præjudicium dictarum treugarum seu induciarum. Item concordatum est, quòd dicti domini, coadjutores & confœderati ipsorum quicumque sint, in tali possessione & saisina sicut die hodierna sunt de omnibus bonis, terris & possessionibus quas modò tenent & acquisierunt quolibet modo, durantibus dictis treugis remanebunt. Item concordatum est quòd durantibus dictis treugis dicti domini, coadjutores & confœderati quicumque sint illi poterunt pacificè ire de terra ad terram, & omnes mercatores cum mercimoniis ipsorum, necnon & omnes personæ, & omnia bona, & omnes providentiæ * tam per terram quàm per mare & aquam ire & venire liberè, sicut facere solebant temporibus ante exercitus Regum prædictorum; solvendo tamen pedagia, roagia, cum consuetudinibus antiquitus assuetis, exceptis bannitis dictorum Regum, vel aliquibus ipsorum Regum bannitis * pro aliquo forefacto quàm pro guerra Regum prædictorum; sed Barones * de Vasconia ac de Ducatu Aquitaniæ cum aliis personis quæ sunt de Vasconia, ac de Ducatu eo-

* altare

* una

f * rerum necessariarum apparatus. vulgò, *provisions*

* tam

* qui

dem sunt banniti vel aliter, in prædictis treugis com- «
prehendentur, ac de uno Regno poterunt ad aliud «
Regnum securè durantibus treugis prædictis ire & «
venire. «

Item concordatum est quòd prædicti duo Reges «
non poterunt procurare nec procurari facere per ip- «
sos nec per alios quòd aliqua novitas seu gravamen «
fiant per Curiam Romanam, vel per alias personas «
Ecclesiasticas qualescumque sint illæ, super aliquo «
modo dictorum Regum coadjutorum & confœde- «
ratorum Episcoporum, nec per terras ipsorum vel «
subditorum eorumdem occasione dictæ terræ *, vel « * guerræ
pro alia causa, seu etiam pro aliquo servitio impen- «
so ipsis confœderatis, vel eorum coadjutoribus Regi- «
bus sæpedictis vel civibus ipsorum: & si Pater San- «
ctus Summus Pontifex vel aliqua alia persona hoc vel- «
let facere, dicti duo Reges hoc impedirent sine inge- «
nio * vel malitia durantibus dictis treugis. Item scien- « * dolo
dum est quòd dictæ treugæ sunt proclamatæ in duo- «
bus exercitibus Regum prædictorum, & tenentur eas «
custodire & servare omnes tam præsentes quàm ab- «
sentes qui hoc scire poterunt aut debebunt. Item «
concordatum est quòd viginti dies ab hordierna die «
computando, quilibet dictorum Regum in Vasconia «
& in Ducatu Aquitaniæ in terris quas nunc tenent «
& possident facient dictas treugas proclamari ad istum «
finem, ut pro scitis & notoriis habeantur. «

Item concordatum est quòd si per aliquem dicto- «
rum Regum per gentes suas seu confœderatos vel «
adjutores ipsorum aliquæ obsidiones positæ sunt in «
Vasconia & in Ducatu Aquitaniæ, seu aliquibus in- «
sulis maris in Guerrisiaco vel alibi, omnes istæ obsi- «
diones solventur prædictis treugis ad notitiam obsi- «
dentium devenientibus, & quatuordecim personæ «
septem per quemlibet dictorum Regum intrabunt «
in villis, castris seu fortalitiis obsessis ex nunc, & po- «
nentur * numero & quantitate victualium & perso- « * finitis treugis victualia
narum in quali invenientur per dictas quatuordecim «

& personæ in numero & quantitate in quali invenientur

» personas supradictas. Item concordatum est quòd
» banniti & fugitivi de terra Flandriæ qui sunt & fue-
» runt de parte Regis Franciæ, non poterunt in Flan-
» driam dictis treugis durantibus intrare seu venire; & si
» ita esset quòd aliqui prædictorum irent contra treugas
» infra Regnum, fieret de eis justitia: & omnia bona
» quæ haberent in terra Flandriæ essent confiscata.
» Item concordatum est quòd debita apud Attreba-
» tum, Crespinetis seu aliis quibuscumque non repe-
» tentur nec exequentur * durantibus dictis treugis.

*exigentur

» Item concordatum est quòd omnes captivi seu pri-
» sionarij in ista guerra, durantibus dictis treugis rela-
» xabuntur à prisionibus suis, ad eas per fidem suam &
» juramentum suum quilibet revertendo, nisi ita esset
» quòd essent redempti ante datam treugam istarum
» præsentium, salvo etiam quòd dicti prisionarij rever-
» tentur ad prisiones suas per fidem suam & juramen-
« tum deficientibus dictis treugis: & si contingeret
» quòd aliquis prisionarius esset rebellis ad prisionem
» suam revertendi, dominus sub quo esset cogeret eum
» ad hoc faciendum indilatè.

» Item ordinatum est, quòd omnia levata qualia-
» cumque sint & qualitercumque sint ante dictas treu-
» gas tempore guerræ, sive sint de bonis spiritualibus *
» vel aliter, remanebunt levata sine hoc quòd aliquis
» teneatur ad restitutionem durantibus dictis treugis.

*Ecclesiasticis

» Item concordatum est quòd ex nunc treugæ capiun-
» tur inter Anglicos & Scotos, dominos eorum, coad-
» jutores & confœderatos eorum super sufferentiam
» guerræ quam habent inter ipsos, usque ad Nativita-
» tem beati Johannis Baptistæ duraturæ, & quòd cer-
» tæ personæ sint deputatæ per prædictas partes ad con-
» veniendum ad certam diem & ad certum locum in con-
» finiis Angliæ & Scotiæ ad dictas treugas confirmandas
» sub tali conditione, sicut aliàs consuetum est in par-
» tibus illis, ita quòd durantibus dictis treugis Franci
» nec dominus eorum in aliquo non fortificarent eos
» nec in gentibus nec in armis; & in casu quòd gen-

tes

tes Scotiæ & dominus eorum dictis treugis non vellent assentire, vel eas vellent infringere, tunc Franci nec dominus eorum non fortificarent eos durantibus dictis treugis. Item concordatum est quòd istæ prædictæ treugæ erunt notificatæ in partibus Angliæ & Scotiæ infra viginti quinque dies post datam præsentium litterarum. Item concordatum est quòd in istis treugis comprehenduntur Hispani, Castellani, Januenses & Provinciales, Episcopus cum Capitulo Cameracensi & Castellum Cameracense cum omnibus Cameracensibus, dominus de Labret Vicecomes Fronsaci, Gasto de Insula, dominus de Treubon, dominus Johannes de Vervinno, dominus de Roya. In cujus rei testimonium præsentes litteras nostris sigillis sigillavimus, factas, concordatas & datas in Ecclesia de Espechin die Lunæ XX. Septembris, Anno Domini 1340.
millesimo tricesimo quadragesimo.

Hoc etiam anno Rex Hispaniæ & Rex Portugaliæ contra Sarracenos feliciter pugnaverunt, & ex ipsis Sarracenis circa centum quinquaginta millia interfecerunt. Hoc anno Rex Scotiæ DAVID cum uxore sua Regis Angliæ sorore, qui diu Regis Angliæ timore ad Regem Franciæ exulaverant, & in castro Gaillardi morati fuerant, ad Regnum proprium sunt reversi.

CONTINVATIO ALTERA Chronici Guillelmi de Nangis.

SIquis ad memoriam reducere voluerit magnam partem eventuum satis mirandorum ab anno Domini 1340. & deinceps, legat præsentem scripturam quam ego Frater quidam * per hos apices, prout in parte vidi & audivi, sub brevibus memoriæ commendavi. Imprimis ad manus meas pervenerunt quasi prophetiæ ignotæ, sed quid in parte significarent ignoratur, utrùm autem veritatem dicant vel aliud non dico, sed arbitrio legentium relinquatur. Sacerdos quidam diœcesis Turonensis anno Domini 1309. liberatus de ma-

* quondam

nibus Sarracenorum, qui ipſum captivum detinuerant per ſpatium tredecim annorum & trium menſium, celebrat Miſſam ſuam in Bethleem ubi Dominus fuit natus, & dum eſſet in Secretum Miſſæ ſuæ & oraret pro populo Chriſtiano, apparuerunt litteræ aureæ coram eo ſcriptæ per hunc modum: *Anno Domini* 1315. *die decima quinta menſis Martij incipiet tanta fames, quòd populus humilium certabit & curret contra potentes ſæculi & divites. Item Corona Pugilis potentiſſimi torruet poſtea ſatis citò. Item flores & rami ejus quaſſabuntur ſeu frangentur. Item una nobilis & libera civitas à ſervis occupabitur & capietur. Item extranei ibidem trahent moram. Item Eccleſia cancellabit & genus ſancti Petri. Item ſanguis multorum fundetur ſuper terram. Item una crux rubea exaudietur & elevabitur* *; *ideò vos boni Chriſtiani vigilate.* Hæc ſunt verba hujus viſionis, ſed quid ſignificent veraciter ignoratur.

* exaltabitur.

Sciendum eſt quòd famem illam quam prædixit magnam & prævalidam eodem anno milleſimo trecenteſimo decimo quinto vidi inchoatam dum eram ætatis ſeptem vel octo annorum, quæ adeò fuit gravis & dura in Francia, quòd maxima pars hominum fame & penuria interiit; & duravit fames illa per duos annos & ampliùs, nam anno XV. inchoavit & anno XVIII. ceſſavit; & ſicut fuerat cariſtia magna bladorum, ita Deo diſponente quaſi inopinatè rediit abundantia, & ceſſavit cariſtia ſupradicta; ſed & mulieres quàm ſolito abundantiùs concipiebant & prolem gignebant elegantem. De aliis enim punctis dictæ viſionis ſi quæ poſtea ex eis evenerunt poſtea apparebit.

Ætas auctoris hoc anno.

Alia autem prophetia talis magis eſt obſcura. *Filius regnans in meliori parte mundi movebitur contra ſemen leonis, & ſtabit in agro inter ſpinas regionis: tunc filius hominis veniet ferens feras in brachio, cujus Regnum eſt in terra lunæ, cum magno exercitu tranſibit & ingredietur in terra leonis carentis auxilio, quia beſtiæ regionis ſuæ carnem ſuam dilaceraverunt. Illo anno veniet aquila à parte Orientali alis extenſis ſub dolo cum magna multitudine pullorum ſuo-*

*rum in adjutorium filij hominis: illo anno castra destruentur, terror magnus erit in populo, & in quadam parte leonis erit lilium; inter plures Reges in illa die erit sanguinis diluvium, & lilium perdet coronam suam, de qua postea filius hominis coronabitur; per quatuor annos sequentes fient in mundo prælia inter fidem tenentes, major pars mundi destruetur, caput mundi ad terram erit declinatum; sed filius hominis cum aquila prævalebit; tunc erit pax in toto orbe terrarum & copia fructuum, tunc filius * hominis admirabile signum* f. * filij
transibit ad terram promissionis, quia omnia primæ causæ promissa tunc permanebunt impleta. Ista sunt verba hujus prophetiæ, quam ut fertur, fecit Magister JOHANNES de Muis qui temporibus suis fuit magnus Astronomus, quid autem significet ego & multi alij ignoramus. Alteram autem prophetiam magis claram loco suo subscribendam, inferiùs bene pòst superaddam. Nunc ad aliquos mirandos eventus & fortuitos sed non ad omnes qui in Regno Franciæ, & ad pauca quæ alibi evenerunt circa annum Domini 1340. & deinceps sicut vidi & audivi veraciter declarandos venio ut promisi.

Circa igitur annum Domini 1340. visa fuit stella 1340.
cometa in istis partibus Gallicanis versùs partes meridionales, seu inter meridionalem plagam & occidentalem, mittens caudam suam & radios ad partem orientalem & aquilonarem; quæ quidem stella præsagium fuit futurarum tribulationum in Regno, ut creditur, & bellorum. Nam circa idem tempus regnante in Francia domino PHILIPPO de Valesio, qui jam regnaverat per duodecim annos, qui erat filius domini CAROLI de Valesio quondam Comitis Andegaviæ, qui fuerat frater PHILIPPI Regis Pulcri, EDUARDUS Rex Angliæ opinionem acceperat quòd deberet regnare in Francia & nullus alius, & hoc ratione matris suæ ISABELLIS, quæ fuerat filia dicti Philippi Regis Pulcri, quia nullus heres masculus erat propinquior, ut dicebat, & ob hoc ante hos annos diffidaverat dictus Rex Angliæ dictum Regem Franciæ Phi-

lippum de Valesio, licèt tamen sibi dudum fecisset homagium de terris quas à dicto Rege in Gallia tenuerat & tenebat; & ideo disposuit movere guerram contra dictum Regem Francorum Philippum, & transfretare ad partes Gallicanas, & hoc de consilio domini ROBERTI de Artesio & GUILLERMI Comitis Hanoniæ, cujus filiam desponsaverat dictus Rex Angliæ Eduardus. Igitur in illis diebus, factis per dictum Regem Angliæ magnis confœderationibus cum JOHANNE Duce Brabantiæ, & cum prædicto Guillermo Comite Hanoniæ, & cum multis Alemannis, ac etiam cum gente Flandriæ, quæ dictum Ludovicum Comitem suum à Flandria expulerat illis temporibus, & quemdam burgensem de Gandavis nomine JACOBUM de Artevella eloquentem valde sibi in Rectorem monstruosè præfecerat. Dictus Rex Eduardus cum magna gente armorum in mare ut transfretaret ad Franciam se posuit. Quod sentiens PHILIPPUS Rex Francorum, ad resistendum ne applicaret ad portum, Johannem dictum Behucher quemdam burgensem Turoniæ vel Cenomaniæ per mare cum magna multitudine navium & hominum bellatorum sibi obviam misit, & navali bello inito ante Sclusam in Flandria versùs Catat dictus Behucher, qui strenuè se habuit cum suis ab Anglicis devictus est & occisus, Flammingis adhuc adjuvantibus dictum Regem Anglorum, quampluribus tamen de Anglicis nobilibus & aliis à dictis Gallis interfectis; & tunc Rex Angliæ ad Sclusam & ultra per mare transiens venit usque Antuerpiam in Ducatu Brabantino. Temporibus autem istis videns Rex Francorum Philippus Flammingos rebellantes contra suum Comitem, supplicavit Ecclesiæ ut in partibus Flandriæ interdictum poneretur, & sic factum est, quod quidem interdictum à toto Clero fideliter & obedienter non sine magno periculo est observatum, non tamen, ut dixi, sine magno periculo, quia iste Jacobus qui tunc in tota terra Flandriæ tyrannicè præsidebat Clerum interdictum observantem in-

tersicere molitus est, sed Deus qui suorum est custos obedientium non permisit. Rex veró Angliæ cum suo exercitu per Brabantiam veniens ad partes Therassiæ per Hanoniam transiens versùs Guisiam applicuit, totam terram Gallicanam deprædando, cremando & vastando. Quod audiens Rex Francorum PHILIPPUS sibi cum maxima multitudine armatorum tam de Aquitania quàm de Britannia & aliis diuersis Regni partibus obviàm perrexit usque apud Byron fossam in Therassia prope Guisiam, sed non pugnaverunt, quinimmo treugis datis Rex Angliæ per Flandriam ad partes suas remeavit, & Rex Franciæ cum suis ad partes Parisienses reversus est. Non multùm pòst veró temporis Rex Angliæ Eduardus adhuc citra mare veniens per Flammingos iterum receptus est, & de consilio ipsorum se Regem Franciæ & Angliæ vocari fecit, arma sua sive signa armorum per quarteria dividens, scilicet signa Angliæ & Franciæ in scuto & aliis ponens novum dominium designando; & dum esset in Gandavia trahens moram uxor sua quæ cum eo de Anglia prægnans advenerat peperit filium, quem de sacris fontibus levatum ut Leo vocaretur ordinavit. Sic igitur nomen Regis Franciæ & arma scilicet cum suis permixta usurpavit tunc temporis & accepit, quod non modicum scandalum & indignationem Regi Franciæ & multis aliis tam viris Ecclesiasticis quàm ceteris generavit, & tunc à Ludovico Duce Bavariæ qui tunc temporis Imperium contra voluntatem Ecclesiæ usurpavit, & ob hoc excommunicatus & Schismaticus reputatus, impetravit dictus Rex Angliæ ut esset ejus Vicarius in partibus Hanoniensibus & Cameracensibus; quo concesso venit per Hanoniam volens inuadere civitatem Cameracensem, pro eo quòd Episcopus & cives ferebant auxilium Regi Francorum seu juvamen, qui quidem Cameracenses multa mala à dicto Rege Angliæ & Hanoniensibus eos sustinentibus eis viriliter resisterunt, & tunc domini Cardinales, qui à domno Pa-

pa in Franciam missi fuerant, pro pace componenda treugas inter Reges posuerunt, & sic Rex Angliæ ad Flandriam remeavit, ubi stetit per magnum tempus, cogitans Regnum Francorum inuadere, quod & fecit postea, ut dicetur: sed priùs dicemus de aliquibus aliis accidentibus qui temporibus istis in diversis partibus acciderunt.

In temporibus autem istis incœperunt homines & specialiter Nobiles, ut putà nobiles scutiferi & eorum sequaces sicut aliqui burgenses, & quasi omnes servientes seipsos in robis & habitu deformare, nam gestare cœperunt robas curtas, & ita breves, quòd quasi eorum nates & pudenda confusibiliter apparerent, quæ fuit res in populo satis mirabilis, quia antea honestiùs incesserant; barbas longas omnes viri ut in pluribus nutrire cœperunt. Illum autem modum quasi omnes exceptis illis qui erant de sanguine Regio in Francis receperunt, qui quidem modus derisionem in communi plebe non modicam generavit. Ex tunc namque fuerunt tales multi ad fugiendum coram inimicis magis apti, prout eventus pluries comprobavit. Eodem anno Philippus de Valesio sororem suam, quam dominus ROBERTUS de Artesio duxerat in uxorem, tenuit in carceribus cum suis liberis propter dictum dominum Robertum, qui bannitus erat de Francia & fugerat in Angliam, stans ibi cum Rege Angliæ & assistens in omnibus guerris suis contra Regem supradictum Francorum.

1341. Anno autem sequenti, scilicet anno Domini 1341. obiit Princeps inclytus videlicet Dux Britanniæ Johannes secundus filius Ducis Arturi, qui habebat in uxorem dominam JOHANNEM de Sabaudia, & sepultus est in Plameluo in Britannia, in Monasterio Fratrum Beatæ MARIÆ in Carmelo, juxta avum suum JOHANNEM Mauclare Ducem, primum Fundatorem dicti loci, qui fuit progenitor Arturi supradicti. Obiit autem Dux JOHANNES sine liberis, quapropter postea fuit orta gravis & dolorosa

guerra in partibus Britanniæ propter Ducatum ſupradictum; de qua guerra & per quam pluſquàm triginta millia hominum poſtea in iſtis partibus evenerunt. Nam dictus Dux fratrem habebat Comitem Montis-fortis in Francia, qui ſuperveniens voluit ſe facere Ducem Britanniæ loco fratris ſui jam defuncti. Ex altera parte ſupererat quædam domina JOHANNA nomine filia alterius fratris iſtorum duorum, qui fuerat antiquior iſto Comite Johanne, ſed mortuus fuerat ante Ducem Johannem; & illam filiam duxerat Carolus filius Comitis Bleſenſis in uxorem, qui dicebat Ducatum ratione dictæ filiæ quæ erat ejus uxor ſibi deberi, quia filia illa tenebat locum patris ſui licèt defunctus eſſet. Ex hac autem controverſia fuit orta diſſenſio inter eos, & tandem venientes ad Judicium Regis Franciæ Philippi in Parlamento Pariſius, auditis rationibus & allegationibus partium, & viſis conſuetudinibus Britanniæ, adjudicata fuit terra & Ducatus deberi dictæ filiæ & Carolo ejus marito, & non Johanni Comiti Montis-fortis: quod videns dictus Comes clam de Pariſius receſſit nec judicatum tenuit, ſed ad civitatem *Nantes* pergens cum civibus & aliis villis per aliquam partem Britanniæ confœderationes faciens rebellare diſpoſuit, & terram obtinere credidit vi armorum, mittens uxorem ſuam JOHANNAM ſororem LUDOVICI Comitis Flandriæ in Angliam cum unico filio quem habebat, Johannem nomine, ut Rege Angliæ qui inimicus erat Regis Franciæ finaliter tueretur. Videns autem Rex Flandriæ Philippus rebellionem dicti Comitis miſit contra eum ad partes Britanniæ dominum JOHANNEM de Francia Ducem Normanniæ primogenitum ſuum cum magna multitudine armatorum, qui veniens cum gente ſua ad caſtrum quod dicitur *Chantoceaux* locum fortiſſimum ſupra fluvium Ligeris in introitu Britanniæ, cepit dictum caſtrum vi armorum, & burgum totum concremavit; & inde propugnavit civitatem Nanatenſem. Quod ſentientes

cives Nanatenses & timentes valde, claves portaverunt dicto domino Johanni Duci Normanniæ, reddentes ei civitatem, & promittentes ei obedientiam observare CAROLO de Blesis & ejus uxori tamquam Duci Britanniæ. Comes autem Montis-fortis qui recesserat ad inferiores partes Britanniæ, hoc audiens recessit post uxorem suam ad Angliam, volens habere auxilium à Rege Angliæ Ducatum Britanniæ contra CAROLUM de Blesis & ejus uxorem recuperando quando posset. Habebat enim magnam partem Britanniæ pro se & aliquos Barones Britanniæ, sed non omnes: nam dominus CAROLUS de Blesis plures pro parte sua de Nobilibus obtinebat. Sic igitur villa Nanatensis Duci Normanniæ reddita, Dux pacificè dictam civitatem Nanatensem intravit, pacificéque recessit, & cives Nanatenses dictum Carolum & ejus uxorem in suum dominum atque suum Ducem unanimiter receperunt. Sed non sic postea negotia in pace permanserunt, quinimmo multa mala & magna guerra satis citò exorta sunt, ut inferiùs describetur.

Temporibus illis obiit GUILLERMUS Comes Hannoniæ pater Reginæ Angliæ & pater uxoris Ludovici Ducis Bavariæ, qui Ludovicus pro Imperatore se gerebat. Hic Guillermus multùm contrarius erat Regi & Regno Franciæ, favens partem Regis Angliæ propter Reginam Angliæ filiam suam, & tamen habebat sororem Regis Franciæ in uxorem; quæ sancta domina erat & devota ut apparuit; nam videns quòd post mortem viri sui mala inolescebant atque guerræ, & quòd filius suus juvenis Guillermus Comes Hanoniæ erat contra Regem Franciæ fratrem suum, sicut fuerat pater ejus; dolens de hoc, nec valens apponere remedium ut optabat, effecta est Monialis in Abbatia de Fontenellis juxta Valentianas ordinis Cisterciensis, ubi quantæ devotionis & sanctitatis ibidem floruerit sciunt sorores dicti loci. Illis autem diebus regebat sanctam Matrem Ecclesiam

ſiam dominus Papa XII. BENEDICTUS, Ordinis Ciſtercienſis. Nunc ad geſta de Regibus Franciæ & Angliæ, & de eorum guerra de cetero dicendum eſt.

Eodem anno 1341. EDUARDUS Rex Angliæ confœderatus cum Duce Brabantiæ JOHANNE ſicut aliàs cum Jacobo de Artevella, qui Flammingis, ut dictum eſt, monſtruosè & tyrannicè præſidebat, & cum Alemannis multis civitatem Tornacenſem cum magna copia armatorum obſeſſit, exiſtentibus Flammingis in obſidione prædicta versùs partes Flandrenſes, Duce Brabantiæ cum ſuis versùs partes ſuas, Comite Hannoniæ Guillermo juvene versùs partes Hanonienſes, & Rege Angliæ cum ſuis Anglicis & Alemannis versùs partes Inſularum & ſancti Audomari; & durante dicta obſidione dicta patria Tornacenſis multa gravia paſſa fuit: Nam inimici prædictam patriam devaſtaverunt, & Comes Hannoniæ unà cum illis de Valenchis, villam de ſancto Amando in Pabula ad tres leucas de Valenchis ſitam, totam unà cum Monaſterio ceperunt, cremaverunt ac etiam ſpoliaverunt, & multas alias villas adjacentes. Audiens autem Rex Franciæ PHILIPPUS Regem Angliæ obſidere civitatem Tornacenſem & ſuos cum Hanonienſibus patriam Franciæ eis vicinam devaſtare, miſit ad partes Hannoniæ filium ſuum primogenitum JOHANNEM Ducem Normanniæ ut patriam Franciæ ab inimicis defenſaret, qui videns patriam Franciæ circa Hannoniam ab Hannonienſibus ita devaſtatam, terram eorum ſimiliter devaſtavit in parte; unde Appram cremavit & multas alias villas in confinio etiam uſque ad portas Valentianas: quo facto ad Regem patrem ſuum eſt reverſus. Rex verò PHILIPPUS appropinquans ad partes Tornacenſes Attrebatum cum magna gente acceſſit, & habitis multis tractatibus cum Rege Angliæ & cum Flammingis, ordinatum fuit quòd Rex Franciæ interdictum quod procuraverat apponi in Flandria faceret amoveri, & ipſi omnes de obſidione Tornacenſi re-

1341.

cederent. Ad quod faciendum Rex Franciæ consentiens interdictum quantum in se fuit amoveri fecit, quod maximum gaudium in Flandria generavit, & per hoc Flammingi ab obsidione recesserunt, & similiter Rex Angliæ & ceteri inimici & civitas Tornacensis, quæ jam penuriam victualium habere inchoabat, fuit ab omni periculo liberata, & Flammingi cantum Ecclesiasticum & organa resumpserunt. Inconsultâ tamen de hac re, Romanâ Ecclesiâ, à qua omnis pœnitentia & omnis gratia atque relaxatio derivatur, unde ipsam restitutionem sic sine sancta Matre Ecclesia factam non approbavit ipsa dicta Ecclesia nisi usque ad magna tempora sequentia, videlicet usque ad tempora Papæ Innocentij VI. qui ad eorum humilem petitionem dictum interdictum approbando totaliter relaxavit, & obnoxios absolvi misericorditer mandavit, mortuo jam eorum Capitaneo Jacobo de Artevella & occiso per suos, qui ei diu fuerant in rebellionibus contra suum Comitem aliquando assistentes.

1342. Post hæc anno Domini 1342. obiit domnus Papa BENEDICTUS XII. & domnus PETRUS Rogerij Cardinalis Monachus est in Papatu consecratus, & CLEMENS VI. est vocatus, Doctor in Sacra Theologia, natione Lemovicensis, dilectus & benignus; fuerat enim ante Cardinalatum Archiepiscopus Rothomagensis. Eodem anno Rex Angliæ EDUARDUS supradictus à Comite Montis-fortis, de quo supradixi, ut ad terram suam scilicet Ducatum Britanniæ acquirendum adjuvaret requisitus est, qui quidem Rex Angliæ ei annuens ad Britannicas partes per maria navigavit, & magnam partem obtinuit vi armorum, ut putà, civitatem Nannetensem & alia castra multa usque ad Malumstrictum * inclusivè. Quod audiens Rex Franciæ contra ipsum ad Britanniam deffendendam celeriter se paravit, & veniens usque Planelium ubi Dux Johannes defunctus sepultus cum dicto Rege Angliæ se obtulit pugnaturum, sed

vulgò * *Malestroit.*

ibi fuerunt duo Cardinales missi per dominum Papam, qui de consensu utriusque treugas per duos annos inter eos posuerunt sub hoc pacto, quòd civitas Nannetensis in manu Ecclesiæ reverteret usquedum de pace bona inter ipsos esset finaliter ordinatum, & Rex Angliæ illa alia loca quæ ceperat in manu sua teneret, donec ordinatum esset cui terra deberetur, & sic taliter treugis datis ambo Reges ad propria redierunt, sic tamen quòd Rex Angliæ pro parte sua custodem dimisit Thomam *d'Agorne* Militem strenuum & nobilem valde, & Rex Franciæ dimisit Carolum de Blesis pro alia parte, cui tota terra ratione uxoris suæ meritò subjacebat. Eodem autem tempore Comes Montis-fortis, pro quo Rex Angliæ certaverat, in partibus Britannicis obiit habens unicum filium nomine Johannem in Anglia, & sic pars ejus debilitata magis fuit.

Anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo quarto siluit satis terra, sed anno 1345. accidit quòd dominus Carolus de Blesio Dux Britanniæ supradictus iniit bellum apud Ruppam de *Naut* *, in Britannia profunda contra Thomam *d'Agorne*, qui positus erat in Britannia pro parte Regis Angliæ, qui instabat pro Comite Montis-fortis, ut dictum est, vel saltem pro ejus filio, qui quidem filius erat in Anglia cum matre sua adhuc puer & juvenis: unde in dicto conflictu sic evenit quòd multis ex utraque parte interfectis, & potissimè quam pluribus Baronibus, Militibus & aliis de partibus Britanniæ, Carolus Dux ab Anglicis est devictus & captus, & tandem in Angliam ductus est prisonarius & captivus, sed postmodùm ad duram & magnam redemptionem positus ad partes Britannicas est reversus, manentibus liberis suis in hostagione apud Angliam donec de redemptione sua pecuniaria esset Regi Angliæ plenariè satisfactum. Interim autem remansit tota Britannia multùm desolata atque læsa; nam Anglici postea dictam civitatem Nanetensem in manu sua receperunt, domi-

1344.

1345.

Gal. * *Roche de rien*

nium occupantes & multas alias villas atque castra postmodùm ceperunt, cremaverunt, patriam in locis plurimis devastantes, sicut Plamelium & alia plura loca de quibus supersedeo quoad presens. Multa etiam fuerunt in partibus illis bella particularia inter Gallicos missos illùc per dominum Philippum Regem Franciæ pro tuitione terræ Britanniæ, & inter Anglicos & alios Britones de parte eorum ibidem existentes, in quibus bellis particularibus aliquando Anglici perdiderunt sicut in conflictu de Redone, ubi Thomas *d'Agorne* cum suis interiit, & sicut in Plamelio ubi triginta de parte Gallicorum contra triginta de parte Anglicorum insimul concorditer pugnaverunt, ubi pars Anglicorum devicta est. E contrario etiam alios conflictus habuerunt sicut apud *Maurrout*, ubi GUIDO de Nigella, dominus de Offemonte Marescallus Franciæ Miles probus & strenuus, unà cum ROBERTO Muleti Senascallo Andegaviæ, cum multis aliis tam Gallicis Britonibus quàm Normannis qui in prælio ceciderunt.

1345. Eodem anno 1345. GUILLERMUS juvenis Comes de Hanonia ad Frisones cum magna multitudine Baronum & Militum de partibus Hanoniæ debellandos navigio transfretavit, volens eos subjugare totaliter & domare, sed non sicut crediderat actum fuit; Nam dum de navi descendisset ad eos nondum adhuc tota gente sua transfretata Frisones armatos quasi in littore obvios habuit, qui contra ipsum & contra plures Nobiles debellantes dictum Comitem Hanoniæ cum quamplurimis Militibus & aliis de gente sua celeriter occiderunt: quod videntes qui prædictum Comitem navigio sequebantur festinanter ad propria sicut venerant, sunt reversi, dominum suum Comitem mortuum & alios in terra Frisonum in navibus dimittentes. Hic autem Comes sicut fuerat in guerra pater suus contrarius Regi Franciæ pro Rege Angliæ, ita & ipse, & tamen Rex Franciæ erat avunculus suus, sed tamen, ut dicitur, incipiebat ad

partem Regis Franciæ reverti, unde pius Rex PHILIPPUS avunculus ejus de morte quamplurimùm doluit sciens eum esse nobilem & magnanimum & fuisset si diu vixisset. Ista autem quæ dicta sunt initia sunt mirandorum eventuum & malorum quæ postea deinceps & in diversis mundi partibus evenerunt, sed plùs in Francia quàm alibi, ideò de his majorem partem prout vidi & audivi scire volentibus hic describam pleniorem & prolixiorem descriptionem & declarationem, aliis qui ista gesta scribere voluerint relinquendo. Nolo autem aliud nisi tangere in grosso gesta quæ sequuntur atque volo tempora eorum quæ temporibus meis vidi certiùs scribere & notare. Quæ vidit Auctor describit.

Igitur anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo sexto, mense Julij EDUARDUS Rex Angliæ qui se Regem Franciæ nominabat & arma Francorum cum suis jam permixerat, scilicet Lilia & Leopardos, qui etiam jam fuerat in Britannia pro Comite Montis-fortis contra dominum PHILIPPUM de Valesio Regem Francorum, & contra dominum CAROLUM de Blesein Ducem Britanniæ, ut satis superiùs fuit dictum. Idem EDUARDUS Rex Angliæ anno prænotato defuncto jam diu prædicto Comite Montis-fortis, & etiam domino ROBERTO de Artesio mortuo, de cujus consilio Rex Angliæ præfatus guerram contra Francos inceperat, transfretavit ab Anglia cum magna multitudine armatorum, & applicans ad partes Normanniæ, videlicet in partibus Neustriæ, capere voluit Cadomum, quod & fecit. Hoc autem sentiens Rex Franciæ misit contra eum virum potentem in armis, videlicet Comitem *d'Eu* qui erat Conestabilis Franciæ cum multis, GUILLELMUM *de Tancarvilla*, sequens eos usque ad Rothomagum. Veniens autem Rex Angliæ apud Cadomum fixit tentoria prope villam, & quia villa Cadomi muros non habebat tunc temporis nec clausuram, Anglici manu armata habentes Ductorem suum Godefridum de Haricuria, qui bannitus antea fuerat de Francia, Miles strenuus in 1346.

armis & aſtutus, villam Cadomi intraverunt cum impetu ut eam deprædarentur & vaſtarent. Illi autem de villa cum dicto Coneſtabili & Camerlingo* cum aliis Nobilibus quos habebat eis viriliter reſiſterunt pugnantes contra eos in medio dictæ villæ, videlicet juxta pontem & ſuprà ante Eccleſiam ſancti Petri, in quo ponte eſt nunc ædificatum caſtrum valde pulcrum. Pugnantibus autem illis multi ex utraque parte ceciderunt, tandem Anglicis exiſtentibus potentioribus pro eo quòd ſibi invicem ſuccedebant, & de campis ubi Rex Angliæ verſùs Monaſterium Monialium tentoria fixerat ſucceſſivè ad ſibi ſuccurendum ad prælium mutuò accurrebant, Cadomenſes in bello ceciderunt, ita quòd Coneſtabilis & Camerlingus capti fuerunt ab Anglicis & ducti ad Angliam. Rex verò Angliæ cepit villam & ſpoliavit eam, & magnam partem vaſtavit & cremavit, & inde recedens multos viros & mulieres ſecum captivos duxit, caſtrum tamen quod eſt fortiſſimum non cepit, quia non potuit. Deinde dictus Rex Angliæ à Cadomo recedens verſùs Rothomagum dirigens greſſus ſuos totam patriam vel majorem partem concremando & vaſtando, ſicut eſt *Crouchart* & aliæ villæ multæ, & iter ſuum facientes Anglici cum Rege ſuo per Monaſterium de Becco Helluini tranſierunt, ibíque non nocuerunt niſi quòd victualia receperunt, & ſic per illas partes venientes juxta Rothomagum, ubi Rex Francorum PHILIPPUS tunc temporis erat, in principio menſis Auguſti poſuerunt ignem in aliquibus domunculis juxta Monaſterium beatæ MARIÆ de Prato, & ſtatim verſùs Franciam recedentes ante Pontem-Archæ venerunt, & ſuburbia & ligna quæ erant in littore maris cremaverunt, & ſimili modo apud Vernonem fecerunt; & ſic ſemper procedentes per partem quæ eſt ſupra flumen Sequanæ verſùs Carnotum cremando & patriam miſerabiliter devaſtando, nemine eis reſiſtente niſi quando bonas villas invadebant, ut putà, Vernonem & Meullant, uſque Poiſſiacum pervenerunt. Rex autem

ſive * Cambellano.

Franciæ PHILIPPUS de Rothomago recedens ad alteram partem Sequanæ eos celeriter insequens Parisius accessit, Rege Angliæ cum suis in Poissiaco manente: qui quidem Rex Angliæ veniens usque ad villam sancti Germani in Laya eam spoliavit, incendit & domum Regiam, quæ ibi est, & etiam alias villulas adjacentes sicut est *Nantere*, Caroli-Venna, *Ruel*, & cetera usque ad portum *de Nully*, quinimmo etiam turrem quæ dicitur *Monjoye* cremaverunt, quam quidem turrem fecerat Rex Francorum non erat diu solemniter reparari. Omnes autem hos eventus ut in pluribus vidi ego qui hæc scripsi, & poterant videre illi de Parisius qui super turres ascendebant; sed hæc sunt modica in comparatione futurorum. In primo autem exercitu Anglicorum erat Godefridus de Haricuria Normannus Miles de Regno Franciæ qui de Regno fuerat exulatus.

Vidit quæ scribit Auctor.

Hæc verò eis agentibus nemo eis obviabat, sed finem sui recessus Rex Franciæ PHILIPPUS expectabat, unde in vigilia Assumptionis Beatæ Virginis dicti anni fuit dictum dicto domino Regi quòd Rex Angliæ cum suis versùs partes Tornacenses ire disponebat, quod verbum credens Rex Francorum esse verum, statim ad sibi obviandum se viriliter disposuit exiens de Parisius, & veniens apud Antoniacum ultra Burgum Reginæ tentoria fixit, & dum ibi Regem Angliæ ut dicebatur transiturum expectaret Rex prædictus, pontem de Poissiaco reparari fecit, qui propter eum fractus fuerat, & pontem transiens cum suis apud Belluacum arripuit iter suum, Rege Franciæ illuso in Antoniaco per duos ibidem dies expectante. In fine autem pontis de Poissiaco Rex Angliæ obviam habuit Communiam Ambianensem ubi erant multi boni viri qui Anglicos invadentes se viriliter portaverunt, sed Anglici multò plures & cum sagittis se deffendentes & prævalentes omnes alios occiderunt; & sic versùs Picardiam procedentes patriam igne & gladio devastantes prope Belvacum transientes, non ta-

men intrantes, quia civitas clausa erat, Monasterium sancti Luciani Monachorum nigrorum extra muros tunc situm valde solemne cum Ecclesia cremaverunt, & transeuntes ultra Pisas * & castrum ceperunt, & venientes juxta villam de Abbatis-villa ad fluvium Sommæ dictum applicantes ad quemdam passum ubi aqua erat magis bassa, in loco qui dicitur Albatanqua, Gallicè *Blanquetaque*, cum suis equis & necessariis liberè transierunt & sine periculo, domino Godemardo * cum pluribus aliis armatis in altera parte, ut Anglicis resisteret expectante, sed dictus Godemardus Miles Burgundus eos videns strenuè transire, & cum magna multitudine ipsos in littore non expectans immo cum suis revertens fugit & recessit, & sic Sommam fluvium liberè transeuntes per villam quæ *Crotoy* dicitur, quam cremaverunt. Tunc juxta Cressiacum in Pontivo quem etiam cremaverunt, tentoria sua seu logiamenta & stationem facientes, se ibidem securiùs posuerunt, juxta nemus expectantes siquis eos invadere voluisset. Rex autem Franciæ PHILIPPUS qui dictum Regem Angliæ expectabat in Antoniaco audiens quòd sic de Poissiaco recesserat, & pontem reparatum quod à Francis credebatur quasi impossibile transierat, delusum se esse & proditum reputavit & doluit, & coadunato iterum exercitu maximo Nobilium & peditum ultrà quàm credi posset cum multis Januensibus balistariis opertis, Regem Angliæ usque apud Cressiacum est celeriter insecutus, habens secum in comitatu suo & exercitu Regem Boemiæ strenuum valde & doctum in armis, cujus strenuitatem probat effectus armorum & cordis magnanimitas, nam ex ambobus oculis cæcus erat atque senex, & tamen non propter hunc defectum relinquerat vim armorum. Hic habuit filium CAROLUM qui postea fuit Romanus Imperator, & ipse etiam erat ibi præsens; ipse etiam habebat filiam BONAM dictam, quam desponsaverat dominus JOHANNES Dux Normanniæ primogenitus Regis Philippi nunc regnantis.

* vulgo *Poix.*

* *de Fay.*

Igitur

Igitur veniente Rege Francorum Philippo versùs Cressiacum cum suis ubi Rex Angliæ jam aderat, præfatus dominus Rex Francorum cum suis Regem Angliæ in campali bello ibidem juxta Cressiacum in die sancti Ludovici Regis anno supradicto scilicet 1346. audaci animo est aggressus, horâ nonâ jam transactâ, Anglicis ex opposito ad pugnandum cum sagittariorum suorum magna multitudine præparatis. Dum autem nostri Gallici se ad pugnandum disponerent, ecce subitò pluvia de cælo descendit, aër totus qui antea clarus fuerat se turbavit, & pluvia de cælo cadens cordas balistarum Januensium qui venerant pro Francis sic restrinxit, quòd ipsi quando trahere contra Anglicos debuerunt balistas suas, ex cordarum madidatione, restrictione & breviatione tendere, proh dolor! minimè potuerunt. Non sic autem de sagittariis, arcubúsque Anglicorum, quia jam ante pluviam bellum expectantes citiùs arcus suos præparaverant, appositis in capitibus arcuum cordis suis, unde factum est ut appropinquantibus aciebus Gallicis adhuc nondum bene nec totaliter ordinati, sed ut fertur à Rege nimiùm festinati, dixerunt balistariis ut contra Anglicos statim traherent de balistis, qui quidem balistarij trahere cœperunt, sed cogentes cordas ad invicem, arcus ascendere nullatenus poterant, quia restrictæ fuerant pro pluvia, ut dictum est, & sic Januenses balistarij nullum tractum fecerunt de balistis suis illâ horâ, qui tamen in aggressu belli more solito debuerant esse primi: quod videntes nostri Gallici & non advertentes causam dictam seu impedimentum prædictum, crediderunt quòd dicti balistarij dolosè se fingerent & trahere non curarent, eis imponentes quòd ad talem simulationem faciendam pecunias à parte altera recepissent, eos trucidare & interficere cœperunt, nullam eorum excusationem recipere volentes, cùm tamen se validis clamoribus excusarent, quod videntes adversarij qui priùs erant perterriti audaciam receperunt, & tunc nostros Gallicos minùs bene ordinatos

1346.

fortiter invadentes cum suis gladiis, arcubus & sagittis letaliter percusserunt in tantum, quòd in illo conflictu Gallici resistere non valentes, maxima eorum multitudo ultra quàm credi posset in dicto prælio ceciderunt, & qui evadere potuerunt velociter terga vertentes recesserunt, & sic campum perdentes de parte Gallicorum ibidem mortui sunt magnus numerus Nobilium & aliorum tam equitum quàm peditum, inter quos cecidit Rex Boemiæ, qui erat cæcus, de quo dictum est supra, qui quidem ad prælium se faciens duci, tam suos quàm alios, quia non videns gladio feriebat. Cecidit etiam ibi Comes de Alençonio Comes Regis, Comes Blesensis Regis nepos, Comes Flandriæ LUDOVICUS, qui à suis Flammingis per JACOBUM de Artevella de Flandria expulsus fuerat, Comes Barrensis, Comes de Haricuria, qui de dicto Comitatu fuit primus Comes; nam ante ipsum erant non Comites sed Barones dicti. Cecidit etiam ibi Comes de Sanserria, Dux Lotharingiæ, & alius Dux de quo non recolo: inter istos verò credendum est quòd multi alij perempti sunt. De Anglicis verò plurimi sed non sicut nostri perierunt. Rex verò PHILIPPUS dolens illa nocte Ambianis revertens, & pòst Parisius, & Rex Angliæ victor recedens cum spoliis & multis equis & aliis divitiis, juxta Musterolum transiens Stapulas cremavit; & ulteriùs procedens venit ante Calesium, & ibidem in pratis versùs Ecclesiam sancti Petri, quæ erat tunc in pratis, prope villam tentoria fixit, totam illam patriam occupans & devastans, volens villam Calesiensem capere vi armorum vel aliter, quod & fecit.

1346. Eodem anno 1346. dominus JOHANNES Dux Normanniæ primogenitus Regis Philippi cum magna multitudine armatorum obsedit villam & castrum quod
* *Aquillon.* dicitur Aculeum * in Vasconia, sed parum ibi profecit: ibidem obiit nobilis & inclytus princeps PHILIPPUS Dux Burgundiæ non in bello sed de infirmitate naturali. Audiens autem Dux Normanniæ quòd Rex

Angliæ venerat & transierat ad partes Galliæ, dimisit obsidionem Aculei, & in habitu Hospitalarij cum gente sua reversus est in Franciam. Ex tunc & jam in Francia incœperant vigere talliæ multæ, gabellæ salis & impositiones pecuniariæ super mercimonias; sed istud non gravabat tantùm populum, sicut manulevationes pecuniarum quæ fiebant. Tunc etiam & deinceps & antea superscindebantur floreni propter novas monetas quæ noviter fiebant, & super quos inveniebantur aliæ monetæ quàm illæ quæ erant noviter factæ sine misericordiâ scindebantur, & adhuc illi cujus erant tradebant salarium non voluntarium scindentibus pro labore, & tunc oportebat tales pecunias tradere camsoribus cum damno non modicæ quantitatis. Tunc similiter fuit tanta & totiens iterata mutatio monetarum, quòd populus communis de hoc & in hoc damnificatus nimiùm dolebat & gemebat. Illis etiam diebus levabat dominus Rex decimas Ecclesiarum de voluntate domini Papæ nostri & Ecclesiæ Romanæ, & sic infinitæ pecuniæ per diversas cautelas levabantur, sed re vera quantò plures nummi in Francia per tales extorquebantur, tantò magis dominus Rex depauperabatur, & nulla prosperitas, immo omnia infortunia in regno, proh dolor! sequebantur. Officiales ditabantur, Princeps depauperabatur, pecuniæ militibus multis & Nobilibus ut patriam & regnum juvarent & defensarent contribuebantur, sed omnia ad usus inutiles ludorum, ad taxillos & alios indecentes jocos contumaciter exponebantur.

Anno domini 1347. Rex EDUARDUS prædictus sedens ante Calessum multos insultus villæ fecit, sed illi de villa ab infra se egregiè defenderunt per machinas & alia genera balistarum, quoscumque etiam exeuntes quamplures de Anglicis trucidabant & de ipsis triumphabant. Rex autem Franciæ PHILIPPUS confortabat Calesienses victualia eis per terram vel per mare mittendo, quæ quidem victualia si sufficienter habuissent, numquam eos de Anglicis dubitare convenisset, 1347.

ſed illi quibus pro eis proviſiones committebantur, illas ad propria commoda convertebant, ut dicebatur, Rege tamen Francorum & Conſilio ignorante. Videns autem Rex Franciæ quòd Rex Angliæ ab illo loco obſidionem non dimitteret, cum magna multitudine armatorum ivit illuc, quoniam dictum fuit ſibi quòd illi de villa victus ſuos ulteriùs non habebant, & ita erat. Nam jam comedebant equos ſuos, mures & ratos, & aliqui fame deficientes miſerabiliter moriebantur. Veniens autem Rex Franciæ prope Caleſium, & illum videntes illi de infra, maximo gaudio nec mirum ſunt repleti, credentes per eum ab obſidione & omnibus periculis relevari, facientes ſigna à longè per ignes oſtenſos in turribus, quòd ſe adhuc per tres dies vel quatuor poterant ſuſtinere, dummodò eos Rex viriliter adjuvaret, quod & facere propoſuerat & feciſſet ſi bonum conſilium habuiſſet. Audientes autem Anglici adventum Regis Franciæ miſerunt ad eum legationem in dolo, dicentes quòd Rex eorum Eduardus libenter de pace & receſſu cum eo tractaret, ſi tamen treugas & inducias daret ſibi per tres dies. Rex autem Franciæ minùs bene conſultus, & ignorantibus illis de villa, dedit dictas treugas ſic in dolo requiſitas & petitas; & tunc interim Anglici foſſata magna fecerunt inter villam Caleſienſem & exercitum Regis Franciæ, & ita manu valida & veloci per prata & per paludes quod impoſſibile fuiſſet Regem Franciæ cum gente ſua ad Caleſium pertranſire. Sic etiam Anglici ita ſe & circa ſe foſſatis & turribus atque bigis in circuitu munierunt, quòd præter eorum voluntatem nemo ad eos accedere potuiſſet, habentes ad partem Flandriæ Flammingos amicos, qui de Ypra & aliis villis illius patriæ victualia & alia contra Gallicos monſtrabant. Foſſatis igitur factis & paſſibus ſic obſtructis Rex Franciæ ſe deceptum videns, & quòd nullo modo poſſet ad Caleſium accedere, dolens nec Caleſiacenſibus ſuccurrere, nec inimicos evadere, reverſus eſt in Franciam indilatè : quod percipientes Caleſij à longè

recessum videntes, & quòd Rex sine auxilio eis dato vel dando confusus recedebat, in stuporem & pavorem tam ex defectu auxilij quàm victualium conversi sunt, unde non post multum temporis se, villam totam Regi Angliæ coacti, salvis vitis eorum & salvo quantum super se de bonis suis portare possent, finaliter reddiderunt; & sic Rex Angliæ villam Calesiensem cepit, omnésque habitantes ejecit, omnésque Religiosos fratres Beatæ MARIÆ de Carmelo qui ibidem morabantur, & alios de Anglia ibi ponens, villam totam de Anglicis populando, aliis ejectis, quorum multi deinceps depauperati & nudi cum liberis & uxoribus coacti sunt per mundum necessaria mendicare, & hoc tam de villa quàm de patria adjacente. Nam Anglici non multùm pòst castrum de Guynes ceperunt & patriam vastaverunt, & sic illa fortalitia atque villas in partibus illis tenent & occupant usque in præsentem diem in detrimentum illius patriæ non modicum atque Regni.

Circa dictum tempus, scilicet anno 1347. CAROLUS de Boëmia filius illius Regis Boëmiæ, qui cæcus obiit in conflictu de Cressiaco, fuit in Imperatorem Romanum electus, & per Ecclesiam confirmatus & coronatus in villa quæ Boëmia dicitur prope Aquisgranum, Ludovico Bavaro adhuc Imperium usurpante. Eodem anno vel circiter David Rex Scotiæ tempore quo Rex Angliæ erat cum suis in obsidione Calesij venit cum multis viris ad obsidendum villam Londoniorum in Anglia, sed dictus Rex David Scotus ibidem captus fuit & detentus ab Anglicis, quæ quidem captio gaudium Anglicorum cumulavit. Eodem anno LUDOVICUS Bavarus qui se dixerat per multos annos Imperatorem, & imperium contra voluntatem Ecclesiæ usurpaverat, mala morte interiit, nam supra equum sedens venationi intendens cecidit, & fractis cervicibus expiravit excommunicatus & propter excommunicationis contumaciam aggravatus; & tunc Carolus Rex Boëmiæ jam

1347.

in Imperatorem antea electus, fuit in Aquisgrani pacificè coronatus, qui quidem ivit postea Romam pro corona altera & alibi prout Imperatores facere consueverunt.

Temporibus illis LUDOVICUS juvenis Comes Flandriæ, filius videlicet illius Comitis qui in bello de Cressiaco cum aliis Nobilibus obierat, retentus per Flammingos contra ejus voluntatem atque dominæ matris suæ, quæ fuerat filia Regis Franciæ Philippi Longi piæ memoriæ, in partibus Flandriæ & ductus ad curiam Regis Angliæ, qui adhuc in partibus illis se tenebat, seductus per Regem Angliæ supradictum & per aliquos Flammingos, qui sibi adadhærebant, coactus promisit dicto Regi quòd filiam suam quam in Anglia habebat duceret in uxorem. Igitur durantibus sic sponsalibus dictus juvenis dolens nec cordialiter assensum præbens matrimonio supradicto, sed revoluens in animo qualiter posset quieto corde stare inter eos qui patrem suum quamquam in bello, occiderant, cogitavit quòd dictum matrimonium numquam compleret, quia coactus propromiserat & non voluntariè; unde cogitavit quòd de Curia Regis fugeret ubi erat diligentissimè observatus. Et factum est dum una dierum obtinuisset licentiam ad venationem avium peragendam, videns se in equis cum paucis, & sedens super equum velocissimum percussit eum de calcaribus festinanter, & accipiens iter versùs Franciam non cessavit currere donec à suis custodibus fuisset evasus & perditus, & accessit recto itinere ad Regem Philippum, qui tunc erat Parisius, qui ipsum juvenem consobrinum suum recepit cum maximo gaudio laudans Deum. Et sic Rex Angliæ & Flammingi utputà Jacobus de Artevella qui prædictum matrimonium tractaverat, videntes se delusos, tristitia sunt repleti, maximè Regis Angliæ filia supra dicta; unde nomine ejus facta fuit cantilena quæ in Francia ubique cantabatur, Gallicè: *I'ay failly à qui je estoie donnée par amour, &c.* Processu verò temporis rece-

dente Rege Angliæ ad partes ſuas, dictus juvenis Comes Flandriæ à ſuis in Flandria eſt receptus pacificè cum honore, & accepit uxorem filiam Ducis Brabantiæ, de qua poſtea habuit unam filiam, quæ deſponſata eſt nunc Duci Burgundiæ. Et ſic juvenis habet juvenem in uxorem impuberem & ſub annis.

Anno Domini 1348. percuſſa eſt gens Franciæ & quaſi totius mundi, & hoc alio modo quàm per bellum; nam ſicut fames, ut dictum eſt in principio, & bella, ut dictum eſt in proceſſu hujus narrationis, affuerant, ita peſtilentiæ & tribulationes in diverſis mundi partibus iterum acciderunt. Unde eodem anno 1348. in menſe Auguſti viſa fuit quædam ſtella ſupra Pariſius versùs partem Occidentalem magna & clara valde poſt horam veſperam, adhuc lucente ſole & tendente ad occaſum, & hæc erat non multùm longè ſicut ſunt ceteræ à noſtro hemiſphærio elevata, immo videbatur propinqua ſatis. Et factum eſt ut Sole occidente & nocte appropinquante dicta ſtella me' & multis aliis Fratribus eam aſpicientibus non videbatur de uno loco ſe movere, tandem nocte jam veniente nobis videntibus & multùm admirantibus dicta ſtella valde groſſa in plures & diverſos radios eſt diſperſa, quæ radios ferè Pariſius & versùs Orientem projiciens totaliter diſparuit & ex integro annullata fuit. Unde an fuerit una cometa, vel alia, aut ex aliquibus exhalationibus formata & tandem in vaporibus reſoluta, Aſtronomorum judicio derelinquo. Poſſibile tamen eſt quòd ipſa fuit præſagium peſtilentiæ futuræ admirandæ, quæ ſatis citò ut dicam, Pariſius & per totam Franciam ſicut alibi ſecuta eſt; unde in eodem anno Pariſius & in Regno Franciæ & non minùs, ut fertur, in diverſis mundi partibus & in ſequenti anno fuit tanta mortalitas hominum utriuſque ſexus & magis juvenum quàm ſenum, quòd vix poterant ſepeliri, & vix ultra duos vel tres dies in infirmitate jacebant, ſed ſubitò & quaſi ſani moriebantur; unde qui hodie erat

1348.

ſanus, cras mortuus ad foveam portabatur; habebant enim ſubitò boſſas ſub aſſellis vel in inguine, quibus inſurgentibus erat infallibile ſignum mortis: & hæc infirmitas ſeu peſtilentia à medicis epidimia vocabatur. Tanta autem abundantia populi tunc, videlicet anno Domini 1348. & 1349. deceſſit, quòd numquam
1349. auditum, neque viſum, neque lectum fuit in temporibus retroactis: & veniebat mors prædicta & infirmitas ex imaginatione vel ſocietate ad invicem & contagione; nam qui ſanus aliquem viſitabat infirmum, vix aut raró mortis periculum evadebat. Unde in multis villis parvis & magnis Sacerdotes timidi recedebant, Religioſis aliquibus magis audacibus adminiſtrationem dimittentes, & breviter in multis locis de viginti hominibus non remanſerunt duo viventes. Tanta enim fuit in Domo Dei Pariſius mortalitas, ut per magnum tempus ultra quingenti mortui omni die ad cimiterium ſancti Innocentij Pariſius ad ſepeliendum in curribus portabantur, & iſtæ ſanctæ Sorores Domus Dei mori non timentes dulciſſimè & humillimè omni honore poſtpoſito pertractabant, quarum multiplex numerus dictarum Sororum
f. * renovatus. ſæpius revocatus * per mortem in pace cum Chriſto ut piè creditur requieſcit.

Dicta autem mortalitas, ut dicitur, inter incredulos inchoavit, deinde ad Italiam venit, poſtea montes pertranſiens ad Avinionem acceſſit, ubi etiam aliquos dominos Cardinales invaſit, totam familiam abſtulit tunc ab eis; deinde per Vaſconiam & Hiſpaniam paulativè de villa ad villam, de vico ad vicum, & ultimò de domo ad domum, immo de perſona ad perſonam inopinatè ad has partes Gallicanas accedens uſque ad Alemanniam tranſivit, minùs tamen ad ipſos quàm ad nos. Durante tamen epidimia dicta Dominus tantam gratiam ex ſua pietate conferre dignatus eſt, ut decedentes quamquam ſubitò quaſi omnes læſi mortem expectabant, nec erat aliquis quin confeſſus & cum ſacratiſſimo viatico moreretur,

reretur, & quod plus ad bonum decedentium fuit, domnus Papa Clemens misericordia usus in quamplurimis civitatibus & castris absolutionem à pœna & culpa decedentibus per suos Confessores dedit misericorditer & concessit, unde libentiùs moriebantur, hereditates multas & bona temporalia Ecclesiis & Religiosis dimittentes, quia proprios heredes ante se mori videbant. Dicebant quòd hæc pestilentia ex aëris infectione & aquarum oriebatur, quia tunc temporis non erat fames nec defectus victualium quorumcumque, sed abundantia magna, unde ex ejus opinione aëris infecti & aquarum, & mortis ita subitæ impositum fuit Judæis, quòd ipsi puteos & aquas infecerant & aërem corruperant, propter quod mundus contra eos crudeliter insurrexit in tantum, quòd in Alemannia & alibi per diversas partes mundi ubi Judæi habitabant fuerunt trucidati & occisi à Christianis & cremati passim & indifferenter multa millia Judæorum, & est mirandum de eorum & sua uxorum fatua constantia, nam dum cremarentur ne eorum parvuli ad baptismum convolarent matres eorum primò in ignem projiciebant liberos, deinde post ipsos eædem matres super ipsos in ignem se præcipitabant, ut cum maritis & eorum parvulis cremarentur. Multi etiam mali Christiani fuerunt reperti, ut dicitur, qui similiter venena per puteos imponebant, sed revera tales intoxicationes, posito quòd factæ fuissent, non potuissent tantam plagam & tantum populum infecisse. Alia igitur fuit causa, utputà, Dei voluntas, ut humores corrupti & aëris malitia seu terrarum, & fortè tales potiones si factæ fuerunt in aliquibus locis ad hoc potuerunt adjuvare. Duravit autem dicta mortalitas in istis partibus Gallicanis per magnam partem anni 48. & 49. & tunc cessavit, multis villis campestribus & domibus in bonis villis quasi vacuis remanentibus & orbatis, & tunc ceciderunt domus multæ satis citò & tales & ita solemnes & plures ceciderunt Parisius, de quarum ruina minùs quàm de multis aliis apparebat.

Cessante autem dicta epidimia, pestilentia & mortalitate nupserunt viri qui remanserunt & mulieres ad invicem, conceperunt uxores residuæ per mundum ultramodum, nulla sterilis efficiebatur, sed prægnantes hinc inde videbantur, & plures geminos pariebant, & aliquæ tres infantes insimul vivos emittebant, sed quod ultramodum admirationem facit, est quòd dicti pueri nati post tempus illud mortalitatis supradictæ & deinceps dum ad ætatem dentium devenerunt, non nisi viginti dentes vel viginti duos in ore communiter habuerunt, cùm ante dicta tempora homines de communi cursu triginta duos dentes sub & supra simul in mandibulis habuissent. Quid autem numerus iste dentium in post natis significet, multùm miror, nisi dicatur, quòd per talem & tantam mortalitatem hominum infinitorum & successionem aliorum & reliquorum qui remanserant, mundus est quadammodò renovatus & sæculum, ut sic sit quædam nova ætas; sed proh dolor! ex hujus renovatione sæculi non est mundus propter hoc in melius commutatus. Nam homines fuerunt postea magis avari & tenaces cum multò plura bona quàm antea possiderent; magis etiam cupidi & per lites, brigas & rixas atque per placita seipsos conturbantes, nec per hujusmodi terribilem mortis pestem à Deo inflictam fuit pax inter Reges & dominos reformata, quinimmo inimici Regis Franciæ ac etiam guerræ Ecclesiæ fortiores & pejores quàm antè per mare & per terram suscitaverunt, & mala ampliora ubique pullularunt. Et quod iterum mirabile fuit; nam cùm omnis abundantia omnium bonorum esset, cuncta tamen cariora in duplo fuerunt tam de rebus utensilibus quàm de victualibus, ac etiam de mercimoniis & mercenariis & agricolis & servis, exceptis aliquibus hereditatibus & domibus quæ superfluè remanserant his diebus. Charitas etiam ab illo tempore refrigescere cœpit valde, & iniquitas abundavit cum ignorantiis & peccatis; nam pauci inveniebantur qui scirent aut vellent in domibus, villis & castris infor-

mare pueros in grammaticalibus rudimentis.

Eodem anno 1348. HELORI * de Britannia minori Presbyter & Confessor miræ virtutis & gratiæ fuit ab Ecclesia & Domno Papa Clemente sexto canonizatus, & anno sequenti à Prælatis & Clero Britanniæ de terra elevatus multis signis & miraculis per eum seu à Domino tunc factis propter ipsum & ostensis, & Ecclesia nomine ejus in vico sancti Jacobi inchoata primitus & fundata. Quantis autem virtutibus & sanctitate floruerit in Ecclesia Tregorensi * in dicta Britannia, ubi corpus ejus quiescit, liquidè declaratur.

* *Est S. Ivo qui Helori al. Karmartin cognominatur.*

vulgo * *Treguer.*

Anno Domini 1349. durante adhuc prædicta mortalitate & de villa in villam ulteriùs procedente surrexerunt multi viri de Alemannia, de Flandria, de Hannonia & de Lotharingia novam sectam auctoritate propria inchoantes: nam denudati in femoralibus per hospitia & plateas civitatum & bonarum villarum cum magnis societatibus & turmis incedebant nudi, cum flagellis conglobinati processionaliter & circulariter seipsos aculeis affligentes, jubilando vocibus altisonis & cantando cantilenas suo ritui aptas & noviter adinventas, & sic processerunt per multas villas per triginta tres dies magna spectacula in populis admirantibus facientes, pœnitentiam talem agentes, seipsos per spatulas & brachia flagellis aculeatis usque ad sanguinis effusionem acriter verberando. Parisius autem non venerunt neque ad partes Gallicanas, prohibiti per dominum Regem Franciæ qui noluit, & hoc fecit de consilio Magistrorum in Theologia Universitatis Parisiensis, dicentium quòd nova secta erat contra Deum inchoata & contra formam sanctæ matris Ecclesiæ, & contra salutem animarum omnium ipsorum, sicut revera verum est, & erat, ut patuit satis citò. Nam Domnus Papa Clemens VI. de hoc fatuo novo ritu per Magistros Parisienses, qui ad eum nuntios reverenter miserant, plenariè informatus, cùm esset contra jura damnabiliter adinventa, eos flagellatores sub auctoritate prohibuit & prohiberi

1349.

fecit ne de cetero tales publicas pœnitentias à ſeipſis præſumptuoſè aſſumptas ampliùs exercerent. Et meritò inhibuit, quia jam inveniebant tales flagellatores fulti aliquibus Sacerdotibus fatuis & Religioſis ſectas erroneas & malas atque opiniones deceptorias ultramodum. Nam dicebant quòd eorum ſanguis ſic per flagella tractus & effuſus cum Chriſti ſanguine miſcebatur, & multa alia erronea jam adinveniebant, & dicebant quod minùs bene & minùs ſanè ad fidem Catholicam ſpectabat, unde ſicut à ſeipſis, & non à Deo, fatuè incœperunt, ſic etiam eorum ſecta & ritus infra breve tempus ad nihilum redacti ſunt, quia moniti deſtiterunt, abſolutionem & pœnitentiam à ſuis Prælatis ex parte Domni Papæ de hujuſmodi errore humiliter acceptantes. Nec eſt prætermittendum quòd multæ mulieres honeſtæ & matronæ devotæ hanc præfatam pœnitentiam de flagellis procedentes & cantantes per villas & Eccleſias ſimiliter faciebant, ſed hæc omnia in parvo tempore ſicut alij poſtea dimiſerunt.

1349. Eodem anno 1349. obiit domina Regina Navarræ JOHANNA, filia quondam Ludovici dicti Huſtin Regis Franciæ, quæ quidem obtinebat Regnum Navarræ ratione parentum ſuorum, qui fuerunt dicti Regni poſſeſſores. Hæc domina maritum habuerat nomine Philippum de Ebroicis Comitem nobilem virum & probum, qui ex parte dictæ dominæ dicebatur Rex Navarræ dum viveret. Hic Philippus jam ante deceſſerat in Pruſia vel Granata ad quas partes tranſierat contra Infideles pro fide & Eccleſia pugnaturus. Iſta domina de dicto viro ſuo tres nobiles filios habuit, CAROLUM primogenitum, PHILIPPUM & LUDOVICUM, filiæ verò fuerunt duæ, prima fuit BLANCHA dicta, cui poſtea nupſit PHILIPPUS de Valeſio Rex Franciæ. Poſt mortem verò hujus Reginæ Navarræ, CAROLUS ejus primogenitus fuit Comes de Ebroicis loco patris, & fuit Rex Navarræ loco matris, de quo Carolo poſtea dicetur.

Eodem anno 1349. obiit BONA uxor domini JOHANNIS de Francia primogeniti Regis Francorum Philippi de Valesio, qui quidem Johannes erat Dux Normanniæ & Aquitaniæ, & habebat quatuor filios, primogenitum CAROLUM & alios tres, & duas filias. Eodem anno decessit domina JOHANNA de Burgundia Regina Franciæ: tunc etiam uxor PHILIPPI de Valesio nunc regnantis. Hæc de domino Rege habebat duos filios, videlicet dominum JOHANNEM Ducem Normanniæ primogenitum, & alium Ducem Aurelianensem, & unam filiam, quam CAROLUS de Ebroicis Rex Navarræ duxit in uxorem juvenculam valde, & adhuc unam aliam quam assumpsit postea in uxorem BARNABAS Dux Mediolanensis, habuítque tertiam quæ Barrensi desponsata fuit Duci. Mortuâ autem dictâ JOHANNA Reginâ Franciæ, ut dictum est, PHILIPPUS de Valesio Rex Francorum accepit in uxorem dominam BLANCHAM filiam defunctæ Reginæ Navarræ, de qua statim dictum est, scilicet sororem Caroli Regis novi Navarræ, & de ea habuit unam filiam. Illo anno dominus Rex Philippus & satis citò postea mortuus est, ut dicetur.

Anno Domini 1350. Domnus Clemens Papa Sextus volens salutem animarum hominum procurare, statuit ut indulgentiæ plenariæ quæ erant & quæ solebant esse in sacra urbe Roma de centum annis in centum annis, in Circumcisione Domini nostri JESU CHRISTI reducerentur ad quinquagenos annos, quia vita hominum labitur & decrescit, & malitia superabundat in mundo, proh dolor! & accrescit: ideò illo anno 1350. fuerunt indulgentiæ plenariæ concessæ per dictum Domnum Apostolicum omnibus verè pœnitentibus, volentibus pergere & visitare loca Apostolorum Petri & Pauli in Romana urbe aliorúmque Sanctorum. Ad quam quidem peregrinationem iverunt per totum annum illum quamplurimi utriusque sexus nonobstante mortalitate magna quæ fuerat nuper, & quæ adhuc in aliquibus mundi partibus discurrebat. 1350.

1350. Eodem anno 1350. obiit inclytus Princeps dominus PHILIPPUS de Valesio Rex Franciæ durante adhuc dura guerra inter ipsum & Eduardum Regem Anglorum: & Regnavit in Francia dominus JOHANNES Dux Normanniæ primogenitus ejus, & fuit coronatus pacificè eodem anno Remis cum magna solemnitate mense Septembri, quæ fuit dies Dominica anno primo. Hic autem Philippus Rex videns quòd moreretur, vocavit duos filios suos, videlicet dominum JOHANNEM primogenitum & PHILIPPUM Ducem Aurelianensem, & ostendens eis litteras solemnes, in quibus determinationes & rationes efficaces Doctorum solemnium tam Theologorum quàm Decretorum, quàm etiam Legum, erant scriptæ, qualiter hereditas & Corona Regni Franciæ ad ipsum Regem & ad liberos suos successores jure hereditariò pertinebat & non ad Regem Angliæ, qui propter istam dictam hereditatem & Coronam contra ipsum guerram indebitè suscitabat. Ostendit etiam eis solutiones argumentorum de contrario ipsorum Anglicorum, monens ipsos & specialiter primogenitum post ejus decessum regnaturum, ut audacter jus suum & Regnum contra Anglicos defenderet & pugnaret, dicens quòd justa causa semper indiget defensione, & quòd illi qui pro defendenda ea certant semper vincunt, sed aliquando in parte succumbunt; verumtamen in fine, non ita citò sicut vellent, auxiliante Domino & fortuna redeunte prævalent, & suos inimicos viriliter superant & devincunt. Sic enim erit vobis si boni æmulatores fueritis & Deum timueritis & zelum ad Rempublicam gubernandam habueritis & amorem. Deinde monuit ipsos multùm ut se mutuò diligerent, pacem ad invicem & concordiam perpetuam similiter conservarent, dicens quòd volebat, sicut & justum erat, quòd dominus JOHANNES regnum & Coronam obtineret, & alter dominus PHILIPPUS secundò genitus Dux Aurelianensis, Comitatum de Valesio, à quo ipse Rex Philippus cognomen habuerat,

possideret : ad quod dominus Johannes libenti animo condescendit, & sic dominus Rex Philippus de Valesio spiritum reddens migravit ad Dominum, relinquens supradictos & unam filiam de secunda uxore, scilicet de domina BLANCHA sorore Caroli Regis Navarræ; & sepultus est cum aliis Regibus in Monasterio sancti Dionysij in Francia honorificè & devotè. Rex autem JOHANNES satis citò pòst ejus coronationem veniens Parisius fecit capi Comitem de Guynes qui erat Connestabilis Franciæ, & ipsum fecit decollari de nocte in hospitio Nigellæ Parisius juxta domum Fratrum Ordinis sancti Augustini.

Anno Domini 1351. insurrexerunt Domni Cardinales & Prelati alij multi cum magna multitudine Curatorum contra Religiosos Mendicantes in Curia Romana, volentes & petentes à Domno Papa Clemente sexto eorum adnullationem, & quòd deficerent in se, Episcopi allegantes fortiter in Consistorio quòd ipsi Mendicantes non erant ab Ecclesia vocati & electi, & quòd eis non incumbebat fidelibus prædicare, neque confessiones audire, sed neque sepulturas recipere alienas : unde requirebant dicti Prælati cum Curatis quòd ipsi Mendicantes cassarentur, vel quòd saltem cessarent à præmissis, aut ad minùs quòd non solùm quarta portio de sepulturis alienis daretur, sed totum emolumentum ipsis Curatis ex integro redderetur, quia nimis erant ditati ipsi Mendicantes de talibus sepulturis, prout dicebant ipsi Prælati & Curati. Hæc & similia Prælati & Curati allegabant contra Mendicantes, & multò plura magno de hoc sermone contra ipsos facto per Domnum Cardinalem, & præfatis Mendicantibus ibidem præsentibus & nihil ad objecta respondentibus, sed potiùs cogitantibus illud quod scriptum est; *Estote in pace, & Dominus pugnabit pro vobis :* quod statim ibidem factum fuit. Nam finitis dictis allegationibus contra ipsos Domnus Papa statim pro Mendicantibus verbum sumpsit, allegans pro parte Mendicantium eleganter ostendens per multa

1351.

jura & ſcripturas dictos Mendicantes non eſſe ſic ſpernendos, ut illi dixerant, nec caſſandos, probans eos à Deo & Eccleſia fore vocatos ad auxilium regiminis Eccleſiæ, licèt tardiùs quàm de multis, etiam eos inter alios vocatos deberi meritò computandos, probans hoc inter cetera exemplo Beati Pauli Apoſtoli, qui cùm non fuiſſet à principio de numero duodecim Apoſtolorum, ſed potiùs eſſet magnus Eccleſiæ perſecutor, poſtea tamen fuit à Chriſto inſpiratus, vocatus, & vas electionis factus, & inter Apoſtolos excellentior commendatus. Objecit etiam Domnus Papa ipſis Prælatis & Curatis, de quo ſi ipſi Mendicantes tacerent, de quo ipſi populo prædicarent? quia ſi de humilitate prædicaveritis, Vos, inquit Domnus Papa, eſtis ſuper omnes ſtatus mundi magni, ſuperbi & elati & pompoſi, & in equitaturis & aliis: ſi de paupertate, vos eſtis magis tenaces & cupidi, unde non vobis ſufficiunt omnes præbendæ ac beneficia mundi: ſi prædictis prædicetis de caſtitate, de hoc, inquit, nos tacemus, quia Deus ſcit qualiter quilibet agit, & qualiter quamplurimi in deliciis nutriunt corpus ſuum. Addidit autem Domnus Papa, quòd idcirco multi Prælati & Curati odio habebant Mendicantes, & eis claudebant portas ſuas pro tanto ne viderent vitas eorum, ſed bene lenonibus & truffatoribus, & non mendicantibus bona temporalia ſæpiùs miniſtrabant, dicens iterum eis quòd dolere non debebant ſi Mendicantes aliqua bona tempore mortalitatis, quæ nuper fuerat, receperant in viſitationibus Mendicantium, & curam quam dicti Mendicantes fugientibus Curatis multis ſolemniter exercuerant circa decedentes; etſi de dictis temporalibus aliqua ædificia conſtruxerant, non erat dolendum, cùm hoc totum eſſet, ut dicebat Domnus Papa, in ſuis ædificiis appoſitum ad decorem totius univerſalis ſanctæ Dei Eccleſiæ, non in voluptatibus & actibus impudicis. Et quia non ſic facitis nec feciſtis, ideò ſic doletis, quia totum non habetis ut omnia exponatis ad

ad usus vestros tales quales. Et idcirco ipsos Mendicantes acriter accusatis; qui tamen, ut de pluribus vestrûm vera loquamur, dixit Domnus Papa, nonnisi ad vana & temporalia vacatis sæpiùs & studetis; & modò huc contra Mendicantes venistis sicut una congregatio taurorum in vaccis populorum, ut excludatis eos qui probati sunt argento. Tandem dixit eis Domnus Papa, quæ & qualia mala & quanta emergebant Ecclesiæ, si ea quæ ipsi Prælati petebant contra Mendicantes finaliter obtinerent: dixit tamen eis quòd si aliqua haberent contra ipsos Religiosos, ponerent in scriptis, & alij è converso, & ipse Domnus Papa daret eis optimos Auditores. Et sic vacui recesserunt dolentes & confusi, Religiosis gaudentibus & laudantibus Deum verum. Quid autem factum fuerit post hæc ignoratur.

Anno Domini 1352. involuto sæculo in multis guerris & tribulationibus Domnus Papa Clemens VI. migravit à sæculo, natione Lemovicensis, ut dictum est, Magister in Theologia, magnus & egregius Prædicator, & quia Monachus fuerat, dictus Petrus Rogerij ante ejus assumptionem ad Papatum, unde in Abbatia fuerat Monachus, scilicet in Monasterio Casæ-Dei Diœcesis sancti Flori in Alvernia voluit sepeliri. Et post ipsum fuit electus in Papam Domnus Papa Innocentius VI. natione etiam Lemovicensis, qui quidem Stephanus Alberti antea vocabatur, Presbyter Cardinalis, utriusque juris Doctor, homo bonus, simplex, & justus. 1352.

Anno Domini 1353. fuerunt multa bella particularia per Anglicos contra Francos tam in Britannia quàm in Normannia, quàm etiam in Picardia, & multa castra & villæ per Britanniam & per Normanniam, & in Diœcesi Constantiensi & Bajocensi, quæ fuerunt crematæ per Anglicos & destructæ, & etiam in Diœcesi Cenomanensi & Carnotensi, & castrum de Damfronte captum per Anglicos, & multa alia damna facta. 1353.

Anno Domini 1354. fuit terræ motus magnus in

nocte, & in die sancti Lucæ Evangelistæ. Interim multa castra & civitates ex hujusmodi terræ motu in diversis mundi partibus corruerunt & specialiter in Alemannia, utputà civitas quæ dicitur Basilia quæ tota funditùs corruit, & etiam Ecclesia Major & domus cadentes oppresserunt quamplurimos, & post ruinam domorum exiliit ignis à domibus prostratis, qui ligna & alias materias eorum resolvit in cinerem & redegit. Dictus autem terræ motus sentitus fuit Remis & etiam Parisius & alibi, prout fertur.

1354. Eodem anno 1354. dominus CAROLUS de Hispania Conestablis Franciæ, cujus parentela olim à radice sanguinis Regum Francorum processerat, & qui multùm dilectus à Rege Franciæ JOHANNE erat, & familiaris fuerat valde, verbis rancorosis, ut dicitur, habitis inter CAROLUM de Ebroïcis Regem Navarræ & ipsum Conestabilem, & aliis causis ignotis nobis, fuit de mandato & ordinatione dicti Regis Navarræ etiam eo præsente interfectus in villa quæ dicitur Aquila in Comitatu de Alençonio, & quod fuit inhumanum valde, quia de nocte in lecto suo ipso nudo misericordiam & pietatem implorante sicut homo armis & vestimentis omnibus spoliatus. Ad hoc factum fuerunt præsentes Comes de Haricuria, qui tunc erat PHILIPPUS de Navarra, frater prædicti Regis Navarri, dominus de Girardi-villa, unus alius Miles vocatus MAUBUE, & NICOLAUS Dubleti Scutifer, & quamplures alij. De hoc autem facto Rex Franciæ JOHANNES quamplurimùm doluit quando scivit, & multi alij per mundum & per Regnum horrorem habentes de modo faciendi. Ex hoc autem dictus Rex Navarræ indignationem non modicam Regis Franciæ Johannis incurrit. Unde licèt Rex Navarræ haberet ejus filiam in uxorem, ut supra alibi dictum est, tamen Rex Franciæ volebat & voluit tantum flagitium modo judiciali corrigere & punire, & fecisset, sed tunc temporis erat in Fran-

cia Cardinalis dominus GUIDO de Valonia, qui per Domnum Papam propter pacem inter Reges Franciæ & Angliæ erat missus, qui quidem Cardinalis unà cum domina Regina JOHANNA de Ebroïcis relicta, uxore quondam Caroli Regis Franciæ & matertera dicti Regis Navarræ, unà cum domina BLANCHA relicta domini PHILIPPI de Valesio Regis nuper defuncti, cum multis aliis Baronibus & Prælatis apud Regem Johannem pro dicto Rege Navarræ intercedentes, pacem ejus cum magnis instantiis & precibus impetrarunt cum pactis & conditionibus, & specialiter quòd dictus Rex Navarræ Capellas & Capellanias multas fundaret, in quibus Sacerdotes multi pro anima dicti defuncti de cetero celebrarent, & sic Rex Franciæ Johannes pepercit alteri & fuit in ejus gratiam receptus & positus, quia Rex Navarræ prædictus tunc temporis erat ab omnibus amabilis & dilectus, quæ quidem reconciliatio multùm placuit toti Regno, sed proh dolor! non stetit diu.

Anno Domini 1355. Eduardus Rex Angliæ transivit ad Calesium, & exinde cum magno exercitu venit usque Hesdinum multas villas devastando, & ibidem in confinio per plures dies stetit. Audiens autem hoc Rex Franciæ JOHANNES statim cum armatis plurimis versùs eum iter fecit, & veniens Ambianis misit ad Regem Angliæ nuncios, qui dicerent ei ut ambo Reges cum suis ad campale bellum pariter convenirent : qui quidem Rex Angliæ videns non sibi expedire, respondit quòd satis expectaverat, & nullum qui cum eo pugnaret invenerat, & ideo à modo neminem expectaret ; & tunc versùs Calesium velociter abiit. Rex verò Franciæ Parisius est reversus. 1355.

Eodem anno 1355. tempore Quadragesimali accidit in castro Rothomagensi lamentabile factum : Dux enim Normanniæ CAROLUS primogenitus Regis Franciæ Johannis fecit unum solemne convivium in castro Rothomagi supradicto, & vocavit ad pran-

dium Carolum de Ebroïcis Regem Navarræ generum Regis Franciæ, de quo dictum est supra. Invitati etiam fuerant Comes de Haricuria ac dominus de Grand-villa Miles potens in patria & multi alij Milites ac Nobiles. De Rege autem Navarræ supradicto, & de Comite de Haricuria & aliquibus aliis in convivio illo prandentibus fuerant aliqua sinistra Regi Franciæ Johanni relata, ut creditur, propter quæ statim ea quæ facta fuerunt, evenerunt. Nam cùm dicti convivantes cum Duce adhuc epularentur & sederent clausis januis ipsius castri interiùs & firmatis; ecce subitò Rex Franciæ JOHANNES, qui non multùm longè à civitate comederat, inopinatè & subitò armatus cum multis per parvam portam castri, quæ ad campos tendit, super dictos convivantes eis non cogitantibus subintravit, quem sic armatum intuentes omnes in stuporem nimium sunt conversi, qui super eos cum suis in armis veniens, manus apponens ad Regem Navarræ, aliis omnibus qui in illo prandio fuerant hinc inde fugientibus & per muros saltantibus præ timore: captis autem Comite de Haricuria & aliis tribus nominatis, scilicet domino de Giraldi-villa *, Maubue & Nicolao Dupleti, statim fecit Rex ipsos poni in biga jam parata, & perdictum ostium posteriùs eos duci ad patibulum rectâ viâ, & factum est dum ad campos devenit Rege præsente cum Duce filio, præcepit Rex in medio itinere eos decollari, & deinde omnes tres Duces ad patibulum suspendi eorum corporibus cum catenis ferreis per spatulas fortiter alligatis, & capitibus desuper in lanceis appositis & affixis, hominibus de civitate hoc nescientibus, donec circa finem captionis fuerunt per rumores fugientium excitati. Istud autem factum, magnum stuporem & admirationem in populo ubique per Franciam & alibi generavit. Rex autem Navarræ sic captus, ut dictum est, fuit in carcere trusus, & durè pertractatus, deinde in castro Gaillardi, missus postea in Casteleto Parisius, &

* Graville

deinde per diverſa caſtra & loca hinc inde, modò in Pontiſara, modò in Picardia ductus miſerabiliter & reductus. Imponebatur enim ſibi quòd aliquando machinatus fuerat contra Regem & contra Carolum Ducem Normanniæ primogenitum Regis, ſed quid & qualia & utrùm verum hoc fuerit hoc ignoro. Dum autem ſic fuit in carceribus, multa gravia ſuſtinuit & ſtupenda: nam aliquando mittebantur ad eum quidam qui fingebant ipſum velle ſine medio decollari; ſed tunc ſuperveniebant alij prohibentes. Ipſe autem, ut dicitur, ſuſtinebat omnia patienter nihil mali operis recognoſcens, & ſic ſtetit in carceribus diverſimodè vinculatus & durè tractatus per unum annum cum dimidio & ampliùs.

Ipſo autem Rege Navarræ in carceribus ſic retruſo Rex Franciæ JOHANNES terras ſuas & iſtorum qui cum eo capti fuerant dedit poſtea & diviſit, ſed ſic eas obtinere faciliter non potuit ad libitum ita citò; nam gentes dicti Regis Navarræ qui cum eo non iverant Rothomagum, ſed remanſerant Ebroïcis, unde ipſe Rex Navarræ erat Comes, in caſtro & fortalitio dictæ civitatis Ebroïcenſis ſe receperunt. Venientes autem multi homines armorum de Francia ad civitatem Ebroïcenſem, villam & caſtrum fortiter invaſerunt, quod videntes Navarrenſes qui in caſtro erant quòd non poterant ſe tenere, ignem in civitate poſuerunt, ſic quòd Eccleſiam Majorem & domos Canonicorum cum magna parte villæ cremaverunt, & ut dicitur, locum Fratrum Minorum, & Monaſterium ſancti Taurini ubi eſt Abbatia nigrarum dominarum*: & ſic receſſerunt ponentes ſe in caſtro fortiſſimo Pontis-Audomari, quod quidem contra Regem Franciæ & contra Ducem Normanniæ per magna tempora poſtea tenuerunt, multis tamen inſultibus à Gallicis fortiter irrogatis; & ſic in illis partibus Normannicis tribulationes & dolores deinceps ſicut in Francia multipliciter accreverunt; nam poſtmodùm gentes Navarrenſes cum gente Angli-

* nigrorum Monachorum

cana ſibi invicem adhæſerunt, & ita pars Anglicana contra Francos fortior ſolito viſa fuit. Nam dictus PHILIPPUS de Navarra frater Regis Navarræ capti & detenti, prout dictum eſt, illi patriæ intulit multa gravamina.

His diebus fratre ſuo Rege Navarræ adhuc clauſo in carcere & detento, alter autem frater eorum Ludovicus illius junior ivit ad Navarram, & illud Regnum Navarræ loco fratris ſui Regis ſtrenuè gubernavit. Hæc autem mala & alia multa illis duobus annis 1354. & 1355. tam in bellis particularibus quàm aliter per diverſa loca Franciæ, Picardiæ, Britanniæ & Normanniæ evenerunt. Nunc ad mirabiliora tranſeamus.

1356. Anno Domini 1356. erat quidam Frater Minor detentus in carceribus Domni noſtri Papæ in Avinione, honeſtè tamen. Detinebatur verò pro eo quòd multos futuros eventus quaſi ſpiritu prophetico prædicabat, & dubitabatur à multis ne falleret, vel ne mendacia diceret, vel aliquo ſpiritu Pitonico ſeu maligno loqueretur; ipſe tamen vitam ſanctam ducebat, ſobriam & honeſtam, & erat Clericus intelligens in Scripturis & teſtibus ſacri Canonis, & profanalibus libris, prout patet in operibus & libellis pluribus ab eo dictatis ſuper eventibus contingentibus & futuris, quorum duos vidi, unus *Oſtenſor* intitulatur, & alter intitulatur *Vade mecum in tribulatione.* Et licèt dictis libellis fidem non adhibeam, tamen multa vidi evenire poſtea de his quæ prænoſticat in eiſdem, nec reputo impoſſibile, quin Deus poſſit ſibi multa, ſicut aliàs fecit ſanctis Patribus, revelare, utputà interpretationes aliquas ſacrarum Prophetiarum. Huic autem Fratri Minori ſic incarcerato anno Domini 1356. fuit facta quæſtio iſta ab Archiepiſcopo Tholoſano in Avinione per ſcedulam in hunc
» modum. Quantum adhuc durabunt guerræ quæ nunc
» ſunt in Francia & fuerunt. Et ſequitur reſponſio.
» Vos miſiſtis ad me hanc ſcedulam, ſalvo honore ve-

ſtro, ad maximam blaphemiam Dei, quia ſolus Deus «
poteſt iſta quæ continentur ſcire; ego autem ſicut «
unus vilis & abhominabilis peccator, ea quæ dico, «
non dico de capite meo nec ſum Propheta, ſed tan- «
tùm per intelligentias Prophetarum; quare nunc «
deſiſtatis quærere à me & à quocumque homine id «
quod eſt in poteſtate Dei. Quod autem quæritis de «
bellis an durabunt, dico quòd durabunt & creſcent «
uſque ad cælum, & adhuc quidquid videmus nihil, «
quia neceſſe eſt totum ſtatum ſæculi immutari, & ci- «
tò tyrannia ubique regnabit, multi potentes & no- «
biles cadent & per civitates crudeliter occidentur & «
dejicientur à dignitatibus ſuis. Infideles Regna La- «
tinorum invadent, & duricies flagelli Anglicorum «
plus ingravabitur, donec omnis Regni pars ſit per- «
cuſſa: & ſunt pluſquàm viginti anni & antequam «
guerræ hodiernæ inciperent, quia iſta publicè præ- «
dicabam, & ideò ſtultus reputabar & amens. De «
redditibus Eccleſiæ hoc vobis notum ſit, quòd om- «
nes in brevi perdentes *, quia populi Eccleſiaſticos « *f.* * perdentur.
viros ſpoliabunt à rebus temporalibus itaut, vix ha- «
beant victum ſuum. Curia Romana fugiet à civitate «
peccatrice Avinione, & non erit ibi ubi nunc eſt, an- «
tequam compleantur ſex anni ab anno 1356. Tota «
ſuperbia Clericorum quantumcumque magnorum «
concludetur in luto, & tota orbis pravitas deſtrue- «
tur. Omnis homo præ honore malorum propinquo- «
rum lugebit & prævalebunt prædones, ſed poſtmo- «
dùm prædicabuntur & ipſi. Mulierum ſuperbia & «
faſtus marceſcet; plures defœdabuntur, & viduæ tri- «
ſtiſſimè derelinquentur. Civitatis deliciæ convertentur «
in luctum, & Orbis avaritia ſemetipſam conſumet; «
ſed poſt tribulationes mutatas & tranſactas periculis «
in Chriſtianitate propinquis, miſericordia Domini «
veniet ad gentem deſolatam, quia unus Angelus «
Chriſti Vicarius tranſmittetur à corde Chriſti, qui «
faciet omnes voluntates ejus, & omnes viros Eccleſia- «
ſticos reducet ad modum vivendi Chriſti & Apoſto- «

„ lorum. Universa scelera scrutabitur & extirpabit, &
„ universas virtutes Ecclesiasticas in mundo seminabit.
„ Iudæos convertet, plurimos destruet, Sarracenos,
„ Tartaros & Turcos convertet, ante autem destruet
„ nolentes converti ad ipsum. Totus Orbis sub ipso
„ pacificabitur & fere mille annis durabit, & ideò ab
„ hoc tempore & ultrà crescent mala in mundo. Prin-
„ ceps magnus lugebit, & Rex induetur mœrore; ma-
„ nus populi dissoluentur donec mittatur ille Dei Vi-
„ carius futurus totius sæculi Dei reformator felix,
„ qui orabit ut citò veniat. Si tamen orator pœniten-
„ tiam agat interim salvabuntur, qui fugerunt de me-
„ dio malorum ad Montem Carmeli, quia vindicta
„ Domini generalis & specialis super omnes. Felices
„ igitur omnes prænominati in scedula, si bene mo-
„ riantur in pace & citô ne videant tot mala, & ad
„ quos devoluatur eorum hereditas ne curent, quia
„ qui acquirit non possidebit, & qui possidet non reti-
„ nebit, quia rota fortunæ jam pervenit ad cursum.
Hæc est interpretatio seu prophetia illius Fratris Mi-
noris prædicti de futuris eventibus illo anno 1356. &
deinceps. Quæ quidem prophetia licèt fidem non
faciat, neque dictis ejus sit adhærendum, quia Eccle-
sia non approbat, tamen si aliqua quæ ibi dicuntur
postea in parte vel in toto evenerunt, sequentes api-
ces declarabunt.

1356. Anno igitur 1356. fastus & dissolutio in multis perso-
nis nobilibus & militaribus quamplurimùm inolevit;
nam cùm habitus antea decurtatos, ut supradixi, & bre-
ves nimis accepissent hoc anno, tamen magis se in-
cœperunt sumptuosé deformare, perlas & margari-
tas in capuciis & zonis deauratis & argenteis depor-
tare, gemmis diversis & lapidibus preciosis se per
totum curiosiùs adornare, & in tantùm se curiosè
omnes à magno usque ad primum de talibus lasciviis
cooperiebant, quôd perlæ & lapides magno pretio
vendebantur, & vix Parisius poterant talia reperiri;
unde recordor me vidisse tales duas perlas vel mar-
garitas

garitas quas quidam dudum emerat pro octo denariis, eas tamen illo tempore vendidit decem libris. Incæperunt etiam tunc gestare plumas avium in pileis adaptatas, laxantes ultra modum se ad voluptates carnis & ad ludos taxillorum de nocte, & pilæ cum palma de die nimiùm intendentes, unde populus communis multùm lugere poterat & lugebat pecunias ab eo pro facto guerræ levatas in talibus ludis inutilibus & ûsibus positas & conversas. Tunc temporis Nobiles derisiones de rusticis & simplicibus facientes, vocabant eos, *Iaque bon homme.* Unde illo anno qui in bellis rusticaliter portabant arma sua, truphati & spreti ab aliis hoc nomen *Iaque bon homme* acceperunt, & rustici perdiderunt nomen. Quo quidem nomine omnes rustici fuerunt postea tam à Gallicis quàm Anglicis diutiùs nominati. Sed proh dolor! multi qui hoc tempore deriserunt à quamplurimis postmodùm delusi sunt. Nam multi postea per manus rusticorum, ut dicetur, miserabiliter perierunt, & deinde vice versa plurimi rustici per aliquos Nobiles occisi sunt, & villæ eorum in hujusmodi vindictam concrematæ. Sed his pro nunc dimissis ad magis admiranda & plus terribilia transeamus.

Præsenti anno 1356. Princeps Walliæ primogenitus Regis Angliæ EDUARDI missus à patre suo, scilicet Rege Angliæ, cum magna multitudine hominum armatorum tam Anglicorum quàm Vasconum & Alemannorum stipendiariorum per Regnum Franciæ devastando, cremando fortiter equitavit, Rege Anglorum patre suo in Anglia remanente: & venit sic agens usque ad terminos Pictavenses. Rex autem Franciæ JOHANNES hoc audiens debellatis & ejectis inimicis qui se posuerant in castro de Britolio & in castro de Vernolio versùs partes Carnotenses, statim congregato valde magno exercitu & potenti, unà cum domino CAROLO Duce Normanniæ ejus primogenito, & aliis duobus filiis suis, & m PHILIPPO ejusdem Regis ultimo genito, celerer accessit prope Pictavis 1356.

contra gentem & Principem Anglorum. In cujus Regis exercitu erat Dux Borboniæ nobilis atque potens: Dux etiam Athenienſis Coneſtabilis Franciæ, & multi Mareſcalli, quamplurimi alij Barones, Comites, Milites & Nobiles multi valde. Fuerunt etiam ibi duo Prælati in armis, ſcilicet dominus Guillermus de Melduno Archiepiſcopus Senonenſis, & unus alius qui erat Epiſcopus Cathalaunenſis: de peditibus & aliis brigantibus erat numerus valde magnus. Venerunt autem illuc duo Cardinales, qui pro pace tractanda ex parte Eccleſiæ ſicut aliàs miſſi fuerant ad has partes. Appropinquantibus autem utriuſque partis aciebus prope civitatem Pictavenſem ad duas leucas, domni Cardinales pro pace ambas partes ſæpiùs adierunt interponentes vices ſuas ſollicitè; ſed impediente humani generis inimico cum aliquibus filiis Belial, partibus diſcordantibus non potuit pax apponi, quinimmo ſuperbia regnante & confidentia in potentia & multitudine armatorum hominum durante, campale bellum ſtatuitur ordinatè. Rex verò Franciæ JOHANNES bellum aggrediens animoſè pedeſter cum ſuis bellare diſpoſuit, quod & fecit, & equis dimiſſis veniens in conflictu inimicos ſuos fortiter & audacter invadens plures occidit & multos lethaliter vulneravit; unde ſi omnes alij nobiles & milites ſe ita geſſiſſent ſtrenuè ut Rex fecit, de inimicis glorioſè triumphaſſent: ſed non ſic fuit, quia quamplurimi puſillanimes effecti atque lenti adverſarios ſuos invadere noluerunt. Propter quod Anglici animoſiores effecti in Regem Franciæ prædictum acriùs irruerunt, qui quidem viriliter ſe defendens & multos occidens non potuit tantæ multitudini ipſum opprimenti reſiſtere, multis tamen de Gallicis nobilibus præliantibus interfectis, utputà, Duce Borboniæ cum omnibus ſuis, & Duce Athenienſi cum ſuis, volente Domino, & adverſante fortuna quæ bellorum ambiguos dat eventus, dictus dominus Rex Franciæ JOHANNES captus eſt ab Anglicis & detentus unà cum filio ſuo ultimo genito PHI-

LIPPO jam nominato: quod videns primogenitus ejus CAROLUS Dux Normanniæ cum omnibus ſuis qui ſecum in armis aderant dimiſit prælium & receſſit, & alij duo fratres ſui ſimiliter, videlicet Dux Andegavenſis & Comes Pictavenſis filij Regis. A dicto autem bello fugerunt omnes qui evadere potuerunt; quod videntes Anglici eos in fugam converſos poſt ipſos currunt, quamplurimos occidunt, & plurimos tam pedites quàm equites capiunt & prædantur; qui etiam garcionibus & pagotis ſine defenſione aliqua fugere non valentes ſe reddebant, aliis interemptis qui furiis adverſariorum & gladiis cedere neſciebant.

Capto itaque Rege & detento & aliquibus de gente ſua mulctatis, aliis fugientibus & diſperſis, aliis captis & ad redemptionem poſitis, ſicut fuerunt multi Barones & Milites & etiam ſicut fuit Archiepiſcopus Senonenſis, & Epiſcopo Cathalaunenſi occiſo, dictus dominus JOHANNES Rex Franciæ ductus eſt cum filio ſuo juniore Philippo & cum multis aliis priſonariis per Anglicos & per Vaſcones, qui ad auxilium Anglicorum venerant, apud Burdegalem civitatem rectâ viâ, & licet priſonarius eſſet, tamen à Principe Walliæ & Anglicis multùm honorificè tractabatur. Venientes autem Burdegalam, pacem ſeu tractatum pacis, qui tamen non valuit, ordinaverunt, ſed Rex Angliæ dictum tractatum noluit concordare, quinimmo mandavit quòd Rex Franciæ ad Angliam priſonarius duceretur, quod & factum eſt ſatis citò. Rege autem Franciæ JOHANNE ſic abeunte & poſtea ducto in Angliam ad civitatem Londonienſem per Anglicos, dominus CAROLUS primogenitus ſuus Dux Normanniæ de bello ſic recedens cum multis Nobilibus ut dictum eſt, primò in civitate Pictaviæ ſe recepit: poſt hæc inde recedens acceſſit Pariſius, ubi dolentibus dominis pro captione domini Regis patris ſui honorificè receptus eſt. Conſiderabat enim plebs tota quòd per dominum CAROLUM & ipſius auxilium pater reverteretur & tota patria ſalvaretur. Eo igitur adven-

tato Parisius convenerunt cives omnium bonarum villarum ad ejus præsentiam, & etiam Prælati & Milites, ut provideretur de recuperatione dicti Regis & de gubernatione Reipublicæ atque Regni: & tunc statuto domino Carolo primogenito Regis qui erat Dux Normanniæ, ut dictum est, pro Regente ipsius Regni & etiam defensore, omnes unanimiter & ejus consensu, ut tres prædicti status vel aliqui sapientes electi de illis tribus statubus eligerentur, videlicet aliqui de Prælatis pro parte Cleri, aliqui de Nobilibus pro parte Nobilium, & aliqui de civibus pro parte popularium communium, qui de dicta gubernatione auctoritate dicti Principis negotia pertractarent. Qui quidem tres status sic electi multa de negotiis & reformationibus & punitionibus tractantes, obtulerunt Regenti tria millia pugnatorum ad expensas civitatum Regni, & semper manutenere in numero supradicto, si pro recuperando domino patre suo vellet ad Angliam se transferre: sed hoc totum neglexit, & ivit satis citò ad visitandum avunculum suum CAROLUM de Boemia qui erat tunc temporis Romanus Imperator, & venerat Metis, & illuc ivit Carolus Regens cum magnis sumptibus & expensis, & postea Parisius est reversus. Regina verò JOHANNA filia quondam Comitis de Bolonia uxor Regis in Anglia existentis recessit ad Burgundiam ad filium suum Ducem Burgundiæ, quem olim susceperat à Duce Burgundiæ Philippo, qui apud Aculeum in Vasconia decesserat elapsis decem annis. Remeato autem domino Regente prædicto de Metis adhuc steterunt illi tres status Rempublicam gubernantes; sed non multum diu postea in illo officio remanserunt, quia Nobiles ab aliis duobus statubus, scilicet à Clero & Burgensibus solvere aliqua, sicut volebant facere, alij recusarunt, & sic discordia mota illi tres status ab incepto proposito cessaverunt. Ex tunc enim Regni negotia male ire & Respublica deperire, & prædones per totam patriam insurgere, Nobiles alios despicere & odire, & utilitatem & profi-

cuum domini & ſubditorum non curare, ruſticos de villulis & homines ſubjicere & ſpoliare, patriam ab inimicis nullo modo defendere, ſed conculcare, bona eorum rapere & auferre, domino Regente, ut apparebat liquidè, non curante.

Tunc enim incepit patria & tota terra Franciæ induere confuſionem & mœrorem, quia non habebat defenſorem in aliquo nec tutorem. Tunc enim terra & patria illa Franciæ, quæ antea præ omnibus Regnis mundi & partibus gloria, & honore & divitiis, pacíſque præconio ſecura, & omnibus bonorum affluentiis fuerat opulenta, incepit magis ac magis haberi contemptui, & aliis nationibus, proh dolor! in deriſum eſſe & in opprobrium aliorum; viæ & itinera quaſi ubique dubia & periculoſa propter pedites & latrones. Quid plura? ab illo tempore & deinceps damna infinita & mala & pericula Francigenis acciderunt ex defectu boni regiminis & populi minimè defenſati.

Eodem anno 1356. cives Pariſienſes catenas fer- 1356.
reas, timentes de inimicis, & modicùm in Nobilibus confidentes, per vicos Pariſienſes & per compita poſuerunt, foſſata circa muros ad partem Occidentalem & circa ſuburbia ad partem Orientalem, quia nulli ibi antea fuerant, facientes, & muros novos parvos ſimiliter ſupra illos cum portis & baſtillis ad prædicta conſtruxerunt, munientes turres baliſtis, garretis, canonibus & machinis, & aliis bellicis inſtrumentis, deſtruentes domos omnes quæ intus & extra muros antea jungebantur. Tunc enim fuerunt multa pulcra & ſolemnia hoſpitia tam interiùs quàm exteriùs ad demolitionem & ruinam funditùs condemnata, ut foſſata fienda per dicta hoſpitia caperent iter ſuum, quorum ruinam & foſſatorum atque murorum ſequenti anno & deinceps fabricam vidi proſequi diligenter, de quibus adhuc in ſequentibus fiet ſermo.

Anno Domini 1357. Rege Franciæ JOHANNE in 1357.
Anglia exiſtente, mala malis, ut dictum eſt, in Francia & circa Pariſius accreverunt; nam inimici multiplicati

ſunt per patriam & prædones ampliùs augmentati, in tantum quòd plures in villis ſpoliabantur campeſtribus in domibus ſuis, Duce Normanniæ, qui Rempublicam & Regnum jure hereditario, videlicet domino CAROLO primogenito Regis defendere & regere tenebatur, nullo remedio apponente, unde magna pars populi ruſticani ampliùs in villagiis ſtare non valentes, ad civitatem Pariſienſem cum uxoribus & liberis & aliis bonis ſuis ut in pluribus pro tuitione accurrere tunc cœperunt. Inimici autem caſtra multa & fortalitia receperunt homines circumadjacentes capiendo, alioquin miſerabiliter trucidabantur, nec parcebatur in hoc Religioſis quibuſcumque; propter quod Monachi & Moniales Monaſteria dimittentes Pariſius & alibi ad amicos ſuos ſe ſicut poterant receperunt; unde ſorores de Poiſſiaco, de Longo-campo, Moniales de Malodunio, de ſancto Antonio, & Minoritæ de ſancto Marcello juxta Pariſius, & breviter aliæ Religioſæ extra villas clauſas commorantes compulſæ ſunt ſicut & Monachi præ timore dimittere loca ſua & intrare finaliter fortiora. Quod quidem factum admirationem non modicam generavit in populis & ſtuporem, nemine ad prædicta ſtupenda remedium aliquod apponente.

Dum admirantibus de hoc & dolentibus Præpoſito Mercatorum villæ Pariſienſis & civibus, quòd per Regentem & Nobiles qui circa eum erant non remediabatur, ipſum pluries adierunt exorantes & deprecantes ut circa præmiſſa de opportuno providerent remedio, qui optimè eis facere promittebat, ſed effectus per eum nullatenus ſequebatur, quinimmo magis gaudere de malis inſurgentibus in populis & afflictionibus & tunc & poſtea Nobiles videbantur. Quod conſiderantes, Præpoſitus Mercatorum Pariſienſis, qui tunc erat nomine STEPHANUS Marcelli, de Republica multum ſollicitus pro tunc cum aliis Conſulibus civitatis habuit conſilium cum civibus, quod utinam numquam ad effectum finaliter deveniſſet. Et fuit

istud, prout iste Præpositus cum suis me & multis audientibus confessus est. Nam quia dominus Regens remedium apponere ad prædicta pericula eis civibus cum Præposito requirentibus sæpiùs promiserat, & tamen quidquid ore dicebat de facto non complebat; crediderunt prædicti Præpositus & Communitas quòd hoc negligeret de consilio aliquorum secum assistentium, qui ut opinati sunt dissuadebant Regenti ne eis crederet in agendis; & idcirco Præpositus atque cives de Parisius habuerunt consilium intra se, quòd bonum esset ut aliqui de assistentibus ipsi Regenti de medio tolleretur; unde ordinatum fuit per ipsos ut omnes caperent capucia cærulea ex una parte, & ex altera rubea deferenda in signum confœderationis Reip. defendendæ. Quibus habitis de consilio inito, de aliis tollendis, ut dictum est, congregaverunt se in multitudine non modica omnes unà cum Præposito superiùs nominato, & accedentes ad regale Palatium ubi dominus Dux Normanniæ primogenitus Regis Regnum regens, ut diximus, præsens erat, ad thalamum suum ascenderunt dicto Regente & illis qui cum eo erant mirantibus quid quærerent aut quid vellent. Et accedentes prope Regentem dixit Præpositus Mercatorum sibi: Domine mi Dux nolite expavescere, nos habemus aliqua exequi in hoc loco. Tunc dirigens verba illis sic capuciatis dixit: Eia breviter facite hoc propter quod huc venistis, qui aspicientes duos Milites qui juxta dominum Regentem aderant & de Consilio suo, videlicet ROBERTUM de Claromonte Marescallum Franciæ virum strenuum in armis, sed tunc inermis erat, & Marescallum Campaniæ hominem probum & devotum & bene nobilem, ensibus extractis irruunt in eos coram Duce percutiunt & occidunt. Deinde vidente Duce & dolente eos ita trucidatos per gradus Palatij ad plateam juxta lapidem marmoreum mortuos attraxerunt, horribile spectaculum de eorum cruentatis corporibus facientes. Quod sentientes plurimi de Consilio Ducis

Regentis recesserunt celeriter fugientes, inter quos erat unus Advocatus solemnis & eloquens, & concivis Parisiensis, Reginaldus de Arsoye, quem recedentem cursu rapido insequentes in uno vico prope domum suam crudeliter occiderunt, sed heu! quare ista flagitia perpetrarunt? Nam quæ & quanta mala ex hoc excessu provenerunt? quot homines postea ex hoc occasionaliter sunt occisi, & villæ devastatæ describere non valerem. Tantum nefas impunitum non remansit, prout in parte videbitur consequenter. Acta sunt hæc eodem anno millesimo trecentesimo quinquagesimo septimo secundum compotum Franciæ, in Cathedra sancti Petri.

1357. Eodem anno 1357. antequam prædictæ interemptiones accidissent, Rex Navarræ CAROLUS de Ebroicis, qui jam per magnum tempus steterat missus & captus dudum per Regem Franciæ Johannem, ut superiùs fuit dictum, per industriam & diligentiam aliquorum de Picardia nobilium, utputà JOHANNIS *de Pequigny*, & similiter aliquorum burgensium fuit à dictis carceribus liberatus, & veniens Ambianis primò fuit à civibus & populo receptus cum gaudio multo, valde deinde ab eis donariis receptis, & prædicatis miseriis quas in ergastulo carceris passus fuerat, accessit Parisius in Monasterio sancti Germani de Pratis accipiens hospitium pro quiete, & captata hora & congregato & advocato magno populo in pratis sancti Germani dicti Monasterij, fossatis nondum factis, dictus Rex Navarræ stans supra muros incepit prædicare ad populum alta voce, assumens pro themate in latino valde
Psal. 10. 8. pulcro ista verba: *Iustus Dominus & justitias dilexit; æquitatem vidit vultus ejus:* Quæ quidem verba ad propositum suum exponens, contendit coram omnibus sermone valde prolixo, quomodò & qualiter sine causa, ut dicebat, fuerat tractatus, captus & carceribus mancipatus, anxietates & dolores quos in dictis locis sustinuerat, in tantum quòd populum ad fletum & lacrymas provocabat. Tandem intercedentibus multis

Magnatibus

Magnatibus & ſpecialiter nobiliſſima & devotiſſima domina Regina JOHANNA de Ebroïcis ejus matertera, quondam uxore defuncti CAROLI Regis Franciæ, & domina BLANCHA ejus ſorore Regina & relicta defuncti PHILIPPI de Valeſio Regis, pax & concordia fuit reformata inter dominum Ducem Normanniæ Regentem pro nunc & Regem Navarræ ſupradictum. Nam antea erant non multùm amici ad invicem ratione dictæ captionis, quæ facta fuit dudum in caſtro Rothomagenſi in præſentia dicti Ducis; ſub hoc pacto fuit pax illa reformata inter eos, quòd dominus Dux Normanniæ qui Regens erat Regni, recipiebat ipſum Regem Navarræ & omnes ſuos in amicitia & amore, condonans ei omnia forefacta ſi quæ eſſent, & reddens terras ſuas ablatas dicto Regi Navarræ tam in Normannia quàm alibi; & ſimiliter illorum dominorum qui tempore quo fuerat captus in Rothomago fuerunt mortui & patibulo tunc affixi, concedens licentiam dicto Regi Navarræ ut illorum corpora de patibulo faceret deponi ſi vellet, & ipſa tradi Eccleſiaſticæ ſepulturæ. Et ſic pax inter dictos dominos fuit cunctis gaudentibus reformata.

Rex autem Navarræ prædictus his peractis Ducem dimittens Pariſius gaudens ad partes Rothomagenſes acceſſit, donis tamen & pecuniis multis à civibus Pariſienſibus receptis, & veniens Rothomagum honorificè eſt receptus, ubi populis ſuas miſerias expoſuit ſicut Pariſius fecerat eleganter: quo facto corpora illa patibulo affixa, ſcilicet Comitis de Haricuria & duorum ſuorum ſociorum (de quibus dictum eſt in capitulo de anno 1355.) de patibulo in die Innocentium deponi fecit, & cum magnis cereis proceſſionaliter cum magna multitudine populi ad majorem Eccleſiam, ſcilicet beatæ MARIÆ Rothomagenſis deferri fecit, & in ipſa campanis pulſatis & Miſſis ſolemniter celebratis, ſermone per dictum Regem priùs facto, ubi aſſumpſit thema iſtud: *Innocentes* *Pſal.* 24. 21.

& recti adhæserunt mihi, *&c.* in Capella Innocentium honorificè sepulta sunt omni populo non modicùm admirante. Rex autem prædictus Navarræ volens recuperare terras suas omnino non potuit omnes, quia plures qui castra tenebant ea sibi reddere non volebant, dicentes & allegantes quòd Rex Franciæ Johannes, qui in Anglia erat, eis tradiderat illa castra, ideò non sibi neque Duci sed tantummodò Regi Franciæ ea reddere tenebantur. Ex hac igitur occasione dolens Rex Navarræ, & credens quòd hoc esset ex ordinatione Ducis Normanniæ qui erat Regens, in offensam, & discordiam contra Ducem est iterum provocatus, & sic pax quæ priùs nuper firmata fuerat non tenuit nec valuit, sed discordia & guerra dura inter eos tunc inchoata fuit, ex qua tota patria Franciæ, proh dolor! & alibi postea doluit, ut dicetur; & omnia ista de Rege Navarræ facta sunt modicùm antequam illi Milites in præsentia Ducis Regentis per istos cives Parisienses gladio ferirentur, & tunc crudelis mors illorum accidit satis citò postea.

1357. Eodem anno 1357. Archiepiscopus Armacanus Primas Hiberniæ transivit ad Curiam Romanam prædicaturus contra Religiosos Mendicantes, faciens contra ipsos libellos & tractatus, allegans fortissimè ipsos ab Ecclesia non debere sustineri, & dicens inter cetera & asserens, quòd Christus & Apostolici licet essent viri pauperes non fuerunt mendicantes. Allegat autem multa jura & scripturas ut ab Ecclesia deleantur, vel saltem ut auxilio privilegiorum pro prædicationibus, Confessionibus ac sepulturis, & exemptionibus priventur. E contra autem Religiosi
f. * sex. præfati non ampliùs se * multos articulos hæreticos
f. * ipsi. sibi * objiciunt & opponunt, sed qui prævalebunt, in fine liquidiùs apparebit, ideò his dimissis ad propositum revertamur.

1358. Anno Domini 1358. nova mirabilia succreverunt: nam dominus CAROLUS Dux Normanniæ primo-

genitus Regis Franciæ Johannis in Anglia existentis, regens, ut diximus, Regnum Franciæ loco patris, indignatus contra cives Parisienses, & principaliter contra illos qui mortem duorum illorum Nobilium in ejus præsentia & illius advocati sic acriter & irreverenrer tractaverant, à civitate Parisiensi consternatus animo abiit & recessit, proponens ad eam non reverti nisi priùs vindicta aliqualis de præfatis fuerit subsecuta, & sic ab urbe recedens indignatus apud Compendium citiùs properavit, & ibi diutiùs trahens moram vocavit Nobiles quamplurimos, ut cum eis haberet consilium qualiter de Præposito Mercatorum Parisiensium & aliis suis complicibus, qui talia in ejus palatio & præsentia agere præsumpserant vindictam debitam obtineret: qui omnes uno corde & animo adhærentes, & specialiter amici occisorum, consuluerunt sibi ut illos principales occidi faceret, vel si non posset pro aliis eos defendere volentibus expugnaret viriliter civitatem, & tamdiu dictam urbem Parisiensem tam vi armorum quàm per impedimentum suorum victualium molestaret, donec ipsis auxiliantibus à dicto Præposito Mercatorum & suis complicibus & consulibus intentum mortis plenariè perciperet & sentiret. Quod intelligens Præpositus præfatus & alij qui gubernationem civitatis sibi post recessum Ducis acceperunt, supplicaverunt Universitati studij Parisiensis quatinus ad dictum Ducem regentem accederent, & ei ex parte eorum & totius urbis humiliter supplicarent, quatinus indignationem quam erga ipsos cives conceperat à corde suo dulciter amoveret, promittentes & offerentes emendam condignam sibi facere, salvâ vitâ omnium, honore & reverentia qua decebat. Universitas autem pro bono civitatis libenti animo misit plures solemnes deputatos supplicaturos pro negociis supradictis. Qui quidem à domino Duce & aliis dominis cum omni benignitate recepti reportarunt quòd unus numerus satis parvus, utputà decem vel duodecim, vel-

ſaltem quinque vel ſex virorum, qui magis de illo negotio perpetrato Pariſius ſuſpecti habebantur ſibi mitterentur, non intendens eorum mortem; & tunc ſi hoc facerent, libenter Dux, ut dicebat, ſeipſum intimum amicitia ſicut antea reformaret. Præpoſitus autem & alij qui ſibi dubitabant hoc audientes, & non credentes quòd ſi tenerentur ab aliis mortem non evaderent terribilem, meritò timuerunt, nec ſe voluerunt exponere tanto periculo non modicùm formidando. Unde aſſumentes audaciam ſe voluerunt exponere, quaſi omnes cives & confœderationem facientes ad invicem, & pluries miſſo ad dominum Regentem ſive Ducem præfatum ſimili modo ſicut priùs tam in Compendio quàm apud civitatem Meldenſem, ubi ſe aliquando transferebat, & nullo alio amicabili habito reſponſo ſed potiùs verba dura & aſpera & comminatoria, timentes de periclitatione civitatis ad quam ut apparebat Dux regens & Nobiles quamplurimùm ſibi aſſiſtentes videbantur anhelare; & volentes urbem ab omni periculo eminenti totaliter defenſare incœperunt ſe munire. Unde caſtrum de Lupæra juxta antiquos muros Pariſienſes in manu ſua cives receperunt, illos qui ipſum ex parte Ducis Regentis cuſtodiebant citiùs expellentes, portas versùs aquas obſtruentes: & introitum versùs villam de cetero facientes; quod quidem factum ipſum dominum Ducem ad indignationem ampliùs provocavit. Tunc enim omnes incœperunt ſe acriùs defendere & munire, muros reparare, foſſata jam inchoata ſollicitè profundare, & ſuper foſſata ad partem Orientalem muros parvos novos conſtruere, baliſtas ad exitus portarum elevare.

1358. Eodem anno 1358. fuerunt clauſæ perpetuò plures portæ, & tunc foſſata ante portas exteriùs elevata, utputà inferni quæ prætendebat ad Cartuſienſes inter Prædicatores & Minores, porta ſancti Victoris & ſuburbium deſtructum, porta quæ prætendebat ad prata ſancti Germani, & plures aliæ quarum nomina ignoramus.

Eodem anno fuerunt destructa hospitia & domus quas Fratres Prædicatores habebant & Minores extra muros Parisienses. Nam Prædicatores habebant infirmarias & capellas, notatas aulas & alias domos honorificas Regias & solemnes, & Fratres Minores refectorium constructum muro lapideo, tabulata, coquinas ac dispensas domósque alias utiles ac decentes, & tam illi quàm isti ad domos istas per domos civitatis officiosissimè subintrabant, similiter & ad hortos quos foris habebant speciosissimos & amœnos, & non solùm domos quas ædificaverant perdiderunt exteriùs, sed etiam domus intra mœnia, & illas quæ muris ab infra jungebantur, ut inter ipsorum habitaculum & dictos muros aditus fieret atque via : & similiter factum est ad omnes muros ad plagam Occidentalem circumdantes civitatem, & quod mirum oculis fodientium fossata apparuit evidenter, circa centrum fossatorum ante domum Prædicatorum prope murum ab extra reperta sunt fundamenta turrium & castrorum tantæ fortitudinis & tam miranda conglutinatione cementorum, ut vix à quibuscumque malleis vel etiam instrumentis ferreis posset dictum opus, utpote Sarracenicum, destrui aliquatenus vel dissolui, quod fiebat ut fossata profundiùs aptarentur, &, ut fertur, olim ibi fuerat palatium sive castrum quod ab antiquis in gestis quæ nunc adhuc habentur Altum-folium vocabatur, de quibus adhuc vestigia restant.

Sic igitur negotiis Parisiensibus ad defensionem dispositis & aptatis, mala & damna per patriam circumquaque per Nobiles aliquos & prædones ampliùs accreverunt. Nam dominus Fulco de Laval cum Britonibus multis Belciam prædabatur ignes villulis ponendo, Stampas quæ jam antea capta & cremata per similes prædones fuerat, iterum spoliando : & sic prædones incedebant usque Aurelianis & ultra, in tantum quòd de Parisius usque Aurelianis nemo audebat incedere rectâ viâ, sed nec usque Compendium nec alibi erat tuta via nec secura. Dux autem Normanniæ tunc

Regens illis diebus exiens de Compendio accessit ad civitatem Meldensem seu fortalitium quod ibi est, & ibidem fortificato loco se clauserunt, victualia civitatis Meldensis capiendo. Præpositus autem Mercatorum Parisiensium atque cives videntes quòd dominus Regens erat eis contrarius, habito consilio super regimine civitatis, & carentes Capitaneo miserunt ad CAROLUM de Ebroicis Regem Navarræ qui tunc erat ad partes Normanniæ, quem sciebant esse in dissensionem novam & discordiam contra Ducem, rogantes eum ut veniret cum bona copia armatorum ad ipsos Parisius ut esset eorum Capitaneus & defensor contra suos quoscumque adversarios, excepto contra dominum Regem Franciæ Johannem qui in Anglia tenebatur; qui libenter acceptans venit Parisius, adducens secum Navarrenses multos & Anglicos quamplurimos stipendiarios & robustos: qui quidem Rex Navarræ à civibus est receptus solemniter cum omnibus viris suis. Credebant enim Parisienses ab ipso & à suis contra Ducem Regentem & Nobiles optimè defensari. Dicta autem vocatio præfatum Ducem & suos & revera multos alios ad majorem indignationem iterum provocavit, unde tunc Nobiles incœperunt appropinquare Parisius, & se per campos ostendere in equis phaleratis & in armis ad pugnam aptissimè paratis, si illi de Parisius exivissent contra eos ad bellandum: sed Parisienses infra mœnia existentes, resistentes & tenentes, exire noluerunt; dicebant enim quòd contra dominum suum non pugnarent, sed bene à quibuscumque eis nocere volentibus se defenderent resistendo. Una tamen vice fuit eis dictum quòd inimici eorum in Corbolio se posuerant ut impedirent ne panis, qui de Corbolio ferri solet, Parisius per Secanam ampliùs pertransiret: Nobiles etiam super Secanam pontem fecerant inter Parisius & Corbolium, per quod transibant ad ambas partes fluminis incommoda non modica Parisiensibus inferentes. Quod videntes Præpositus Mercatorum atque cives cum bona mul-

titudine Corbolium accesserunt in armis, illos ejecerunt, pontem eis nocuum destruxerunt & cum lætitia sani & hilares Parisius redierunt. Dux autem in illis diebus aliquando in Melduno residebat & alibi, sed plùs Meldis.

Altera autem vice contigit, quòd Nobiles cum Duce in armis partes illas ubi pons fuerat, ut dicitur, prope pontem *de Charenton* accesserunt, ut Regem Navarræ cum Parisiensibus expugnarent, contra quos Rex Navarræ Capitaneus Parisiensis cum suis armatus aggressus est, & veniens ad ipsos locutus est multis sermonibus eis sine pugna, & deinde reversus est Parisius, quod videntes Parisienses suspicati sunt contra ipsum, quòd quia nobilis erat cum aliis conspirasset aliqua Parisiensibus secreta forsitan vel nocua, propter quod dictum Regem Navarræ cum suis spreverunt, & ipsum ab illo officio removerunt. Ipse autem tunc de Parisius recessit indignatus cum suis, qui quidem dum recedebant & potissimè Anglici, quos dictus Rex secum adduxerat, tædia & opprobria hominibus de Parisius aliquibus facere nitebantur, sed illi antequam possent exire civitatem quamplures de illis fuerunt per illos de Parisius atrociter gladio trucidati. Rex autem prædictus Navarræ ad Monasterium sancti Dionysij in Francia exiens tunc de Parisius accessit, & dum ibi per aliquos dies stetisset, gens sua multa mala circa Parisius perpetravit. Nam tam Anglici qui de Parisius evaserunt quàm alij Navarrenses per agros & vineas tunc currentes, homines quos in campis & extra inveniebant occidebant vel captivos ducebant, villulas hinc inde in pluribus locis incendebant, sicut Capellam juxta sanctum Lazarum & burgum sancti Laurentij de Parisius, & horreum de Laudeto, sanctum Clodoaldum & aliquas villas adjacentes. Parisienses verò clausi in civitate se tenebant portas suas cum viris armatis custodientes sollicitè de die, sed de nocte magnas excubias facientes supra mœnia. Quadam tamen die scilicet in die Magdalenes

plures armati versùs sanctum Clodoaldum contra Anglicos exierunt de Parisius, qui ibi trucidati ampliùs non redierunt, & tunc ad omnem partem extra fortalitia omnia vastabantur, populares communes deprædabantur & nesciebatur ad cujus instantiam hæc fiebant nisi per Regem Navarræ. Nam tam ab amicis quàm inimicis plebibus ruralibus & Monasteriis campestribus & forensibus dispendia & incommoda ferebantur, & bona eorum ab omnibus rapiebantur, & non erat qui ipsos in aliquo defensaret. Propter quod quamplurimi tam de laicis quàm de Religiosis viris ac mulieribus coacti sunt, & etiam dominæ de Monte Martyrum & aliæ ubique loca sua relinquere sicut aliàs & petere civitatem, & ut breviter dicam, non fuit Monasterium juxta Parisius quantumcumque propinquum, quin ex timore prædonum cogeretur ingredi civitatem aut alia fortalitia, Monasteriis relictis & divinis officiis tunc, proh dolor! prætermissis.

Eadem autem tribulatio non solùm circa Parisius sed simili modo circa Aurelianis & per totum usque Turonis & ultra usque Nanetis in Britannia, & in patria Carnotensi & Cenomanensi mirabiliter grassabatur; nam villæ cremabantur, populares deprædabantur, & ad civitates cum bigis & cum bonis suis & uxoribus & liberis lamentabiliter accurrebant. Tunc enim villa de Meun juxta Aurelias & Bogenciacum in festo sancti Johannis Baptistæ ab Anglicis captæ fuerunt, & Bogenciacum præter castrum incendio devastatum. Tempore illo civitas in Loconiensi in Pictavia fuit cremata, & Ecclesia ubi populus se receperat fortiter invasa sed non capta, populo villæ se viriliter defendente. Hæc & similia per totam patriam perpetrabantur, sed non erat qui remediando debitè obviaret.

Aliis igitur civitatibus & civitate Parisiensi sic malè tractatis & minimè defensatis, accidit prope Parisius
1358. casus aliàs inauditus; nam eodem anno 1358. in æstate rustici habitantes circa sanctum Lupum de Cherunto,

& circa

& circa Clerĕmontem in diœcesi Belvacensi videntes mala & oppressiones quæ ab omni parte eis inferebantur, nec à Nobilibus suis tuebantur, immo potiùs ipsos sicut inimici graviùs opprimebant, contra Nobiles Franciæ insurgentes arma sumpserunt, & seipsos in magna multitudine combinantes Capitanĕum quemdam de villa, quæ Mello dicitur, rusticum magis astutum ordinarunt scilicet GUILLERMUM dictum *Karle*, & sic cum armis suis & vexillis procedentes per patriam cucurrerunt, & omnes viros nobiles quos invenire poterant, etiam dominos suos proprios occidebant, trucidabant & sine misericordia perimebant; & non solùm sic contenti erant, sed & domos & fortalitia Nobilium ad terram prosternebant, & quod lamentabilius est, dominas nobiles & liberos parvos eorum quos inveniebant atrociter morti dabant; unde castrum de Curnovilla in Francia fortissimum tunc fregerunt, & ibi multos viros nobiles & mulieres qui se ibi tuebantur lethaliter ferierunt; & in tantum dicta tribulatio convaluit, quòd etiam circa Parisius idem fuit; nam vix audebat nobilis aliquis extra loca fortia comparere, qui si à rusticis visus fuisset aut in manibus eorum incidisset, interemptus aut malè tractatus ab eis recessisset: & in tantùm invaluerunt rurales supradicti, quòd ultra quinque millia poterant æstimari, quærentes Nobiles & eorum maneria cum uxoribus & liberis extirpare; propter quod Nobiles se aliquo tempore retrahentes non videbantur incedere sicut priùs. Sed istud negotium monstruosum diu non duravit, quinimmo sicut à seipso & non à Deo, nec auctoritate debita utputà domini superioris dicti rurales hoc inchoaverunt, sed à semetipsis; ita totum eorum desiderium citò desiit & finivit; nam ipsi qui priùs ut eis videbatur, quodam zelo justitiæ hoc inchoaverant, quia domini sui eos non defendebant sed opprimebant, converterunt se ad opera vilia & nefanda, quia, ut fertur, dominas nobiles suas vili libidine opprimebant, parvulos nobiles, ut diximus, innocentulos

perimebant, bona reperta rapiebant, se ipsos & feminas suas rusticanas curiosiùs vestientes, idcirco quod malè agebant durare diu non poterat, nec decebat. Unde Nobiles hoc videntes se paulativè adunaverunt & sagaci armorum cautela ad eos venerunt, & potissimè Rex Navarræ, qui aliquos de eorum Capitaneis blanditiis advocavit, & non credentes aut cogitantes interfecit, quibus mortuis versùs villam Montisdesiderij super alios quamplures adunatos & ipse Rex cum gente sua unà etiam cum Comite sancti Pauli irruit, & eos gladio occidit & peremit: sed adhuc sic non remansit dictum fatuum negotium impunitum, nam Milites & Nobiles resumentes vires suas se de prædictis vindicare cupientes, se fortiùs adunaverunt & per villas campestres multas discurrentes quamplures flammis incenderunt, rusticos tam illos quos credebant nocuos fuisse, quàm alios per domos, per vineas fodientes, & per agros miserabiliter occidebant. De incendio prædicto lugent Verbria & Crux sancti Audœni prope Compendium, & multæ aliæ villæ rurales campestres, quas non vidi nec hîc noto.

1358. Eodem anno 1358. durante adhuc indignatione Ducis Normanniæ regentis Regnum, ut dictum est, contra cives Parisienses fortitudo & congregatio ipsorum major erat Meldis. Unde domina Ducissa cum Nobilibus exeunte, in fortalitio Meldensi, Duce absente & remotiùs exeunte, mota est controversia inter Nobiles clausos in fortalitio illo, & inter Majores civitatis Meldensis & concives; nam, prout fertur, aliqui de Parisius armati accesserunt Meldis, quia cives Meldenses qui Nobiles propter eorum oppressiones odiebant, libenter eos bellicis ictibus, ut dicitur, invasissent, si subsidium bonum à Parisius habuissent, quod & factum est; nam cives Nobiles in fortalitio cum Ducissa invaserunt, in porta super pontem pugnantes ad invicem, sed Nobiles magis docti in armis cives superaverunt ensibus & vicerunt;

quibus ſuperatis Nobiles fortalitium exeuntes per civitatem Meldenſem currentes ſicut rabidi populum paſſim & indifferenter occiderunt, exceptis his qui fugere potuerunt, villam totam deprædati ſunt, viros & mulieres captivos duxerunt & in fortalitio Meldenſi recluſerunt, nihil quod portare poſſent in Eccleſiis & domibus dimittentes. Deinde totam civitatem incendio tradiderunt, & quantum potuerunt præter fortalitium deſtruxerunt. Poſt hæc per adjacentem patriam furibundè currentes, homines quos reperiebant occidebant, ignes in diverſis villis apponentes; & ſic illo tempore tanta tribulatio in partibus Meldenſibus fuit per Nobiles Franciæ & invaluit, quòd non oportebat ad deſtruendam patriam Anglicos accedere inimicos: nam revera Anglici qui erant Regni inimici capitales non potuiſſent egiſſe quod Nobiles intranei tunc egerunt. Hoc excidium non ſuffecit dictis Nobilibus, ſed in magna multitudine armatorum ad civitatem Sylvanectenſem venientes de Meldis ut eam caperent acceſſerunt. Cives autem Sylvanectenſes præmuniti ſe optimè paraverunt, nam bigas aptatas poſuerunt ſuperiùs in capite magni vici, qui aſcenſum habet aliqualiter montuoſum, adhibentes viros robuſtos qui bigas illas contra inimicos per vicum illum gradientes fortiter impellerent & propulſarent. Poſuerunt etiam viros armatos qui in domibus latitarent, ut dum illi intrantes eos non perciperent ſuper eos irruerent vehementer. Poſuerunt iterum mulieres ad feneſtras ut ſuper eos aquas bullientes abundanter effunderent. Omnibus igitur his negotiis ſagaciter adaptatis venerunt illi Nobiles & clamantes ad portam quæ tendit Pariſius, petierunt ex parte domini Ducis Regentis ſibi portas aperiri, & eis claves & civitatem in eorum reddi manibus feſtinanter; & hoc non erat verum, quia non de mandato Ducis ſed propria temeritate & fatua audacia hoc agebant. Cives autem muniti habentes ſecum aliquos Nobiles alios quos antea vocaverant, portas ſuas aperientes eos liberè intrare per-

miſerunt. Illi autem cum faſtu totum habere credentes cum magna ſuperbia intraverunt, & dum eſſent in medio vici ſpatis evaginatis & neminem adhuc reſiſtentem videntes clamare cœperunt ſicut clamare ſolent invaſores, quod audientes illi qui ad bigas fuerant ordinati cum maximo impetu bigas illas contra illos per deſcenſum impinxerunt, illi verò qui in deſcenſu erant reſiſtere nec ſubſiſtere valentes per terram turpiter corruebant; homines verò in domibus latitantes extrà venientes eos ad terram proſtratos gladiis feriebant, quod videntes eorum ſequaces & qui paulativè portam intrabant ordinati ab aquis ferventibus in fugam velociter ſunt converſi. Sic igitur multis interfectis illi qui evadere poterant fugere & recedere confuſibiliter coacti ſunt, qui uſque Meldis ad ſuos revertentes & damnum ſuum narrantes facti ſunt omnibus in deriſum, qui verò mortui remanſerunt genti Silvanectenſi ampliùs non nocebunt. Nunc autem ad cives Pariſienſes breviter eſt revertendum & dicendum.

1358. In anno prænotato 1358. durante adhuc indignatione domini Ducis Normanniæ, ut dictum eſt ſæpè, tunc Regentis, accidit Pariſius factum ampliùs admirandum. Nam prout Præpoſitus Mercatorum cum multis de Majoribus civibus per quos tota civitas regi videbatur, conſiderabant quòd propter mortem illorum qui in feſto Cathedræ ſancti Petri præterito interfecti fuerant in palatio coram Duce, ut ſuperiùs fuit declaratum, indignatio Ducis magis accreſcebat, timentes ne deteriùs eis forſitan, ut putà mors, finaliter contingeret, cogitaverunt ut ſecretè de ſua ſalute diligentiùs pertractarent, unde ut eis impoſitum eſt poſtea iverunt ad Regem Navarræ dominum CAROLUM de Ebroicis, qui antea per eos tamquam Capitaneus vocatus fuerat ſed repulſus & contra eos offenſus, ordinaverunt ſecretè ut iterum per ipſos vocaretur, & taliter fieret quòd ad eorum regimen & defenſionem contra dominum Ducem; & tandem cùm ipſe Rex Navarræ eſſet de linea & proſapia Regia,

ad ſceptrum Regale & Regnum Franciæ aſcenderet & regnaret. Nam dictus Rex Navarræ ad hoc totis viribus anhelabat. Sic igitur fuit per prædictum Præpoſitum Mercatorum & per plures burgenſes ſibi adhærentes ordinatum & ſecretè, ut tali die dictus Rex Navarræ Pariſius cum magna copia armatorum latenter appropinquaret, & ſic alicubi cum ſuis uſque ad tempus in embuchiis latitaret, & ipſe Præpoſitus Mercatorum cum ſuis claves portarum acciperet, & per ſe vel per ſuos eas cuſtodiri faceret, & dum non cogitarent de hoc homines, ipſe Rex Navarræ cum ſuis omnibus villam Pariſienſem citiùs ſubintraret, & homines ſibi contrarios tales & tales quorum oſtia ſignata reperiret trucidaret, & ſic ignorantibus popularibus de eis triumpharet, & totam civitatem per talem modum ad ſuum libitum obtineret, & deinceps honorem regium, ut opinabatur, repulſo Duce & ejecto, & etiam Rege qui captus erat in Anglia qui ſibi tot mala fecerat, culmen Regni & Coronam attingeret finaliter regnaturus. Nam, ut ſibi videbatur & eis, ſi civitatem Pariſienſem ad ſuum velle qualitercumque habuiſſet, alias civitates & villas ſuo conſenſui, ut credebant, faciliter inclinaſſet, & ſic illi qui talia procurabant fuiſſent tunc ab omni mortis periculo per hunc modum eo auxiliante penitus liberati. Sed unum proponit homo aliter ordinat Deus & diſponit, foderunt enim aliis foveam & inciderunt in eam: nam aliter iverunt negotia quàm ipſi inter ſe facere cogitabant.

Unde accidit in feſto ſancti Petri ad vincula, quæ eſt prima dies Auguſti, anno eodem 1358. quòd Præpoſitus Mercatorum & pauci burgenſes qui in caſtris & negotiis civitatis Pariſienſis ſecum adſtabunt, acceſſerunt ſimul ad portas civitatis clara die & voluerunt de cuſtodibus aliquos amovere, & ad ſua hoſpitia remittere, dicentes quòd ſufficiebant pro cuſtodia, pauciores amoventes de facto tamquam Gubernatores Reipublicæ, claves portarum & eas aliis

quos ordinaverant committentes, & accedentes ad portam novam ſeu baſtillam que tendit ad ſanctum Antonium, voluerunt facere ſimiliter. Quod videntes aliqui ſolemnes burgenſes qui jamdiu dictam portam & claves in cuſtodiam habuerant mirabantur, quare ſic de novo Præpoſitus Mercatorum & illi qui cum eo erant, volebant ſic ab eis auferre noviter claves illas, & cuſtodiam portarum tradere aliquibus non ita ſufficientibus prout eis liquidè videbatur. Ex hac igitur cauſa ſtatim ſuſpicio in ànimo dictorum cuſtodum portarum & clavium de malo & proditione non modica extitit generata ſuper Præpoſitum prædictum & ſuper illos qui illuc modò venerant cum eodem; dicebant enim cuſtodes ſe eſſe ſufficientes æquè bene ſicut illi quibus cuſtodiam committere nitebantur. Præpoſitus autem & ſui contrarium aſſerebant. Ipſis igitur ſic altercantibus de cuſtodia & diſcordantibus, & etiam de clamoribus cum tuba facientibus, qui cuſtodes volebant quòd proclamationes nomine domini Ducis Regentis fierent, & Præpoſitus volebat quòd nomen Ducis taceretur ſed nomen Regis perſonaretur, & de hoc mirabantur alij cives: & ſic eis inſimul altercantibus, adfuit quidam de dictis portam aut claves cuſtodientibus, qui dixit alta voce: Verè nos ſumus per iſtum Præpoſitum proditi & traditi: & quidem hoc & his ſimilia dicentibus & altercantibus, adfuit unus ex illis cuſtodibus qui elevans cum magno impetu gladium vel haſtam percuſſit valide Præpoſitum Mercatorum & eum crudeliter interfecit; quod videntes alij aſſiſtentes in ſocios Præpoſiti, qui illuc ſecum erant quinquaginta quatuor, irruerunt & ipſos omnes cum dicto Præpoſito ſubitò gladiis ſuis vulnerantes occiderunt, & eos ſic peremptos ad domum Fratrum de Valle Scholarium in platea ante Eccleſiam attraxerunt, & denudatis corporibus per plures dies cunctis videntibus ignominiosè ſteterunt inhumati, nec permiſſi ſunt de loco deponi donec dominus Dux veniret, & aſpiceret ſe de

inimicis ſuis, illis videlicet occiſis eſſe de cetero vindicatum. Præpoſito igitur Mercatorum cum ſociis ſuis interfectis magnus clamor & maxima admiratio per totam urbem Pariſienſem invaluit, & tota opinio vulgi & odium quod contra ducem Regentem priùs habebatur in contrarium commutatum eſt, unde qui de mane contra Ducem Regentem ſe armabant, nunc in ſero pro Duce ſtare, & ipſum recipere, ac ſibi reconcilari uniformiter parati ſunt. Gaudium & lætitia per civitatem inſonuit, & clamor benivolus acclamabatur Duci, & illa rubea capucia quæ antea pomposè gerebantur deinceps abſcondita ſunt & dimiſſa. In craſtino autem proclamatum eſt bene mane, quòd quicumque ſciret aliquos de ſecta illorum occiſorum eos caperet & adduceret ad Caſtelletum, ſed bona ipſorum non tangeret neque uxores nec liberos irritaret. Sícque factum eſt, plures capti ſunt & quæſtionibus appoſiti & infra certum diem ad forum tracti fuerunt & judicialiter decollati; & iſti fuerunt illi qui cum prædicto Præpoſito villam antea gubernabant; & de quorum conſilio in omnibus agebatur, inter quos fuerunt aliqui burgenſes multùm ſolemnes & eloquentes quamplurimùm & docti, quorum unus dum traheretur, ut fertur, prorupit in hæc verba vel ſimilia: *Heu me, ò Rex Navarræ, utinam te numquam vidiſſem vel audiviſſem.* His igitur ſic peractis Dux priùs contra cives indignatus, ut dictum eſt, ut audivit quæ geſta ſunt, Pariſius infra quinque dies vel citiùs acceſſit, qui receptus eſt honorificè ab omnibus, & ſciens punitiones factas omnem indignationem depoſuit quam habebat priùs, & reconciliatus eſt pacificè civitati, & cives novum Præpoſitum Mercatorum concorditer elegerunt.

Rex autem Navarræ videns quòd de Pariſius non habebat optatum, cogitavit quòd alibi ſi poſſet intentum ſuum, quod de Regno obtinendo conceperat adimpleret; unde acceſſit cum magna gente armorum Ambianis & attrahens ſibi majorem dictæ villæ

partem & unum Abbatem propinqui Monasterij blanditiis & promissis sibi consensum dederunt, ut ipsum ad obtinendam civitatem Ambianensem totis viribus adjuvarent; qui quidem Rex Navarræ de scitu Majoris dictæ villæ gentem suam infra ponens cogitavit illam capere, & in ea postea dominari. Verumtamen hominibus non credentibus subitò Rex Navarræ & gens sua in suburbiis hospitati inter muros noviter factos & antiquos in populum insurrexerunt, gentem invaserunt trucidando, quamplurimos occidendo, ignem nihilominùs in domibus apponentes, quod sentientes cives in corde villæ manentes ad arma cucurrerunt, campanam Communitatis pulsaverunt, Majorem villæ qui Capitaneus eorum erat ac defensor, & qui primus esse debebat vocaverunt, ut ad dictum periculum cum eis remedium apponeret & tali dispendio succurreret indilatè, qui quidem quasi dissimulans, adjutorium prolongabat in tantum quòd nisi fuisset Comes sancti Pauli, qui tunc volente domino erat Ambianis cum magna potentia, à Navarrensibus Majore villæ gratis negligenter tardante, fuisset ab illo tunc capta penitus; sed Comes santi Pauli cum suis viriliter dictis Navarrensibus restitit & ferventer; qui quidem Navarrenses sentientes dictâm resistentiam & audientes campanam & populum ad arma concurrentem ab urbe & incendio violenter recedere & fugere coacti sunt. Suburbiis civitatis sic vastatis & crematis cives Ambianenses quamplurimùm doluerunt, & suspicantes dictum Majorem villæ huic tantæ jacturæ operam modo proditorio contulisse, ipsum ceperunt unà cum dicto quondam Abbate solemni, qui vicinus erat civitati, & ambos tortionibus submiserunt, qui quidem dictum maleficium & proditionem finaliter se fecisse confessi sunt; unde ipsi ambo sic capti & confessati pœnam sui reatus condignam suscipientes capitalem sententiam publicè subierunt, novo Majore postea succedente. Et quia suburbia sic, ut dictum est, flammis fuerant dissipata, cives

videntes

videntes quòd plus posset eis residuum nocere de cetero forsitan, quàm valere, quia magna fuerant atque lata, reliquias unà cum domibus Fratrum Prædicatorum & Minorum, quæ adhuc ibi remanserunt solemnia valde, & locum Fratrum sancti Augustini penitus destruxerunt, & ad terram penitus & ex integro prostraverunt, assignantes eis maneria usque ad tempus infra muros.

CAROLUS autem Rex Navarræ confusus cum suis ad partes Normannicas est reversus. Ex tunc autem & propter ista maleficia odium letale & discordia immensa ampliùs orta est inter Ducem Regentem & Regem Navarræ memoratum, & guerra fortissima inchoata, ex qua præfatus Rex Navarræ multa dispendia populo Franciæ postea intulit & gravamina inaudita: nam Regi Angliæ contra Ducem & Gallicos se cum PHILIPPO Navarræ fratre suo confœderavit, & per Normanniam in terra non sua damna intulit non modica. His diebus Vernonem munivit & Medontem atque Meullen, & ita fluvium Secanæ ad partes illas Occidentales clausum tenuit, ita quòd nihil de Rothomago aut de mari usque Parisius navigio duci potuisset nec portari. Et sic eodem anno dictus Rex Navarræ per Franciam equitans terram & villas vastabat, cremabat, populares deprædabatur & captivos miseros deducebat, & quod plus fuit, apud Meldunum villam, quam soror sua Regina Blancha in dote tenebat, & quæ sibi restituta fuerat, ubi erat tunc præsens, ante Nativitatem Domini eodem anno 1358. 1358. accedens cum multis armatis intravit, & fortalitium cum dicta recepit ipsa consentiente & munivit, Capitaneis & aliis hominibus alteram partem villæ ex parte Ducis Regentis tenentibus & custodientibus contra Regem Navarræ prædictum & contra suos adjutores. Ista verò occupatio & munitio dicti Regis Navarræ in Melduno multum fuit dura Parisius & nociva. Nam ipsi Navarrenses adeò cursum navium concluserunt, quòd ligna de Burgundia non poterant

descendere Parisius neque vina. Dictus autem Rex Navarræ vel gentes ejus ibi diu stantes multa gravamina fecerunt toti patriæ adjacenti, multas deprædationes & concremationes hospitiorum & villarum, & magna caristia multorum bonorum tam de lignis quàm de rebus aliis Parisiensem populum sæpiùs offendebant. Tunc enim quia à parte Rothomagensi, quæ est pars inferior, nec ab altera parte aliqua de talibus descendere vel ascendere per aquas poterant ut solebant, unde arbores per itinera & per vineas incidebantur, & annulus lignorum qui ante pro duobus solidis dabatur, nunc pro unius floreni pretio venditur; propter quod dictus Regens finaliter cum populo Parisiensi ad obsidendum dictam villam Meleun compulsi sunt, contra quam aliquando fortiter cum machinis insilientes, nec sic eam vincere aut capere potuerunt, quinimmo pars illa fortior in manu dicti Regis Navarræ & suorum sic remansit, usque dum Deo volente ejus animus fuit in melius postea commutatus, & pax etiam inter eos dictos dominos deinceps reformata, de quo dicetur sub quota anni subsequentis.

Sic igitur istis durantibus patria Franciæ gladio duplicatæ guerræ afflicta fuit multipliciter & percussa, pauco tamen remedio à Nobilibus apposito.

1358. Eodem anno 1358. fuerunt multa fortalitia ab Anglicis ad magnum detrimentum patriæ Franciæ fortiter occupata, utputà nobile castrum quod dicitur Malum consilium juxta civitatem Noviomensem, ubi fuit captus ab Anglicis Episcopus dictæ urbis & multi alij Nobiles in conflictu. Item castrum fortissimum quod dicitur Credolium gallice *Creel* supra Izaræ fluvium versùs pontem sanctæ Maxentiæ Belvacensis diœcesis, & castrum de Remino juxta Compendium & Harelam jam tenebant. Item ceperunt in pago vel territorio Silvanectensi Chauvressy & Jully, & multa alia quorum nomina nunc ignoro. Item versùs Aurelianis ceperunt locum de Castro-novo supra flumen Ligeris domum pulchram & solemnem, & Foyacum

ſatis prope. Alia autem fortalitia & loca hinc inde in diverſis partibus Franciæ receperunt, & jam diu alibi receperant, ex quibus populus totus & viæ ac itinera lugere poterant ac dolere : nam propter hujuſmodi captiones & prædationes jam viæ claudebantur, Mercatores & alij itinerare niſi timidè non poterant aut viare : & non ſolum lugere & dolere debebant itinera herbis plena, ſed etiam Monaſteria extra mœnia fortalitiorum, ut Monaſterium ſancti Bartholomæi in Noviomo Canonicorum Regularium, & ſancti Evurtij juxta Aurelianis talis Ordinis, & ſancti Aniani ſolemne collegium Canonicorum ſæcularium, ibidémque hoc anno ad terram funditus ſunt proſtrata, & hoc per cives ne inimici in eis ſe ponerent ad nocendum. Tales enim deſtructiones Eccleſiarum extra mœnia exiſtentia in diverſis & in pluribus civitatibus & locis factæ ſunt per incolas & propinquos, ac Monaſteria multa deleta penitus & deſtructa in Francia, Pictavia Andegavia, Ambianis atque Tornaçenſi & alibi, quorum nomina exprimere & quorum reparatio diſpoſitioni divinæ ſuo tempore reſervatur. Eodem anno contra civitatem Aurelianenſem accedentes ſuburbia omnia vaſtaverunt, ignibus per ipſos in ſuo receſſu appoſitis, aliis nonobſiſtentibus nec defendentibus.

Anno eodem 1358. fuit prohibitum Pariſius per omnes Eccleſias & Collegia ne ab hora veſperarum cantatarum uſque in craſtino luce clara fieret ſonitus campanarum, ne vigiles & qui faciebant excubias in ſuo officio ſi venirent inimici forſitan turbarentur, excepto ignitegio in noſtra Domina quod horâ ſerotinâ pulſabatur, & tunc Canonici poſt Completorium ſuas cantabant celeriter Matutinas, quas antea conſueverant hora noctis mediæ ſignis ſolemniter pulſatis devotiùs perorare. Eodem anno Anglici Latigniacum intraverunt, villam ceperunt, ſpoliaverunt, multos Nobiles occiderunt & duxerunt apud fortalitium quod habebant apud *La Ferté*, & igne in villa appoſito illæſi receſſerunt nemine obviante. Anno eodem 1358.

multæ villæ campeſtres in Francia & alibi fortalitia non habentes, munierunt de ſe Eccleſias ſuas, de quibus inhabitantes populares fecerunt ſibi fortalitia bona, foſſata circa eas facientes, turres & campanilia muniendo ex aſſeribus ad modum caſtrorum repleta lapidibus ac baliſtis, ut ſeipſos defenderent ſi eos invaderent inimici, quod audivi ſæpiùs eſſe factum, & de nocte ſupra turres Eccleſiarum ſpeculas habebant, in quibus pueri adſtantes à longè ſpeculabantur inimicos venientes, & tunc his viſis cornu perſonabant vel campanas, quibus auditis rurales in agris vel aliis negotiis in domibus occupati ad Eccleſiam citiſſimè currentes ſe ſalvabant, & alij in aliquibus partibus ſupra Ligerim ad inſulas ſe trahebant; ibidem de nocte dormientes, vel in navibus longè à ripis evulſis, logiis & tuguriis, tam in naviculis quàm in inſulis ad ſui ſalvationem cum familia & pecudibus.

1358. Iſto anno 1358. Anglici civitatem Autiſſiodorenſem intraverunt, prædatíque ſunt eam & ſpoliaverunt eam infinitis bonis, & poſtea abierunt. Deinde alij Anglici ceperunt Spernacum Remenſis diœceſis, & homines occidentes, innumerabilia bona ad ibidem deportaverunt, & alias plures villas ceperunt circa Remis uſque Cathalanum & Sueſſionem. Similiter aggreſſi ſunt Anglici illis temporibus oppugnare & capere civitatem Trecenſem vi armorum, ſed Epiſcopus dictæ urbis cum Comite *de Vaudemont* domino de Jainvilla in armis viriliter ſe opponens ad ipſos in campali bello exeuntes illos Anglicos ſtrenuè invaſerunt, qui ad invicem diutiùs præliantes Trecenſes de Anglicis victoriam retulerunt, eos ſuperaverunt & vicerunt, & ceciderunt in illo bello de Anglicis ducenti & quadraginta præter captos & fugientes. Hæc & ſimilia in illo bello dictus Epiſcopus Trecenſis cum ſuis, & ſimiliter dictus Comes egregiè perpetrarunt. Anno eodem Anglici *de Creel* villam de Montmorency juxta ſanctum Dionyſium in Francia ceperunt, ſpoliaverunt & poſtea cremaverunt, viros plures ſecum apud lo-

cum suum miserabiliter ducentes, & ut se redimerent quamplurimis contumeliis affligentes, & discurrebant continuè per vias & itinera inter Parisius & Compendium, & etiam ante Silvanectum, & quos in viis reperiebant aut in villulis, secum captivos ad Credolium Gallicè *Creel* deducebant, vel occidebant & pauci audebant incedere per viam, quia nullus ab eis inventus erat salvus, nisi qui ab eis salvum conductum litteratoriè obtinebat. In illis diebus incepit status fastuosus multorum Prælatorum humiliari quamplurimùm per Franciam & minui multum valde; non enim poterant gaudere suis redditibus fertilibus & prædiis ut solebant. Erant enim nobilia maneria, Abbatiæ & Monasteria per inimicos in diversis locis, ubi etiam divinum servitium fieri solebat, diversimodè & ignominiosé proh dolor! occupata vel per amicos destructa similiter & obruta, ne inimici de eis forsitan se juvarent & sic multi Abbates & Monachj depauperati, & etiam Abbatissæ varia & aliena loca per Parisius & alibi divitiis diminutis quærere cogebantur. Tunc enim qui olim cum magna equorum scutiferorum caterva visi fuerant incedere, nunc peditando unico famulo & Monacho cum victu sobrio poterant contentari, suis domibus & Monasteriis in parte vel in toto, ut diximus, dissipatis, ac debonis suis & victualibus deprædatis.

Anno Domini 1359. inchoando annum in Paschate, sicut priùs, evenerunt ea quæ sequuntur. Circa 1359.
istud tempus Connestabilis Franciæ, videlicet dominus *de Fiennes* cum multis armatis de Picardia fuit ante fortalitium de Walerico supra mare in Picardia contra Anglicos qui ibidem stabant, Monasterio totaliter concremato, & nostri qui poterant dictos Anglicos debellare, finaliter & capere, permiserunt eos cum bonis quæ per patriam & villam illam prædati fuerant gratis & liberè recedere & abire; de quo dolentes quamplurimi obviaverunt multis quibus multa spolia abstulerunt & plurimos occiderunt.

Simili modo ejecerunt alios de aliquibus fortalitiis dictæ terræ Picardiæ qui nocebant. Noviomenses autem illo anno videntes quòd non possent ejicere Anglicos de Castro Mali-Consilij prope se, considerantes mala & pericula quæ eminebant per illos, emerunt à dictis Anglicis dictum castrum, quo dimisso & ipsis exeuntibus & pecunia recepta statim Noviomenses dictum castrum funditus destruxerunt; & sic tota illa patria & itinera deinceps secura remanserunt. Monasterium tunc Ursicampi Cisterciensis Ordinis ex opposito situm damna sibi irrecuperabiliter ab Anglicis illata & incendia ex magna sui parte cognoscens, fari potest lamentabiliter & dicere seu precari, quòd Malum Consilium fuit sibi malè vicinum, & ideo de cetero maledictionibus repleatur. Quale autem Castrum & quantæ fortitudinis fuerit & pulcritudinis antiquitus dictum Malum-consilium, restantia ruinarum vestigia adhuc transeuntibus manifestant.

Eodem anno PHILIPPUS de Navarra frater Regis Navarræ cum magna copia armatorum oppositus multùm Gallicis stans pro Anglicis venit in Viromandia volens nocere villæ optimæ sancti Quintini & patriæ adjacenti, & posuit se apud Frafagenes* loco fortissimo dominarum Religiosarum mulierum inter aquas & paludes satis fortes, nec tamen est locus adeò fortis quin à gente bene bellicosa faciliter posset capi. Quod audiens Conestabilis Franciæ dominus *de Fiennes* cum bene forti & potenti comitiva venit illuc, quibus adventatis tota gens de patria illa illos Navarrenses & Anglicos invadere nimium animosè & statim fortiter cupiebat. Erant autem multo pauciores de viribus atque resistentia, ut constabat illis de patria & aliis, jamplurimùm desperati, sed facto quodam ignoto consilio, Conestabilis illos invadere pro tunc prohibuit dicens, quòd utilius & melius expectato crastino ad libitum caperentur. Illi igitur de patria ad mandatum Conestabilis se quam-

f. * Farvaque

quam invitè retraxerunt, craſtina die prædictam de inimicorum ſuorum ad ſuum libitum ſpoliis & corporibus ultionem expectantes; & factum eſt dum ipſi in craſtinum ditari ſperarent, nocte intermedia inimici præfati eis ignorantibus liberè receſſerunt. Iſti autem ſpe ſua fruſtrati & confuſi dolentes quôd ſic illos ſine læſione amiſerant, ad propria ſunt reverſi, non ſine magna ſuſpicione Conneſtabili impoſita de vituperio ſibi acquiſito non modico illa vice in populo, remoto ſimiliter & propinquo, & forſitan ſine cauſa.

Anno eodem 1359. videntes cives Pariſienſes unà cum Regente Regnum videlicet Duce Normanniæ CAROLO, de quo ſæpè dictum eſt, quòd Rex Navarræ CAROLUS de Ebroïcis nimium civitatem Pariſienſem gravabat & patriam, quia ut dictum eſt ambos paſſus & meatus fluminis Secanæ pro navigio retinebat, nec valebat impugnatio quanquam fortis quam dominus Regens cum gente ſua magna apud Meldunum jam pluries fecerat impetuosè, & adhuc perſonaliter accedendo fortiter facere non ceſſabat, unde bonum viſum fuit eis ut per nobiles & notabiles perſonas de pace inter ambos dominos amicabiliter tractaretur, quod & factum eſt de utriuſque beneplacito & aſſenſu; unde venientibus ambobus dominis pacificè apud Pontiſaram, & interjectis multis tractatibus atque viis ut pax poſſet haberi, vix inter arbitros potuit concordari; nam illi de parte Regis Navarræ multa petebant, utputà, villas, pecunias atque caſtra. Illi autem arbitri partis alterius multa de petitis recuſantes, allegantes fortiter quæ ſciebant. Sic igitur ipſis conſulibus qui in tractatibus illis perſiſtebant, formam pacis ad honorem cujuſlibet partis non poterant invenire; nam iſti plus petebant, alij minus reddere volebant, licet tamen dominus Dux ſive Regens multa offerret dicto Regi, utputà, caſtra plura in Normannia atque villas, & cum hoc Comitatum Campaniæ Gallicanæ cum pecuniis ſatis

1359.

magnis. Tandem dum ſic tractatus illi in diſcordia agerentur, neque poſſent conſiliarij invenire debitam viam pacis, ſed facto prandio quælibet pars ſatis melancholicè vellent & diſponerent ad propria remeare; ecce quòd ſubitò Rex Navarræ memoratus quaſi ſpiritu ſancto inſpiratus dixit ſuis: *Ego volo loqui cum domino Duce Regente fratre meo.* Frater enim ejus Legalis erat, quia ſororem deſponſaverat dicti Ducis. Audito autem ab aliis de ſuo conſilio quòd ſic loqueretur, gaviſi ſunt gaudio magno valde. Et factum eſt convenientibus ambobus dominis inſimul dixit Rex Navarræ Duci valde benignè & modeſtè per hæc verba, prout fertur: *Ecce domine mi Dux & frater ſciatis quòd ego reputo vos & teneo dominum meum ſpecialem; & licet habuerim diutiùs guerram contra vos & patriam Franciæ, ſciatis quòd ego nolo ampliùs dictam guerram ducere vel fovere, ſed volo eſſe bonus Gallicus de cetero, & fidelis amicus veſter & adjutor intimus & defenſor contra Anglicos & quoſcumque: & quidquid hactenus feci vobis, ſupplico quatinus mihi parcatis integraliter atque meis. Neque volo terras aut villas mihi oblatas vel promiſſas, ſed ſi ego bene egero & fidelitatem de cetero in me inveneritis, detis mihi & faciatis ſecundùm quod mea merita ſuffragabuntur & requirent.* Hiis auditis dominus Dux adſurrexit ſibi, & egit magnas, benignas & intimas gratiarum actiones: & tunc ad invicem in ſignum pacis vinum & ſpecies cum gaudio receperunt, omnibus aliis exiſtentibus & de pace dicta antea tractantibus, exultantibus de his quæ videbant & audiebant ac lætantibus, reddentes Deo gratias, qui ita ubi vult ſpirat & peragit in momento ea quæ homines proprio ſenſu intuentes per multa temporis intervalla facere neſciunt vel non poſſunt. Et extunc reſtituta fuit villa de Melduno domino Duci, & fluvius ad navigium liberum reſtitutus, tam ſuperius quàm inferius undequaque; & Pariſius gaudium ac tripudium non modicum adfuit & toti patriæ ſimiliter

his

his auditis. Pace autem dictorum dominorum sic edita, ut dictum est, & meliùs ac meliùs confecta, ambo Domini cum suis ad propria recesserunt.

De hac autem pace Anglici dolentes ampliùs gravare patriam conati sunt, sed non semper optatum in factis suis ut voluissent per omnia reportarunt. Nam in aliquibus particularibus præliis volente Domino aliquando perdiderunt, de quibus unum factum in hac præsenti pagina ut accepi relatione veridica recitabo, quia etiam accidit in partibus propinquis unde extiti oriundus, & fuit negotium per rusticos, seu *Iaque bon homme*, strenuè expeditum. Est quidam fortis locus satis honestus in una parva villa dicta Longolium versùs Compendium, Belvacensis diœcesis satis propè Verbriam fluvio Isaræ adjacente, & spectat locus ille ad Monasterium sancti Cornelij de Compendio jam præscripto. Viderunt autem dicti incolæ adjacentes dicti loci quòd periculum esset eis si inimici locum illum occuparent, unde petitâ licentiâ à domino Regente & etiam ab Abbate Monasterij supradicti, posuerunt se in manerio illo munientes se armis & victualibus ut decuit, & fecerunt unum Capitaneum de suis de licentia domini Ducis, ut dictum est, promittentes ei, quòd locum illum usque ad mortis periculum defensarent. Habitâ dictâ licentiâ multi de villagiis rurales se ibi tutiùs receperunt, Capitaneum de ipsis facientes unum magnum elegantem nomine GUILLERMUM dictum Alaudis. Hic secum habuit pro famulo quemdam alium ruralem quasi ad frænum suum mira fortitudine roboris & membrorum ac corporis elegantis, corpulentia & altitudinis quantitate, & non minùs audacia ac vigore, & juxta ejus corporis magnitudinem habebat in se humilitatem & reputationis intrinsecæ parvitatem, nomine Magnus-Ferratus. Posuerunt ergo se ibi usque ad numerum ducentorum hominum: omnes fuerunt laboratores, & se de manualibus laboribus suis vitam suam humilem sustentantes. Anglici verò qui erant apud Credolium in castro audientes

quòd ibi erant tales & tales resistere parati, spernentes eos & parum dantes venerunt ad ipsos dicentes: *Ejiciamus rusticos illos de tali loco, & possideamus fortalitium ita munitum & honestum.* Et factum est dum de ipsis ducenti advenissent aliis non prævidentibus, sed portis apertis ipsi Anglici audacter plateam intraverunt illis de infra superiùs in aulis existentibus ad fenestras, & videntes eos armatos valde compertè obstupuerunt ad ingressum, Capitaneus tamen cum paucis de suis descendens cœpit hinc inde percutere, sed parum valuit quia à multis circumdatus statim invasus ab Anglicis lethaliter percussus est, quod sentientes illi alij socij sui qui erant adhuc in aulis & Magnus Ferratus, dixerunt: Descendamus & vendamus nos, alioquin isti sine misericordia occident nos; & recolligentes se prudenter per diversa ostia descenderunt qui percutientes in brachiis potentibus, super Anglicos ita se habebant ac si blada in horreis more suo consueto flagellassent. Levabant enim brachia in altum & sic acriter de brachiis suis super Anglicos attingebant, quod numquam ictus aliquis sine lethali vulnere procedebat. Videns autem Magnus Ferratus magistrum suum scilicet Capitaneum jam ad mortem dejectum, summè ingemuit & doluit, & appropinquans ad Anglicos omnes tam suos quàm alios ab humero & sursum eminebat & elevans hachiam suam lethales ictus ponderosos super alios geminabat & taliter percutiebat, quòd ante se plateam vacuam faciebat; non enim attingebat aliquem, quem si recto tramite percuteret quin cassidem frangeret, & illum cerebro effuso ad terram prosterneret interemptum; unde uni frangebat caput, alteri brachia, alterum ad terram dejiciebat & in tantùm se egregiè habuit quòd in brevi hora ad primum aggressum decem & octo sine aliis vulneratis suo brachio interfecit, quem videntes socij sui animosè super Anglicos percusserunt. Quid plura? Tot ante eos & maximè coram Magno Ferrato cædebantur, quòd tota illa societas Anglicorum terga dare

& fugere coacta est, unde aliqui per aquam salientes seipsos submergebant, alij per portam fugere credentes ab intraneorum ictibus titubabant. Magnus autem Ferratus ad locum medium ubi fixerant Anglici vexillum suum veniens extraxit illud occiso portatore, & uni de sociis suis dixit quòd vexillum istud portaret ad fossatum, ubi erat apertura muri nondum facti plenariè nec completi, qui renuens dixit hoc non posse facere, quia inter eos & super fossatum erat adhuc nimia copia Anglicorum. Quod videns Magnus Ferratus dixit illi sequere me cum vexillo. Et tunc præcedens levavit hachiam suam ambabus manibus vehementer, & veniens illuc ac percutiens hinc inde à dextris & à sinistris sic viam & inter fossatum sua fortitudine patefecit, quamplurimis occisis ibidem secundariò & prostratis, quòd alter potuit liberè vexillum projicere in fossatum, & revertens Magnus Ferratus iterum ad prælium aliquantulum repausatus adeò percussit super illos qui remanserant, quòd omnes in fugam qui revertere poterant breviter sunt conversi. Et sic illa die occisi, vel submersi, vel prostrati sunt de Anglicis quasi omnes quotquot venerant ad hoc factum, Deo auxiliante & Magno Ferrato qui in illo conflictu prout fertur ultra quadraginta viros prostravit & occidit; in hoc tamen prælio fuit percussus lethaliter, sicut dixi, Capitaneus eorum scilicet Guillermus Alaudis, unde finito bello nondum obierat, sed portatus ad lectum vocavit eos omnes in præsentia sua, & statuerunt statim unum alium Capitaneum loco ejus, & deinde vulneribus urgentibus continuò obiit & decessit, & sepelierunt eum flentes multùm quia sapiens fuerat & benignus.

Anglici autem audientes interitum & casum suorum doluerunt valde, dicentes quòd nimium dedecus erat quòd tot & tanti boni pugiles de suis essent à talibus rusticis interempti; unde in crastino se congregaverunt de fortalitiis suis quæ prope erant, & accesserunt apud Longolium ad prædictos, qui tamen de

Anglicis pro tunc non timebant ampliùs : illi igitur ſubitò venientes ad locum prædictum eos fortiter invaſerunt. Quod ſentientes iſti de infra exierunt ad prælium animoſè præparati & in prima fronte adfuit ille fortiſſimus Magnus Ferratus, de quo ipſi Anglici jam antea audierant, & de ejus ictibus ponderoſis, quem videntes & ſentientes experimentaliter ſuæ hachiæ & brachiorum fortitudinem, bene voluiſſent quòd ad illud prælium illa die non veniſſent : nam ut breviter dicam, quotquot venerunt, vel fugerunt, vel lethaliter vulnerati ſunt vel occiſi, & aliqui bene nobiles de Anglicis capti per illos de illo loco, quòd ſi reddidiſſent eos pro pecuniis, ſicut nobiles viri faciunt, maximum lucrum habuiſſent ab Anglicis ſi voluiſſent, ſed noluerunt, quinimmo dixerunt, quòd amodò eis nocumenta graviora non inferrent. Sic igitur Anglicos bis devicerunt Magno Ferrato percutiente & ſic agente, quòd ipſi ab ejus ictibus taliter illatis non potuerunt ſe tueri. Finito igitur illo prælio & Anglicis devictis, Magnus Ferratus nimio calore & labore æſtuans aquam frigidam in magna hauſit quantitate, & potavit & ſtatim febribus eſt correptus, qui dimittens ſocios ſuos ad caſam propriam remeavit ad villam propinquam quæ dicitur Rupecuria unde erat, & poſuit ſe ad lectulum infirmatus non tamen ſine hachia ferrea quæ tanti ponderis ferri erat, ut vix unus homo communis cum duabus manibus eam levare à terra poterat ad ſpatulas. Audientes autem Anglici Magnum Ferratum infirmari gaviſi ſunt multùm, quia eo præſente nulli ibi audebant accedere propter eum, & timentes ne fortè ſanaretur, miſerunt ad ejus hoſpitium duodecim ſocios ſecretè, qui eum in hoſpitio jugularent, quos videns à longè uxor ſua venientes cucurrit ad ipſum in lecto ubi jacebat dicens ei, heu cariſſime Ferrate adſunt Anglici, ut opinor veraciter, te quærentes, quid facies ? Ille autem ſui morbi immemor velociter ſe armavit & accipiens ſuam hachiam ponderoſam cum qua jam aliàs percuſſerat lethaliter

inimicos, exivit domum & veniens in curtiuncula sua vidit ipsos, & exclamans ad eos dixit: O latrones venistis vos ad me in lectulo pro capiendo me, adhuc me non habetis, & posuit se juxta unum murum ne ab eis giro forsitan vallaretur, & irruens in eos vehementer de hachia sua cum animi sui fortitudine viriliter se defendit, illi autem contra eum crudeliter insistunt ipsum capere aut occidere tota intentione cupientes, ille verò ab eis mirabiliter se videns oppressum, impetu iræ suæ sic se contra eos mittit, quòd nullum de eis attigit quin oportuerit illum cadere mala morte. Sic enim eos invasit illâ horâ quòd vix habuerunt visis ictibus suis animum defendendi, unde in illo conflictu modico quinque ex eis prostravit ad terram lethaliter vulneratos: quod videntes alij septem eo dimisso omnes in fugam conversi sunt, ipse autem sic triumphans de eis ad lectum reversus & calefactus ex ictibus datis, aquam bibit frigidam abundanter, & sic in febrem acriùs lapsus est, qua invalescente infra paucos dies sacris sacramentis perceptis dictus Magnus Ferratus migravit à sæculo, & sepultus est in cimiterio villæ suæ. Planxit autem illum illa tota societas & patria similiter, quia quamdiu vixisset ad locum illum Anglici non venissent.

Post hæc Anglici multas villulas & vilagia circa illas partes Belvacensis diœcesis destruentes eas cremabant, prædabantur, homines capiebant vel etiam occidebant. Propter incendium enim villa de qua natus eram, quæ Veneta * juxta Compendium dicitur, cum multis aliis adjacentibus lamentatur: in partibus illis vineæ quæ amœnissimum illum desideratum liquorem ministrant, qui lætificare solet cor hominis, non fuerunt factæ neque laboribus manuum hominum cultivatæ, agri non fuerunt seminati nec arati, non remanserunt boves nec oves in pascuis. Tecta Ecclesiarum & domorum non arridebant novis reparationibus ut aliàs, sed potiùs flammis voracibus crebris, ruinas turbidas & fumosas & lamentabiles ostendebant: in

* *Venette* patria Auctoris.

paſcuis virentibus & agris frumentorum & aliorum leguminum delectabilibus coloribus antè ſolentibus non poterant applaudere viſus hominis nec aſpectus, ſed potiùs gemere pro urticis & cardonibus inſurgentibus. Undequaque campanarum amœnus ſonus pro divinis laudibus non audiebatur, ſed bene pro inimicorum diſcurſibus, ut ſic à popularibus dum tranſibant latibula quærerentur. Quid plura? omnis miſeria undique invaluit & potiſſimè contra populares & rurales campeſtres; nam domini eorum quamplurimùm aggravabant eos, extorquentes ab eis totam ſubſtantiam & pauperem vitam ſuam: verumtamen quamquam eſſent armenta pauca ſive greges, adhuc domini eorum cogebant illos qui in illa poſſidebant ad ſolvendum pecunias pro quolibet animali, utputà, pro bove decem ſolidos, pro ove quatuor vel quinque; nec propter hoc inimicos repellebant nec invadere conabantur niſi raró.

Eodem anno Anglici ceperunt caſtrum *de Roucy* Laudunenſis Diœceſis & Comitem in eodem, ſed eo redempto ejecerunt eum, caſtrum ſibi retinentes, quod tamen poſtea Remenſes ab eis redemerunt, & illis abeuntibus caſtrum ex integro deſtruxerunt.
1359. Anno eodem 1359. ſimiliter Pariſienſes & aliquæ aliæ bonæ villæ ſicut eſt Sylvanectum & Compendium, fortalitium *de Creel* quod Anglici tenebant redemerunt pro magnis pecuniis, ſed ipſi Anglici habitis denariis & ipſis recedentibus inde ſtatim villam Pontis ſanctæ Maxentiæ ſatis propè intraverunt, & eam fortificantes ad ſuum libitum tenuerunt. Deinde ſatis citò poſtea caſtrum fortiſſimum de Claromonte ſatis prope in Belvacino receperunt, viris noſtris ejectis fraudulenter, villam in magna ſui parte cremaverunt ſed antea deprædatum & gente capta vel occiſa vel in fugam converſa: & ſic mala illi patriæ & Franciæ ampliùs accreverunt. Abbatiæ multæ illo tempore & multa Monaſteria penitus in Andegavia, Pictavia, Turonis & Aurelianis & alibi deſtructa ſunt,

& quatuor loca quatuor Mendicantium Aurelianis funditus deleta sunt, quia extra muros erant, & Monasterium Beatæ Mariæ Magdelenes ubi erant Moniales ultra sexaginta. Prioratus autem sancti Laurentij extra muros, & etiam sancti Aniani sicut jam antea fuerat, Monasterium sancti Evurcij & multæ aliæ Ecclesiæ : & hoc totum per gentem intraneam, ne inimici se reciperent in eisdem. Eisdem temporibus multæ villæ campestres tam in Francia quàm in Pictavia, Turonia, Andegavia & Britannia videntes quòd à propriis dominis non defendebantur, sed ab inimicis perdebantur & deprædabantur continuè stimulati per Anglicos, se eis tributarios reddiderunt, & sic pacificè manentes ab Anglicis colere terras & agros suos ac vineas permissæ sunt. Quod videntes etiam multi de dominis naturalibus voluerunt etiam eos cogere ad tributa solvenda sibi sicut ab Anglicis cogebantur, alioquin volebant eos perdere & evertere, & ipsos tamen contra adversarios minimè defendebant : & sic miseri rurales undique opprimebantur ab inimicis videlicet & ab amicis, nec permittebantur ab ambabus partibus vineas colere neque terras nisi tributis datis eis.

Illo anno 1359. Circa festum Omnium Sanctorum Rex Angliæ EDUARDUS cum Principe Walliæ primogenito suo & Duce Lenclastriæ, cum magna multitudine armatorum ad partes Franciæ iterum est reversus, quorum Anglicorum una pars villulas aliquas & castra invasit & specialiter *Bray* super Summam transeundo. Sed illi de infra se viriliter defendentes eis fortiter restiterunt, nec oppugnari ab Anglicis potuerunt, quinimmo multos de eis occiderunt & postea alij recesserunt. Rex autem Angliæ transiens per Hanoniam & per Terraciam venit cum suo exercitu potentissimo ante Remis, ut se ibi civitate expugnata faceret coronari in Regem Franciæ, prout fertur, & sic regnaret sicut alter Antiochus super duo Regna, sed videns civitatem opulentam & quasi inex-

pugnabilem, & gentem totam ad resistendum fortiter & cordialiter præparatam, postquam ante civitatem aliquamdiu steterat patriam devastando, nil aliud faciens, ivit ante Cathalanum, & simili modo videns eam fortiter munitam, oppugnationibus dimissis accessit versùs Burgundiam indilatè; quem sentientes Burgundi inierunt pactum secum per hunc modum, videlicet quòd promitteret eis nullum inferre nocumentum, & ipsi darent ei pecunias satis magnas, & etiam quòd ipsi permitterent eum & gentem suam intrare Burgundiam pacificè & exire, & cum hoc pro expensis eorum victualia ministrarent & venderent quamdiu staret in partibus Gallicanis, dum tamen eos in aliquo non gravaret. Ita narrabatur Parisius ubi eram quando hos apices describebam. Sed an verum sit vel non postea forsitan poterit apparere. Non enim de facili credere volo quòd gens illa tam nobilis & fidelis, & ubi domina Regina Franciæ domini Regis JOHANNIS uxor quamquam capti residebat tunc temporis, voluisset hoc facere pro inimicis dicti Regni, vel quòd ad ejus detrimentum cederet quoquo modo. Si enim hoc egissent, quod non credo, esset eis in derisum & opprobrium sempiternum, & meritò, nisi excusationem legitimam domino Regi nostro & Regenti ostenderent de præmissis; verum esse audivi quod ipsi se redemerunt pecuniis, ut dictum est.

Ipso anno habuerunt Normanni conflictum contra Anglicos juxta Pontem Austomari *, ut licet Normanni strenuè se portarent, supervenientibus Anglicis secundùm modum suum de una latente embuchia, Normanni in prælio à dictis Anglicis devicti sunt, multis tamen interfectis atque captis: ibi enim cecidit lethaliter vulneratus GUILLERMUS Marcelli Miles strenuus atque fortis, & etiam ibi captus fuit nobilis Miles LUDOVICUS de Haricuria, & unus alius dictus *Le Baudran de la Heuse*, & alij
1359. plures secum. Tandem infine hujus anni 1359. scilicet Pascha

* Audomari.

Paſcha ſequens debet annum pro miſeratione conſequenter inchoare. Multi Nobiles de Picardia & Burgenſes & alij pedites cum magna multitudine armatorum & manuum dictæ patriæ, & aliquarum aliarum nationum, ſcilicet, ut dicitur, de Normannia atque Flandria poſuerunt ſe in mare ut ad Angliam invadendum totis viribus transfretarent, & ut Regem Franciæ JOHANNEM in Anglia detentum, ſi Deus bonam fortunam eis daret cum triumpho reducerent, & cum victoria glorioſa; & ut etiam qui in ceſpite patria ab inimicis ſe defendere nolente domino & propriis forſitan demeritis non poterant, in aliena gleba magis humiles effecti famam apud ſe perditam atque bona cum diligentia recuperare poſſent, & ad propria cum honoris præconio & auxilio Divino feliciter reportare, & ob hoc intraverunt ſpatia quarta decima die Martij hujus anni 1359. Qui quidem per mare navigantes terram in Anglia receperunt & villam quæ dicitur Nuinſele ſic ceperunt vi armorum, ut eâ deprædatâ & crematâ, & populo interfecto, ſtatim poſt duos dies ad propria redierint. De his autem quæ uſque ad hos dies menſis Martij dicti anni acta ſcio clariùs quàm potui in præſentibus paginis conſcribere dignum duxi, ſed recordor adhuc quæ tunc Pariſius moneta proponebatur, quia groſſus S. Ludovici argenteus pro viginti ſolidis Pariſienſibus computabatur & ulteriùs curribiliter ſeu communiter: & Florenus de Florentia ad viginti libras Pariſienſes computabatur ad campſores, quod non fuit viſum aliàs, ſaltem de tempore viventium. His diebus & ob hoc omnia victualia cara erant: nam ſextarium frumenti, quod aliquando pro duodecim ſolidis habebatur, nunc triginta libris Pariſienſibus venditur & ampliùs: quarta autem boni vini non dabatur bonis ſociis ad potandum, niſi vigintiquatuor ſolid. Pariſienſes pro eadem ſolverent.

Menſe autem iſto & anno intraverunt Anglici locum unum ſupra fluvium Izaræ inter Pontizaram &

Bellimontem, qui dicitur Insula Adeliæ sive Adam, & fortalitium ampliùs munientes ita locum illum tenuerunt, quòd in hac Quadragesima pisces & alia victualia, quæ de mari usque Parisius vehebantur, transire non poterant rectâ viâ; & sic civitas Parisiensis piscibus marinis & halecibus nisi paucis caruit, viâ per illos Anglicos damnabiliter impeditâ; nec propter hoc pigri homines Parisienses apponebant remedium debitum ad prædicta impedimenta celeriter amovenda, sed defectus prædictos inaniter sustinebant. Tamen finaliter omnes fuerunt occisi, & locus destructus per Nobiles & alios. Sed non est silendum quòd vernale tempus in mense Martij anno prædicto per Quadragesimam ita clarum fuit dulce & amœnum ac calidum, sicut homines aliqui recordari poterant aliàs se non vidisse, propter quod agricolæ multùm affligebantur in corde de hoc quòd tale tempus elaberetur sine vinearum agricultura debita & agrorum, timentes valde ne anno futuro ex ejus defectu culturarum de agris & vineis caristia magna victualium per Franciam forsitan oriretur. Circa finem autem hujus anni scilicet ante Pascha moneta cecidit Parisius vigiliâ Annunciationis, sic quòd Florenus de Florentia, qui priùs valebat xx. lib. non valuit nisi XXXII. solid. & denarius albus qui valebat duos solidos non valuit nisi XII cim. denarios Paris. ut sic qui priùs habebat viginti solidos Par. non habuit nisi XX. denarios in valore, & ob hoc omnes res in majori caristia ceciderunt, quia priùs quod dabatur pro duobus albis valentibus IIII. solid. nunc pro quatuor albis venditur solùm valentibus octo denarios pecuniæ fortioris. Hæc & multa alia mirabilia isto anno acciderunt.

1360. Anno Domini 1360. EDUARDUS Rex Angliæ cum filio suo primogenito Principe Walliæ, & cum Duce Lanclastriæ partes Burgundiæ deserens accessit ad partes magis Gallicanas, & descendit versùs partes Nivernenses cremando & vastando totam terram illam, applicans finaliter in Paschate juxta Parisius ad

ſex leucas juxta *Chates & Montlhery*. In die autem Paſchæ celebravit Paſcha ſuum in uno ſolemni & amœniſſimo manerio quod dicitur Cantus-Lupus, Gallicè *Chant-de-loup*, inter *Montlehery* & *Chates*, & jam ibi ſteterat per ſex dies, gente ſua Anglicana hinc inde diſperſa per patriam adjacentem totum devaſtando & cremando, in tantum quòd in omnibus villis campeſtribus circa Pariſius ſaltem verſùs partes illas, ſcilicet à fluvio Secanæ uſque ad Eſtampas & ultra, nec remanſit vir nec mulier, ſed omnes ad civitates ſe præ timore ut aliàs receperunt, utputà Pariſius & alibi ſe ſalvantes; ſed & habitantes in tribus ſuburbiis Pariſienſibus, ſcilicet apud ſanctum Germanum de Pratis, apud Noſtram Dominam de campis, & apud ſanctum Marcellum omnes infra urbem relictis domibus vacuis intraverunt: unde in ſancto Sabbato Paſchæ illud famoſum carnificium ſancti Marcelli tranſlatum fuit in plateam Mauberti juxta fratres de Carmelo, & carnificium de ſancto Germano tranſlatum fuit alibi infra muros. Anglici autem omnia fortalitia quæ fuerant facta in turribus Eccleſiarum per villas campeſtres circa Pariſius & alibi ceperunt & finaliter deſtruxerunt. Inter quæ erat unum fortalitium factum in Eccleſia & ejus turre in villa quadam prope Pariſius, quæ dicitur *Oly*, quod fecerunt omnes villæ illius patriæ, & illud homines optimè paraverant & armaverant ad fortiter reſiſtendum, & dictam Eccleſiam ſic munitam illi homines numero ducentorum hominum dictæ villæ cum baliſtis & aliis defenſionibus bonis habentes victualia ſatis largè retinebant, ſed & ipſi in fortitudine confidentes & fortalitio ſunt decepti finaliter; nam venientibus ad eos Anglicis in die Veneris ſancta eos impugnari fecerunt, & interfecerunt de eis circa centum reliquis captis vel fugientibus qui fugere potuerunt. Tandem locum illum Anglici deſolantes & victualia ſpoliantes ad locum ſui exercitus, ſcilicet verſùs *Chates* & *Montlehery* receſſerunt. Illa autem die Veneris ſancta & Sabbato Paſchæ poſuerunt ignes

Anglici apud *Monlehery* in burgo & apud Longum-Jumellum, & apud multas alias villas circum circa adjacentes, unde fumi & flammæ uſque ad cælum aſcendentes videbantur Pariſius in locis infinitis. Tunc enim populus de villis campeſtribus fugerat Pariſius, quod erat lamentabile, mulieres, parvulos & homines deſolatos videre; in die ſancto Paſchæ vidi in Monaſterio Fratrum de Carmelo Pariſius populum & Sacerdotes de decem parrochiis campeſtribus Sacramentum miniſtrantes, & Paſcha ſuum ibidem per diverſas capellas & loca alia celebrantes. In craſtino verò Paſchæ domini & cives Pariſienſes ignes fecerunt apponi in ſuburbiis illis de ſancto Germano, & de Noſtra Domina de Campis & de ſancto Marcello, & fuit, ut dicitur, data licentia quòd quicumque poſſet rapere de domibus ligna, ferra, tegulas & ceteras materias audacter illuc iret ad diripiendum quidquid poſſet & portandum, unde quamplurimi ad hoc faciendum inventi ſunt qui curſu veloci edictum illud alacriter impleverunt. Tunc enim vidiſſetis aliquos gaudentes propter prædam, alios dolentes & gementes propter damnum proprium quod videbant.

Die autem illa fuerunt deſtructa & cremata per intraneos aliqua hoſpitia ſolemnia & ſumptuoſa valde, & pulchra maneria ne inimici ſe ponerent in eiſdem domibus ad nocendum, non tamen fuerunt tot domus deſtructæ vel crematæ quin multæ integræ remanerent. In hebdomada verò Paſchæ homines & populus de villa *de Chates* ſub campo illo de Campo-Lupi fortificaverant Eccleſiam ſuam quæ erat tunc pulchra & ſolemnis, habens turrem magnam lapideam pro campanis coopertam de plumbo, & in ea poſuerant munitionem magnam victualium & aliorum bonorum ſuorum cum ſupellectilibus & utenſilibus ſuis, & illam Eccleſiam paraverant optimè cum baliſtis, fundis & lapidibus & aliis inſtrumentis bellicis ad fortiter reſiſtendum, oſtiis cum lapidibus obſtructis & feneſtris, necnon & eam vallaverant foſſato magno

ſatis atque lato, & ſe omnes cum mulieribus & parvulis receperant in eadem, ſperantes & credentes cum ſuo Capitaneo bene reſiſtere; quod ſentientes inimici Anglici machinas paraverunt feſtinanter ad projiciendum lapides ſuper eos: nam ipſi Anglici erant ſuperiùs in monte & Eccleſia illa poſita erat in declivo ſicut & tota villa illa. Videntes autem Capitaneus & aliqui de magis potentibus & timentes de machinis immiſſis popularibus in Eccleſia & in garitis circa turrem, poſuerunt ſe in una alia turre magis forti & minùs poſſibili ad cedendum. Populares autem ſe conſiderantes eſſe in periculo & illos alios in magis tuto, & quòd dimittebant eos, inceperunt illos potentes increpare & dicere quòd malè faciebant quòd ſic eos ſolos & ignaros dimittebant, & quòd pro certo volebant Anglicis ſe reddere ad miſericordiam ipſorum. Capitaneus verò & illi qui ſecum erant timentes ne illi populares ſe redderent, & ſic per conſequens ipſe Capitaneus & alij caperentur, fecerunt apponi ignem in Eccleſia ab infra per unum de ſuis famulis vel mangonibus: ignis autem appoſitus ſtatim ſaltavit per intus & cremare cœpit totam Eccleſiam tam infra quàm extra, ſed & citiùs convolavit ad locum ubi dictus Capitaneus cum ſuis ſociis latitabat, in tantùm autem convaluit ille ignis quòd totam Eccleſiam cum turre & campanis devoravit, & quod magis lamentabile, proh dolor! dici debet, quòd de mille & ducentis perſonis tam virorum quàm mulierum quàm parvulorum non remanſerunt trecenti, quin à flamma voraci miſerabiliter cremarentur, quia tota Eccleſia clauſa erat ubique bono muro tam in portis, ut ſupra diximus, quàm in vitreis feneſtris, & quod plus fuit illi qui evadere poterant ſaltando vel per cordas deſcendendo inveniebant Anglicos in exitu eventum conſiderantes & eos deridentes, quia à ſeipſis & non ab Anglicis acceperant illud damnum & eos ibidem acriter trucidabant. Ipſe tamen Capitaneus unus

evaſit & ſe Anglicis reddidit ibidem, quia nobilis homo erat. Sic enim fuit illa Eccleſia cum omnibus bonis quæ intus erant funditus deſtructa, quæ tamen ſolemnis valde fuerat, quia ibidem erat unus bonus prioratus & Clauſtrum ſpectans ad Monaſterium Sancti Mauri de Foſſatis, & erat cum hac Eccleſia parrochialis dictæ villæ quæ bona fuerat & opulenta, & populus ille fuit miſerabiliter mortuus & extinctus. Hoc enim lamentabile factum, ut dictum eſt, audivi ſic narrari Pariſius à quodam qui ibidem clauſus fuerat & evaſerat vivus, volente Domino noſtro JESU CHRISTO quem de ſuâ ſalute collaudabat.

Eodem tempore ſimilis & æquè lamentabilis caſus accidit apud *Thoury* in Belcia; fuerat enim *Thoury* villa ſeu vicus in Belcia ſitus in plano in via inter Eſtampas & Aurelianis pulcris & honeſtis ædificiis fabricatus, & ad hoſpitandum in quamplurimis locis magnos Principes & Barones & alios populares, habens in medio caſtrum quod incolæ ipſi munitum foſſatis & garitis tenebant ad fortiter reſiſtendum; unde advenientibus Anglicis ad partes illas ipſi habitatores villæ unà cum bonis ſuis, mulieribus ac parvulis ſe infra dictum fortalitium receperunt, figentes logias & tuguria infra caſtrum, in quibus pro tempore latitarent. Nam tam ipſi pro Anglicis quàm Anglici pro ipſis tradiderunt domos ſuas incendio. Contigit autem ut dum Anglici eſſent juxta quôd una parva domus prope caſtrum evaſerat periculum incendij quaſi ſola, quam videns Capitaneus qui de caſtro cuſtos erat mandavit eam igni tradi, ſed proh dolor! quanta jactura ob hoc contigerit, narratio intuentium declarat doloroſa: nam igne in domo illa accenſo ſubitò ſurrexit ventorum magnus afflatus, carbones accenſos ingentes cum magnis voracibus flammis uſque ad caſtrum & infra deferens, omnia illa tuguria cum tota multitudine populari miſerabiliter comburens tam virorum quàm mulierum & par-

vulorum, paucis qui evadere poterant & ſaltare per muros exceptis. Quanta autem copia vinorum, nummorum, bladorum, vaſorum & ſupellectilium ibidem tunc periit tacendum eſt, cùm de perſonis periclitatis ampliùs ſit curandum ; & ſic illa villa campeſtris quæ honeſta multùm fuerat in populo & hoſpitiis, ad nihilum redacta eſt miſerabiliter à ſeipſa. In octabis autem Paſchæ Anglici nolentes ab obſidione in qua ſteterant ante Pariſius recedere, acceſſerunt prope civitatem Pariſienſem cum magna multitudine armatorum, currentes & ſe oſtendentes versùs noſtram Dominam de Campis & circa Monaſterium per vineas & per campos, quod perſpicientes Gallici ad muros cucurrerunt qui ad hoc fuerant ordinati, & alij utputà Nobiles qui in urbe tunc erant cum domino Regente in bona copia armis protecti ſe extra muros poſuerunt non multùm elongantes à fortalitiis & foſſatis, quia Anglici eos videntes paratos ad prælium ſe longiùs retraxerunt, ita quòd non fuit tunc temporis præliatum. Hanc autem oſtentationem Anglici fecerunt, ut dicitur, ut alij cum bigis ſuis & ceteris munimentis & curribus tutiùs recederent Gallicis per eos impeditis, ne eis impedimentum inferrent forſitan in receſſu quem egerunt in partes Carnotenſes. In craſtino autem ſcilicet feria ſecunda ſequente per totum diem fuit tantorum imbrium & grandinum abundantia, quòd maxima pars bigarum & curruum ipſorum Anglicorum in viis & itineribus imbre nimio madentibus remanſit equis deficientibus nec trahere valentibus, ſed potiùs multis cum ductoribus ſuis à grandinibus & aquis pluvialibus inæſtimabilibus miſerabiliter ſuffocatis, in tantùm quòd illa die Anglici ex hujuſmodi impedimento jacturam maximam de rebus ſuis & de corporibus multorum qui deficiebant, ut dicitur, incurrerunt ; & ſic partibus Pariſienſibus derelictis versùs partes Carnotenſes Anglici acceſſerunt, multis tamen fortalitiis per eos occupatis & aliis dirup-

tis, & villis deprædatis similiter & crematis. Multa alia incommoda ipso tempore per ipsos Anglicos in pluribus locis acciderunt, sicut apud Compendium inter villam & nemus conflictu habito inter illos de villa & Anglicos qui in nemore latuerant, plures de villa ab Anglicis vulnerati sunt & occisi ex indiscreto regimine atque capti, qui plures de villa ad debellandum Anglicos quos infra nemus pauciores esse putabant, exiverant animosè. Nobilibus tamen pluribus de patria qui se infra villam pro tuitione suorum corporum receperant nullum auxilium illis de villa in hoc negotio ministrantes. De aliis autem gravaminibus & incommodis hîc finem agendo ad ea quæ gaudium & lætitiam adferunt, id est de pace inter ambos Reges nunc præsens narratio breviter convertetur. Sequitur ergo de pace & ejus tractatu.

Appropinquante autem tempore quo Dominus noster JESUS CHRISTUS pace inter Deum Patrem & humanum genus mirabiliter reformata ad cælos ascendere cum jubilatione secundùm reputationem Ecclesiæ debuerat, hoc est, tempore adveniente Ascensionis ejusdem Domini Salvatoris ipse Dominus videns afflictionem miserorum & gemitum pauperum captivorum, & audiens noluit ulteriùs contritionem populi Gallicani sufferre, qui jam per viginti quatuor annorum cursus & ampliùs oppressiones guerrarum per Anglicos & alios adversarios suos sustinuerat & jacturas, sed potiùs voluit misereri populo tam afflicto. Unde factum est ipso Salvatore disponente quòd Dominicâ quâ cantatur in Ecclesia *Cantate*, accesserunt solemnes Ambassiatores & Consiliatores Domini Regentis supra sæpiùs nominati apud Urbem Carnotensem, in quibus partibus Rex Angliæ cum suis patriam invadebat, pro pace tractanda inter dominos partis utriusque. Rex verò Angliæ pacem libenter volens, alios solemnes nuncios ex parte ejus ad dictam civitatem securitate tradita pro pacis tractatu cum aliis similiter destinavit. Qui quidem simul

ſimul agentes ad pacis finalem concordiam inſpirante Spiritu ſancto, lætantibus, ut credimus cum eis etiam Angelis devenerunt: qua pace inter partes jurata plurimi de Nobilibus Angliæ nudis pedibus uſque ad Eccleſiam Beatæ MARIÆ Carnotenſis ex devotione gaudioſa ſatis remoti à ſuis tentoriis peregrè proceſſerunt. Ambaſſiatores autem Francorum ſive pacis tractatores ſtatim Pariſius redierunt, adducentes ſecum alios qui pro Rege Angliæ & ejus conſilio apud dominum Regentem juramentum de pace tractata facerent, & Regentis ſacramentum ſimiliter reciperent fideliter prout decet. Præfatis autem Ambaſſiatoribus tam Anglicis quàm Gallicis Pariſius adventatis cum omni honore recepti ſunt à domino Duce & à civibus univerſis. Et factum eſt, in Dominica qua cantatur in Eccleſia *Vocem jucunditatis*, ante Aſcenſionem Domini acceſſit Regens cum ſuis Ambaſſiatoribus, & ſimiliter acceſſerunt Anglici qui venerant ad Eccleſiam Virginis glorioſæ Pariſius pro pacis tractatu, audiendo & iterum repetendo & jurando placuit domino Duci ſeu Regenti ac toti conſilio ejus & civibus. Quo audito ipſe dominus Regens pro ſe & ſuis, & alij pro Rege Angliæ & ſuis, dictum pacis tractatum in baſilica Beatæ MARIÆ ſuper altare Reliquiis ſanctis tactis ſe tenere & firmiter ſervare juraverunt. Pace igitur ſic firmata & jurata ineffabile gaudium adfuit toti plebi, & ſtatim in Eccleſia illa omnes campanæ cum magno mugitu & devota melodia ſunt pulſatæ, Canonicis omnibus & Clericis, *Te Deum Laudamus* lætè & devotè cantantibus & Dominum laudantibus, & pro pace reddentibus Deo gratiarum debitas actiones, & ſic factum eſt quaſi eadem hora per univerſas Eccleſias & collegia dictæ urbis. Tunc enim audita eſt illa die per totam civitatem vox jucunditatis & lætitiæ in tabernaculis juſtorum & omnium afflictorum. Gaudebant enim quaſi omnes & meritò, exceptis forſitan illis qui in tempore guerrarum & in factis earum aliis perdentibus reperiunt magna lucra, ſicut ſunt armi-

factores, & aliqui alij qui rapinas illicitas & opera nefaria in tali tempore Dei timore postposito cupiunt exercere, & de rebus non suis sua replere marsupia minùs justè, de quibus in die judicij districtam eis oportebit reddere rationem. Doluerunt etiam falsi proditores & notorij raptores, timentes ne postea in patibulis pro suis sceleratis actibus & demeritis accusati & cogniti alligentur. Sed de hiis non plus.

Sic autem pacis concordia diu desiderata fuit inter eos volente Domino reformata sub hoc pacto: Quòd dominus Rex Franciæ JOHANNES qui in Anglia tenebatur ad dicta Regni gubernacula reverteretur sanus & alacer indilatè, multis inde conditionibus appositis, videlicet: Quòd Regi Angliæ remaneret pacificè Ducatus Guyanæ seu Aquitaniæ, & Comitatus Xanctonensis, Angolismensis, Pictavensis, Bigerrensis, Petragoricensis, Pontivensis, & Guynarum, atque villa Rupellæ & Calesij; & pro suis expensis atque pro redemptione Francorum Regis præfati tres miliones florenorum ad scutum boni auri & ponderis solverentur infra tempus limitatum, & nihilominùs alia pecunia pro fortalitiis circa Parisius recuperandis quæ occupata per Anglicos tenebantur. Et nota quòd quilibet milio florenorum valet decies centum millia florenorum: summa triginta vicibus centum millia ad scutum florenorum. Ipsæ erant conditiones famosæ quæ in vulgo dicebantur pro pace obtinenda; & ad eas implendas datæ erant treugæ inter prædictas partes in festo sancti Michaelis sequentis usque ad festum sequens sancti Michaelis; atque fuit proclamatum ut nemo Anglicos quoscumque vituperaret aut molestaret quovismodo, sed permitterentur ire, venire, emere, vel vendere pacificè, & quicumque vellet cum eis mercancias exercere pacificè & quietè. Rex autem Angliæ poterat ire Calesium tutè & sine impedimento & ibi facere adduci dominum JOHANNEM Regem, & dictum pacis tractatum confirmare insimul & jurare. Et hoc facto idem dominus Rex Franciæ Jo-

HANNES debebat Parisius cum gaudio remeare.

Pace autem sic volente Domino confirmata non fuit propter hoc à malis & gravaminibus tunc cessatum. Nam licet Anglici cessassent, Gallici tamen multi non continuerunt se populares opprimere & prædari, unde tunc latrones & prædones per vias & itinera & nemora fortia insurgentes viatores acriùs infestabant eos deprædando, & quod facere antea non consueverant sine misericordia jugulando. De quibus latronibus & homicidis multi postea capiebantur & patibulis per Justitias adducebantur. Quinimmò adhuc Anglici qui fortalitia detinebant, tales latrones capiebant & modo judiciario ad arbores suspendebant, magis mites se habentes ad populares de villagiis quàm domini naturales.

In diebus illis orta fuit dissensio maxima post tractatum pacis inter dominum JOHANNEM de Artesio & inter villam de Peronna Noviomensis diœcesis, ratione munitionis castri dictæ villæ. Qua controversia durante dictus dominus Johannes villam obsessit quæ erat bona, fortis, clausa & satis populosa; qui quidem advocans ad suum auxilium Nobiles multos de Francia, videlicet Ducem Aurelianensem, qui erat domini Regis Johannis frater, & alios plures, similiter quamplurimos stipendiarios Anglicos, multos insultus dedit villæ prædictæ, qui quidem villam ceperunt, spoliaverunt, cremaverunt, & homines in magna copia occiderunt, & etiam multas villas adjacentes cremaverunt. Alias multas bonas villas & civitates ipsi Nobiles de Francia tunc diffidaverunt, & Burgenses quasi extra proficiscentes damna rerum & corporum simul perdiderunt: villam etiam de Chauniaco super Izaram bonam valde Nobiles destruxerunt: & sic qui patriam defensare tenebantur, eam isto tempore magis infestabant. Unde cives Parisienses sibi quamplurimùm de eis dubitantes excubias de nocte ad custodiendas portas sollicitè de die exhibebant, & æquè diligenter ac si Anglici in partibus illis guerras duce-

rent contra ipſos, multùm deſiderantes reverſionem ſeu adventum domini Regis JOHANNIS, ut juſtitia de malis hominibus nobilibus Franciæ ſic patriam moleſtantibus, & etiam de prædonibus aliis exerceretur ſimiliter, & ut tota terra in tuto habitaretur, & itinera ſeu nemora ab hujuſmodi prædonibus qui quaſi infiniti ad omnem partem latitabant ſimiliter purgarentur; nam viæ & itinera minùs tuta erant pro nunc quàm quando Anglici guerrarum diſcrimina per Franciam inferebant, exceptis de ignibus in domibus apponendis & de priſonariis capiendis. Landitum * more ſolito juxta ſanctum Dionyſium in Francia fuit tunc, ſed pauci ibi mercatores ad emendum mercantias advenerunt, timentes per itinera deprædari vel propter ſuas pecunias interfici à latronibus qui in magna multitudine in itineribus tunc & nemoribus latitabant, ut dictum eſt.

id eſt, * Indictum, *vulgo*, le Landit; Nundinæ.

1360. Eodem anno 1360. circa feſtum beati Johannis Baptiſtæ reverſus dominus JOHANNES Rex Franciæ pacificè de Anglia ad Franciam, primò applicuit apud Caleſium & ibi ſtetit per aliquod tempus, videlicet uſque dum prima ſolutio redemptionis ſuæ fuit Regi Angliæ perſoluta, & quòd obſides de utraque parte dati fuerunt, ut conditiones pacis inchoatæ finaliter complerentur. Quo facto in Adventu Domini ejuſdem anni venit dictus dominus Johannes Rex Franciæ Pariſius, ubi fuit cum ſolemnitate maxima & honore à civibus & aliis receptus, tam à Clero quàm à ceteris univerſis. Ex tunc incœperunt ſpoliatores viarum & nemorum diminui paulatim, & hoc verſùs Campaniam & Picardiam, ſed ultra Aurelianis non fuit in aliquo tuta via, quia Anglici occupantes fortalitia noluerunt reddere ita citò.

Item anno eodem inſurrexerunt filij Belial & viri iniqui, videlicet multi guerratores de diverſis nationibus non habentes titulum aliquem neque cauſam aliquos invadendi, niſi proprio motu ſeu nequitia affectata ſub ſpe deprædandi, & vocabatur magna So-

cietas. Qui quidem ſcelerati adunantes ſe in magna copia valde, acceſſerunt in armis propè Avinionem volentes debellare Domnum noſtrum Summum Pontificem & dominos Cardinales & Eccleſiam ſanctam Dei; & venientes ad pontem Sancti Spiritus prope Avinionem acceperunt illam villam celeriter vi armorum, & ibi diutiùs ſtantes totam adjacentem patriam horribiliter devaſtabant, volentes quomodocumque civitatem Avinionenſem, ubi dominus Papa INNOCENTIUS Sextus morabatur cum Cardinalibus, ſibi ipſis finaliter ſubjugare, & non ſolùm illam urbem, ſed & alias villas & fortalitia patriæ ſupradictæ uſque ad Montempeſſulanum & Tholoſam, Narbonam & Carcaſſonam & ceteras partes illas. Verumtamen in fine receptis magnis pecuniis à Domno noſtro Papa & habita abſolutione ab eodem, ut dicitur, loca circa Avinionem dimiſerunt, & ad diverſas mundi partes nocendo ſemper finaliter reſpexerunt vel deſtruxerunt. Eodem anno 1360. tantus defectus vinorum fuit & fructuum, quòd cauda vini competentis vendebatur Pariſius xxv. florenos & ampliùs, ceraſa non fuerunt, blada pauca, & unum pomum tribus vel quatuor denariis vendebatur Pariſius. Magna mortalitas anno illo in Flandria & in Picardia fuit, & in ſequenti anno Pariſius.

Anno Domini 1361. fuit magna abundantia fructuum & vinorum, ſed antequam ad maturitatem deveniſſent, cariſtia victualium in Francia fuerat, ut dictum eſt, magna nimis tam de vino quàm de blado & fructibus, quia defecerant anno præcedente. Tempus hyemale fuerat longum, ſed tempus vernale fuit ſatis ſiccum, æſtivale verò temperatum. Multi moriebantur Pariſius, & ſpecialiter pauperes qui de villagiis affluebant anguſtiati fame ac penuria & defectu, unde in Domo Dei Pariſius communiter efferebantur mortui ſeptuaginta funera vel octoginta: tempore æſtivali & vernali finaliter in Anglia multi obibant; ibi enim obiit Comes de San- 1361.

cto Paulo qui erat obſes cum aliis pro domino Rege Johanne & pro pace, & plures alij domini & Burgenſes de Francia ibidem obſides ſimiliter obierunt.

Eodem anno 1361. venerunt Britones & Vaſcones ſpoliatores per aliquas partes Pictaviæ & per Andegaviam ſine titulo deprædantes & ſpoliantes omnes illas partes, capientes plura fortalitia & caſtra, unde occupaverunt Prioratum *de Quinaut* ſuper Ligerim, & totam patriam illam omnia deprædando. Item ceperunt caſtrum de Vindocino & Comitiſſam cum filia ſua intus cum multis Nobilibus, aliis dominis & dominabus, ibi de nocte per quemdam Anglicum qui vocabatur Robertus *Marcaut*, qui erat vir ignobilis & de nihilo per tales modos indebitè elevatus, & tunc effectus eſt vir nobilis & ſtrenuus de parte domini Regis Franciæ, qui antea ſemper fuerat Anglicus & de parte Anglicorum. Tandem poſtea ſatis citò Britones multi modò venerunt per partes Carnotenſes & Aurelianenſes deprædando totam terram, fugientibus de locis ſuis populis ruſticanis & venientibus Pariſius. Interim prope Pariſius versùs partem Occidentalem accedentes illi qui in ſuburbiis morabantur quamplurimùm formidabant, nec apponebatur per quoſcumque dominos aliquale remedium, quinimmo fuit per dominos Principes & eorum conſilium prohibitum burgenſibus Pariſienſibus, ne de hoc contra illos Britones aut Vaſcones ſe intromitterent in aliquo, ſed potiùs vacarent ſuis mercantiis ſicut poſſent; & ſic deprædabantur pauperes & rurales, nemine eos in aliquo adjuvante, & vix audebat aliquis ire inter Pariſius & Aurelianis & Carnotem, & alias civitates de partibus illis: & omnia iſta ortum habuerunt iſto anno, ſed ampliùs anno ſequenti & fortiùs duraverunt. Ipſo anno in Quadrageſima viſa fuit in Turonia & Andegavia una ſtella ante diem pluries magna valde & fulgida atque inconſueta, utputà ſtella cometa. In iſto anno 1361. fuit Hyems valde humida & calida contra naturam

ſuam, in tantùm quòd arbores multæ in diverſis mundi partibus floruerunt & flores produxerunt ante feſtum Nativitatis Domini, ſed poſtea non profecerunt nec pro tunc nec pro toto anno ſequenti.

Eodem anno fecit fieri Rex Franciæ monetam valde bonam, ſcilicet groſſos albos duodecim denariorum Pariſienſ. non tamen ita magnos ſicut erant groſſi antiqui, quia illi xvj Pariſiens. tunc temporis valuerunt. Item fuerunt impoſitiones ſuper rebus venalibus ſatis graves & gabellæ, peſtis atque mortalitas in aliquibus villis atque locis.

Anno Domini 1362. inchoando annum in Paſchate 1362.
quod fuit XVII. die menſis Aprilis, erant abores atque vineæ in apparentia magna valde fertili atque bona, ſed in hebdomada ejuſdem Paſchatis fuit unum gelu valde grave, quod vineas hîc in Francia, Turonia & Andegavia uſque Lotharingiam & ultra deſtruxit penitus & extinxit vineas, nuces & alias arbores fructiferas, ſic quòd propter gelu & propter hyemem humidam & quaſi continuè pluvioſam vinum, nuces & alij fructus anno iſto exceptis de paucis locis totaliter defecerunt; & ſimiliter blada non fuerunt in tanta abundantia ut aliàs fuit viſum, ſed ſatis bene tranſivit annus iſte propter magnam abundantiam vinorum, fructuum & bladorum quæ fuerunt anno præcedenti, avenæque multæ fuerunt propter abundantiam pluviarum. Iſto anno in menſe Octobri obiit Domnus INNOCENTIUS Papa Sextus in Avinione, & domni Cardinales in electione procedentes & diutiùs concluſi in aliquem de ſuo collegio concordare non valentes, elegerunt Abbatem ſancti Victoris Marſilienſis Ordinis ſancti Benedicti nomine tunc Guillermum Grimouart, & fuit vocatus Urbanus quintus & coronatus in Avinione infra Octabas Omnium Sanctorum; & tunc fuit magnum murmur in Clero & alio populo contra Cardinales, qui cùm haberent de ſuo Collegio multos probos dominos & valentes nullos de eis eligere curaverant.

Causam autem Spiritus Sanctus ut firmiter credo non ignorat.

Eodem tempore dominus Rex JOHANNES ad novam creationem hujus domini Papæ ad Avinionem accessit, ut copularet sibi in uxorem dominam JOHANNAM viduam Reginam Appuliæ & Siciliæ, quæ jam duos maritos habuerat, videlicet Regem ANDREAM fratrem Regis Hungariæ, & post istum habuerat LUDOVICUM Comitem; sicut etiam dictus dominus Rex Franciæ duas uxores habuerat scilicet dominam BONAM de Boëmia, & dominam JOHANNAM filiam Comitis Boloniæ relictam Philippi de Burgundia quondam filiam domini supradicti, sed tamen dictus dominus Rex illam dominam in conjugem non habuit nec accepit. Eodem anno ante ista facta obiit Dux Burgundiæ juvenis valde, qui desponsaverat filiam Comitis Flandriæ Ludovici, non tamen fuerat inter eos carnalis copula subsecuta, quia juvenes erant & impuberes, & devenit Ducatus Burgundiæ ad dominum Regem Franciæ JOHANNEM propter hereditariam propinquitatem; nam mater ejus Regina Johanna fuerat soror seu matertera Ducis nuper defuncti, & senior Comitissa Flandriæ scilicet mater Ludovici Comitis Flandriæ moderni, fuit Comitissa de Artesio & Attrebato propter hereditariam propinquitatem supradictam. Eodem anno 1362. fuit maxima mortalitas in Pictavia, Burgundia & Andegavia, & moriebantur homines de infirmitate bossæ passim & indifferenter sicut aliis temporibus fuit visum, & nihilominùs non cessabant prædones patriam circa partes illas, & similiter in Francia, videlicet in Belcia usque Parisius & circa Carnotum totam patriam & populum spoliare fortiùs anno seu tempore præcedente, cogentes gentem campestrem ad loca fortiora seu tutiora fugere.

Ipso etiam anno obiit Dux Lanclastriæ de Anglia vir nobilis & in armis strenuus, ex cujus consilio Rex Angliæ hucusque duxerat contra Franciam

guerras

guerras ſuas. Eodem anno Rex & regentes Regnum impoſuerunt graviſſimas impoſitiones & tallias, quæ aliter dicuntur *maletotes*, ſuper rebus venalibus ſeu quibuſcumque mercantiis. Nam cauda vini Burgundiæ ad ſexaginta quatuor ſolidos Pariſienſes taxabatur, & de vino Gallicano pro qualibet cauda XXXII. ſolid. Pariſienſ. ad collectores ex parte Regis ſolvebantur; & ſic de omnibus aliis quæ vendebantur ſolvebant mercatores modo ſuo, in tantum quòd quamplurimùm populus gravabatur & conquerebatur pro præmiſſis: multi verò ad alias patrias ſuas manſiones cum uxoribus & liberis eligebant. Eodem anno 1362. Comes Armeniaci in Vaſconia à Comite Fuxi & multi de ſuis occiduntur.

Anno iſto die Cœnæ Domini de nocte prædones Anglici & alij, qui tunc temporis patriam occupabant, acceſſerunt latenter juxta muros Aurelianenſes in numero ferè quingentorum virorum licèt non omnes apparerent manifeſtè, & civitatem per muros tunc intraſſent deſuper ut eam caperent & vaſtarent, niſi fuiſſet quidam puer qui ſupra muros aliis dormientibus qui excubias facere debebant, vigilabat & eos percepit & clamavit, & quidam molendinarius qui erat vidit ſimiliter & percepit, ad cujus clamorem aliis excitatis illi prædones timentes citiùs receſſerunt, qui tranſeuntes per locum Fratrum de Carmelo qui extra muros villæ morabantur, quidquid potuerunt reperire apud eos, utputà, calices, veſtes, & omnia alia rapientes ſecum modo prædonum reportaverunt. Hoc anno Robertus *Marcaut* Anglicus, de quo ſupra dictum eſt quòd ipſe ceperat caſtrum Vindocinenſe, fingens ſe eſſe amicum benivolum patriæ Cenomanenſis venit ad quoddam caſtrum prope civitatem Cenomanſem *Toutnoye*, & eſt Epiſcopi Cenomanenſ. & dimittens gentem multam in nemore prope caſtrum latitantem, venit ut caſtrum poſſet capere aſtutiâ plenâ dolo, & veniens cum paucis prope caſtrum dixit illis qui intus erant ſuper muros, quòd veniebat cauſâ

amicitiæ ad eos, nec eos in aliquo gravare proponebat. Illi autem qui castrum custodiebant cognoscentes ejus malitiam, & percipientes alios qui in nemore armati, ut diximus, latitabant, statim sophisticaverunt pontem levaticum, deponentes cavillas quæ postes pontis & asseres retinebant, ne volveretur in decliuum; quibus depositis & aliis debilibus & falsis ut non perciperetur appositis, pontem inferiùs remiserunt, quem dictus Robertus cum paucis ascendens, utputà XVI. viris eum associantibus, dum in medio pontis erant, cavillæ pontis, quia falsæ erant confractæ sunt & pontis postes in altum ex una parte revolutæ sunt, & omnes illi in aqua quæ profunda erat ceciderunt, & tam dictus Robertus quàm major pars suorum statim submersi sunt, aliqui autem leviores evaserunt; quod perspicientes illi qui erant in nemore confusi & dolentes nimium aufugerunt. Episcopus autem magnis pecuniis receptis reddidit corpora eorum suis uxoribus & amicis in Carnoto ubi erant.

1363. Anno Domini 1363. inchoando in Paschate, fuerunt multæ pressuræ & oppressiones in populo de Francia & de Normannia per totum de Parisius usque Pictaviam & Britanniam, tam propter prædones & latrones nimiùm abundantes per itinera & villas rusticales, quàm propter gravissimas exactiones nihilominùs & impositiones & multa homicidia per villas & per nemora, & non erat qui populum defensaret, nec qui talibus discriminibus & periculis obviaret, quia videbantur quòd talia quæ populis inferebantur gravamina dominis placerent & principalioribus, qui tamen ad ista maleficia, remedia manu valida apposuisse debuissent. Eodem anno in vigilia SS. Trinitatis visa fuit Parisius ante meridiem vel circa horam tertiam, una stella valde parva in cœlo in parte ubi sol in meridie communiter solet esse per aliquot dies, & dixerunt Astronomi de Parisius quòd dicta stella significabat periclitationem mulierum in partu, quod apparuit postea in aliquibus satis citò, sed revera, multa plura

ex ejus significatione mirabiliter volente Domino, ut credimus, secuta sunt. Nam eodem anno 1363. in mense Julij & modicum ante usque ad festum sancti Lucæ sicut aliàs & pòst fuit tanta mortalitas hominum Parisius, & specialiter puerorum utriusque sexus & juvenum, & plùs virorum quàm mulierum, quòd erat mirabile dictû & stupendum; valde senes enim in respectu juvenum obibant pauci, unde quando mors intrabat aliquod hospitium primò moriebantur pueri parvi, deinde familia, ad extremum verò parentes vel alter eorum; nec posset aliquis veraciter enarrare multitudinem mortuorum tam puerorum quàm aliorum hominum pauperum & divitum: & quod mirum est, hodie sani erant & jucundi, infra biduum vel triduum moriebantur: nec evaserunt mortem Religiosi, Sacerdotes & Curati, quinimmo in magno numero tunc temporis tam in civitate Parisiensi quàm alibi in confinio festinante morte volente Domino mortui sunt. Unde dicebatur tunc temporis quòd in multis parvis villulis eo modo sicut Parisius, in tanto numero obierunt, quòd in Argentolio specialiter, ubi ante mortalitatem erant* XVII. ignes seu maneria, non remanserunt quadraginta vel quinquaginta. Sed de numero mortuorum in Domo Dei Parisius omni die tempore illo stupor esset legere vel audire finaliter veritatem; sed quis posset dicere numerum mulierum quæ de nigro colore indutæ per civitatem videbantur viduæ propter dictam pestilentiam, & à maritorum solatiis & puerorum ut in pluribus orbatæ pariter & relictæ. Tandem verò dicta peste cessante Parisius obiit dominus JOHANNES *de Meullent* Episcopus Parisiens. in die beatæ Ceciliæ Virginis & Martyris, vir nobilis & venerabilis & discretus, anno Pontificatus sui XII. ætatis verò ejus octogesimo; cui successit in Episcopatu dominus STEPHANUS de Parisius Doctor Decretorum & Decanus Parisiens. Hic Domnus Stephanus postea fuit factus Cardinalis per sanctæ memoriæ Domnum Urbanum quintum Summum Pon-

*f. 117.

tificem anno Domini 1368. in civitate Montis-flaſconis prope Viterbium.

Eo tempore & anno circa feſtum Omnium Sanctorum raptores & inimici, qui erant in Belcia & in partibus verſùs Aurelianis & verſùs Carnotum venerunt in parvo numero & habitu mercatorum, porcorum ſeu ductorum vaccarum latenter armati ad quoddam fortalitium, quod eſt juxta Corbolium quod Muros vocant, & invenientes extra portam loci dominum caſtri qui erat Miles, petierunt ab eo ut faceret eis reddi porcos eorum quos heri receperant, ut dicebant, famuli Militis ſupradicti, & hoc dicebant fingendo quia falſum erat; quod audiens dominus dicti loci permiſit eos intrare, ut ſi ſic eſſet cognoſcerent, porcos ſuos & recederent cum eiſdem: & ecce dum fuerunt ſupra pontem caſtri illius acceperunt dominum deponentes habitum ſimulatum quem habebant, & in armis ſtrenuè apparentes & clamantes in cornubus, & ſtatim venerunt alij ſocij ipſorum qui latebant in nemore, & ſic ceperunt caſtrum illud cum domino & domina & cum tota familia Militis ſupradicti; & ſatis citò poſtea inceperunt currere per patriam illam propinquam populum deprædando, & dictum caſtrum de victualibus ablatis in patria ampliùs muniendo. Caſtro igitur illo ſic fraudulenter capto, immo potiùs furato, acceſſerunt multi homines armorum ad partes illas ut prædictos inimicos expellerent, & caſtrum illud ab eis eriperent vi armorum, & facientes unum inſultum nihil penitus profecerunt, ſed potiùs apud Corbolium reverſi ſunt, & ibi moram & munitionem facientes patriam adjacentem ſicut alij vaſtare cœperunt, capientes vina per villulas & alia victualia nihil inde ſolventes, & ad Corbolium ut viverent apportabant, & taliter ſe habebant quòd tantum vel plus à popularibus de dicta villa & aliis villagiis formidabantur ſicut ceteri inimici. Interim quod ſatis citò poſtea, tam propter eos quàm propter alios inimicos populus & gentes de villagiis adjacentibus dimiſſis laboribus & hoſpitiis propriis

cum liberis & bonis ſuis quæ habebant de reſiduo Pariſius accurrebant ad tutiùs manendum : & nihilominùs ſub prætextu & colore patriam & inimicos defendendi, maximæ talliæ & impoſitiones atque graves exactiones inconſuetæ ſuper vinis & aliis mercantiis tam Pariſius quàm extra levabantur. Et ſic tunc temporis totus populus tam in urbe quàm extra in partibus illis ſicut ab inimicis ita & ab amicis & tutoribus graviter opprimebantur, ut jam videretur verificari fabula de cane & lupo : nam fuit canis quondam fortis valde in quo dominus ſuus confidebat, ſperans quòd ſi lupus ad oves devorandas accederet, ab illo cane repelleretur, & oves illæ ab illo fortiùs tuerentur, quod aliquando & pluries factum fuit. Tandem proceſſu temporis lupus cum cane traxit amititiam valde magnam, & tunc dixit canis lupo quòd audacter oves invaderet & raperet, & ipſe canis poſt ipſum lupum ſollicitè curreret ac ſi ovem retrahere ac reſtituere domino videretur; ſed dum eſſent ambo prope nemus & longe ab aſpectibus paſtoris, ambo ſimul illam ovem integram devoraverunt, & ſic ſæpiùs fecerunt, & quando revertebatur à domino decepto laudabatur, credente quòd canis poſt lupum currendo feciſſet optimè poſſe ſuum de ove recuperanda; & ſic canis ille maledictus pluries ſe fingebat atque finxit in tantùm finaliter, quòd ipſe cum lupo omnes oves domini ſui fraudulenter & nequiter devoravit.

His temporibus & jam ante iſtos dies, eodem tamen anno, erat & fuerat guerra magna valde in partibus Lotharingiæ uſque Metis de Comite de Vaudemont, ſcilicet domino JOHANNE de Joinvilla contra Ducem Lotharingiæ & Ducem Barrenſem & contra multos Alemannos, & habebat in ſuo Comitatu quemdam ſtrenuum Militem qui vocabatur Archipresbyter, & cum eo multos ſtrenuos Britones in armis qui patriam multùm damnificaverunt, & damna quamplurima illis partibus intulerunt, & ſimiliter in partibus Burgundiæ, deprædando tenebant ſe; ille Ar-

chipresbyter sic vocatus & Britones supradicti multa dispendia illi terræ & omnibus viatoribus inferebant, & cum difficultate poterant transire itinerantes quin essent ab illis modo prædonico spoliati, & si se defendissent forsitan interfecti fuissent. Idem erat versùs Aurelianis & versùs Carnotum & in Normannia ultra Secanam, & jam his temporibus tenebant turrem *de Rouleboise*, & discurrebant per totum sicut volebant & usque Poissiacum & ultra, & aliquando fluvium Secanæ transeuntes per Velcinum * usque ad partes propinquas de Pontizara deprædando sæpiùs discurrebant, & nisi fuissent Rothomagenses qui eos per aquam Secanæ impediebant, nullæ naves propter eos de Parisius ad Rothomagum nec è converso transivissent.

* *Le Vexin*

Præsenti anno antequam Rex Franciæ JOHANNES de Curia Romana ad Franciam remearet, in qua Curia per æstatem hujus anni tempore satis longo de voluntate & assensu domini nostri Papæ URBANI V. unà cum Rege Cypri, qui ibidem secum erat, crucem accepit pro peregrinagio & via transmarina, ut contra Sarracenos & incredulos unà cum multis aliis nobilibus & dicto Rege Cypri militaret, & si Domino placeret terram sanctam visitando recuperaret & eriperet de manibus impiorum; ita quòd infra duos annos ab isto præsenti anno ordinaverunt arripere iter suum. Et istis sic ordinatis reversus est Rex ad Franciam indilatè, & Rex Cypri similiter venit illuc, & ivit dominus Rex Cypri usque Rothomagum atque Cadomum, ubi fuit in mense Septembri hujus anni receptus solemniter per Ducem Normanniæ, scilicet dominum CAROLUM primogenitum Regis Franciæ & per Nobiles & Burgenses. Postea verò satis citò ad Angliam transfretavit, ut Anglicos ad Crucem pro dicto passagio sumendam similiter animaret. Tandem circa festum beati Andreæ hujus anni dominus Rex Franciæ JOHANNES Ambianis accessit, manente adhuc patria Franciæ & populo in

oppreſſionibus prædonum & diſcriminibus ſupradictis, & fecit convocari Nobiles & Prælatos & Abbates ac Burgenſes, ut peteret ab eis conſilia & ſubſidia pro reſiduo Franciæ redemptionis ſuæ, in qua adhuc in Anglia de dicta redemptione & financia in parte non modica tenebatur. Sed quid fecit poſtea Rex dicetur. In feſto autem ſancti Thomæ obſeſſi fuerunt & incluſi per Comitem Autiſſiodorenſem prædones, qui caſtrum de Muris juxta Corbolium, de quo ſupradictum eſt, indebitè detinebant, qui ſentientes lapides qui cum machinis de foris eis mittebantur, ſe finaliter reddiderunt, ſalvâ tamen vitâ eorum, & tunc receſſerunt tuti à noſtris gentibus armorum conducti ultra partes Carnotenſes, ut ſic ad ſuos qui alia fortalitia versùs partes Cenomanenſes occupabant ſe reciperent & ſani ſe redderent & illæſi: qui ſtatim quòd fuerunt à noſtris dimiſſi, ad prædandum homines & ſpoliandum ſicut priùs validè incœperunt. Mira res! quos noſtri debuiſſent interfeciſſe ad exemplum aliorum prædonum, cùm non eſſent niſi homines miſeri & latrones & ribaldi, illos tales abire miſerè permiſerunt, quinimmo extra terminos propinquos, ut dictum eſt, etiam conduxerunt; ſed fortè ideò fecerunt quia dominum illius caſtri ſecum captum detinebant, idcirco ne eum interficerent eis talia forſitan promiſerant.

Circa iſtud tempus vel modicùm antè, unus de filiis Regis Franciæ Johannis nomine LUDOVICUS Dux Andegaviæ, qui jam diu ſteterat obſes in Anglia cum dominis & burgenſibus Franciæ pro dicto domino Rege patre ſuo, dimiſſa dicta obſidione latenter & ſine licentia Regis Angliæ receſſit & ad Franciam eſt reverſus, & ad Guyſiam caſtrum ubi uxor ſua erat citiùs venit & acceſſit, & tamdem veniens Pariſius poſt Nativitatem Domini, ubi tunc erat dominus CAROLUS Dux Normanniæ primogenitus Regis Franciæ regens ibi Regnum loco patris eorum, dixit coram dicto domino Regente fra-

tre suo & Rege Cypri qui tunc erant Parisius, & coram burgensibus in palatio congregatis, quòd quando dominus Rex pater eorum sciret causam sui recessus & populus similiter, ipse dominus Rex & populus haberent eum laudabiliter excusatum; & dixit ulteriùs quòd ipse volebat equitare in armis super campos, & extirpare omnes prædones & latrones, & ejicere omnes extra castra & fortalitia & patriam reddere in pace, auxiliante Domino, vi armorum, & ad hæc peragenda petiit à domino Duce Normanniæ fratre suo ibidem auxilium & favorem. Qui quidem sibi respondit quòd super hiis haberet consilium ut deceret. Quid autem super hoc factum fuerit forsitan inferiùs apparebit.

1363. Isto anno 1363. circa Nativitatem Domini recessit de Ambianis dominus Rex Franciæ JOHANNES, & ivit ad Angliam quia nondum solverat totam redemptionem suam, vel ut sic teneret pactum suum atque fidem erga Regem Angliæ, à quo filius suus ibi obses sine licentia recesserat, ut supradiximus in hoc anno. Aliqui verò dicebant quòd illuc iverat causâ joci, & hoc contra voluntatem & consilium plurium Nobilium, qui sibi dictum passagium verbis humilibus dissuadere non cessabant, & meritò, quia de ejus sanitate conservanda vel lædenda quamplurimùm formidabant. Regimen autem Regni sui commisit domino CAROLO primogenito suo qui erat Dux inclytus Normannorum. Et sic Rex Franciæ Johannes secunda vice transiit ad Angliam, nonobstante quòd Crucem à domno Papa URBANO quinto accepisset in Avinione, ut transiret ultra mare ad expugnandum inimicos Crucifixi cum Rege Cypri & cum multis aliis Nobilibus Regni sui; sed proh dolor! vivus de Anglia non redibit. Eodem anno 1363. fuit hyems horrida valde atque longa, & factum est asperum gelu, quod duravit ferè usque ad finem Martij nimbis plurimùm interjectis. Circa verò finem mensis Martij vix gelu cessavit, quod quidem

vineas

vineas in multis locis etiam in ſtipite congelavit, & arbores quæ nuces dicuntur in multis locis ſimiliter devaſtavit; ſed & oves atque agniculi ex frigore in locis quamplurimis & ex defectu pabuli perierunt. Vidi enim quòd in aliquibus locis, in teſtudinibus & caveis bene profundis, ubi ſcilicet calor ſolet vigere in hyeme, panes ibi reconditi & alia cibaria propter aërem congelidum & ſimiliter paleis cooperta ibidem inferiùs congelata, quod mirum erat : & ſic multis vineis in ſtipite & ligno congelatis cum arboribus quas vidimus. Quale tempus fuerit poſtea de vineis & fructibus vel ſecutum ſit, favente Domino dicturi ſumus, quando de actis in anno ſequenti tractabitur, ſcribetur. De his autem quæ acta ſunt in Britannia & aliis locis hìc non ſcribo licet multa ſint, ſed ab aliis conſcribenda derelinquo, qui de hiis plenius ſciunt veritatem, ſed ad ea quæ anno ſequenti acciderunt licet non ad omnia recitanda me verbis rudibus applicabo ruditer cùm ſim rudis.

Anno Domini 1364. inchoando in Paſchate, Archiepiſcopus Remenſis JOHANNES *de Craon* procuravit in Parlamento Pariſius in vigilia Aſcenſionis * Dominicæ, in quo tunc fuit Paſcha, ſcilicet octava * die Martij, Rege JOHANNE ſtante, ut diximus in Anglia, quòd muri quidem magni & ſpiſſi valde atque alti, quos Remenſes firmaverant ante fores caſtri ſui Remenſis, quod dicitur Porta Martis, & conſtruxerant antea tempore guerrarum Anglicorum funditus deſtruerentur : & venit de Pariſius apud Remis in octabis Paſchæ feſtinanter cum commiſſariis ad hoc ex parte Parlamenti deputatis : quod & factum fuit videntibus civibus non recalcitrantibus, ſed tacentibus, licet eis quamplurimum diſpliceret, ſed tamen ordinatum fuit tunc quòd alibi fierent ſine deſpectu domini & ſine detrimento aliquo caſtri ſui, quod Porta Martis nominatur, ut dictum eſt. Et hoc facto diſcordia, quæ propter hoc & multa alia fuerat inter dictum dominum Archiepiſcopum & cives, pacificata

1364.

* Annunciationis.
* *l.* 24.

fuit amicabiliter & ſedata.

Circa iſtud tempus CAROLUS de Ebroicis Rex Navarræ, qui de ſtirpe regali, ut ſuperiùs dixi, erat oriundus, & qui deſponſaverat filiam Regis Franciæ Johannis, de quo Rege Navarræ alibi multa dicta ſunt ſuperiùs, exiſtens in Regno ſuo Navarræ factis multis confœderationibus plurium Regum diverſarum nationum, utputà Arragoniæ, & aliis Baronibus pluribus & dominis qui tenebant magnam partem terræ Normanniæ, utputà in Neuſtria & etiam verſùs partes Gallicanas, ſicut in Ebroicas, Medunta & *Meullent* & *Pacy* & Anetum, diffidavit dominum ſuum à quo dictas terras in feodo poſſidebat, ſcilicet dominum CAROLUM Ducem Normanniæ & Delphinum de Vienna primogenitum Regis Franciæ Johannis, Regentis tunc Regnum pro patre ſuo qui tunc erat, ut diximus, in Anglia. Quo facto dominus Dux Normanniæ Regens ſtatim miſit ad partes illas Normanniæ multos viros potentes & nobiles in armis, inter quos erat Comes Autiſſiodorenſis cum ſuis, & Bertrandus *de Cliquin* Miles natione Brito, vir ſtrenuus in armis, cum multis bellatoribus de Francia & Britannia: & venientes apud Meduntam caſtrum florentiſſimum & amœnum, ſitum ſuper Secanam ultra Poiſſiacum, habens arcem excelſam & muros potentes atque pontem, & intrantes in villam non vi armorum ſed per cautelam aliis ignotam, totam villam ceperunt & eam deprædati ſunt totaliter, trucidantes illos qui ſe ad defenſionem præparabant, & quos ſine defenſione repererunt non tetigerunt, ſed omnibus burgenſibus & aliis omnibus bonis ſuis quibuſcumque expoliatis, omnes à villa penitus vacuos ejecerunt, qui ex tunc receſſerunt pauperes & mendici. Et poſtea venientes ad arcem ſive turrem, ipſam vi acceperunt multos trucidantes, & plures ibi invenientes de Pariſius & de S. Dionyſio in Francia & de aliis partibus Franciæ, qui cum aliis Navarrenſibus & ceteris indigenis ſe in turre viriliter defendebant, ſed tandem

violenter capti Parisius adducti sunt numero XXVIII. viri, qui Parisius venientes aliqui ibi decapitati sunt, & postea ad patibulum ducti, & aliqui Præposito sancti Dionysij redditi pari pœna similiter puniti sunt. Post hoc autem ceperunt castrum illud fortissimum, & villam *de Meullent* supra Secanam, & expugnantes turrem quæ magna erat valde, maxima mmuri partem ejus ad terram prostraverunt funditus. Et sic terram illam & patriam quæ erat Regis Navarræ in modico tempore turpiter vastaverunt, & discurrentes per patriam homines etiam viatores tam amicos quàm alios indifferenter eorum garciones spoliabant, in tantùm quòd nullus tutè poterat per partes illas ad Rothomagum accedere nec venire, satellitibus hoc patientibus qui cum Nobilibus in dictis obsidionibus residebant. Et sic Medunta quæ olim & nuper fuerat castrum & villa opulentissima & fertilis, temporibus antiquis bellicosa quàm plurimum & strenua, ut patet in gestis antiquis, cum suis habitatoribus fuit nunc tanto discrimini propter favorem quem habebat ad dictum Regem Navarræ exposita cum sua vicina, scilicet *Meullent*, & proh dolor! cum patria adjacente. Verumtamen qui eam ceperunt, Ecclesiæ quæ miro opere lapideo constructa est, nocumentum aliquale minimè contulerunt. Et hæc omnia facta sunt ad hunc finem, ut si Rex Navarræ supradictus veniret ad expugnandum partes Gallicanas & propinquas Parisius, non inveniret in dictis castris auxilium aliquod vel juvamen per quod transire posset ulteriùs ad nocendum & ne impediret cursum navium euntium Parisius de Rothomago & de Parisius Rothomagum sicut aliàs fecit, ut supradiximus in anno 58. Causa autem quare diffidaverat Regem Franciæ & Ducem Normanniæ Regentem ista erat, quia dictus Rex Navarræ dicebat se habere jus in Ducatu Burgundiæ, asserens quòd propinquior heres erat, quòd Rex Franciæ JOHANNES qui jam dictum Ducatum in possessione pacifica detinebat, & Barones Burgundiæ & tota patria illa sibi

dudum homagia fecerat tamquam vero domino de eodem, ut superiùs fuit dictum; quod tamen Rex Navarræ memoratus nunc totis viribus indebitè contradicere nitebatur. Audientes autem ista viri armorum qui ex parte Regis Navarræ erant Ebroicis, timentes ne Gallici ad dictam civitatem simili modo accederent, & castrum seu fortalitium expugnarent, statim totam villam ut esset ad defensionem fortior aptaverunt.

Istis temporibus deletus est dominus ENGEBERTUS dominus *de Anguien* versùs Brebantiam apud Ducem ALBERTUM, filium quondam LUDOVICI Ducis Bavariæ, qui olim usurpaverat Imperium contra voluntatem Ecclesiæ, locum tenentem pro patre suo Comite Hanoniæ in illis partibus Hanoniensibus; quòd dictus dominus *de Anguien* nobilis Princeps & satis strenuus Miles conspiraverat aliquas proditiones contra terram & Comitatum Hanoniæ; qua de causa dictus Dux Albertus cepit eum nocte in Beyuzensi juxta Valentianas ad tres leucas, & in castro ibidem capite truncatus est sine judicio & sine mora multa; qua de causa timuerunt multi de partibus illis ne multa mala orirentur supra patriam illam in futurum, quia de magno genere & nobili erat ille dominus memoratus in partibus remotis.

Isto anno satis citò post Pascha, scilicet octava die Aprilis vel decima obiit & migravit à sæculo in Anglia inclytus Princeps & nobilis Rex Franciæ JOHANNES bonæ memoriæ, & flevit eum plurimùm Rex Angliæ EDUARDUS, & tota Anglia similiter cum Regina & liberis dicti Regis Angliæ & aliis Nobilibus dicti Regni, assumptis pro eo lugubribus vestimentis: qui quidem Rex Angliæ fecit sibi in Anglia nobiles exequias & magnificas ac sumptuosas valde in Ecclesia sancti Pauli Londoniarum, offerens pro eo equos multos insignitos armis Franciæ à summo usque deorsum cum equitibus simili modo, & nihilominùs quatuor millia torticia, ut referebant illi qui interfuerant,

quodlibet torticium de duodecim pedibus in altitudine, & quatuor millia cereorum, quilibet cereus de ſex libris ceræ. Et expletis illis nobilibus exequiis funeris conduxerunt corpus Regis exanime uſque ad littora maris; & vale dicto toti familiæ dicti defuncti Regis, & eam totam cum dicto Rege defuncto remittentes cum lacrymis ad propria ſunt reverſi, reducentes tamen ſecum apud Londonias omnes obſides de Francia, qui jam ibi aderant antequam dictus Rex Franciæ ſecundariò ad Angliam transfretaret: & delatum eſt corpus primò ad Eccleſiam Monialium ſancti Antonij extra Pariſius, deinde ad Eccleſiam Beatæ MARIÆ Pariſienſis cum ſolemnitate maxima totius Cleri tam de Univerſitate Pariſienſi quàm de aliis, atque populi infiniti præſentibus multis Prælatis & Baronibus ac Nobilibus aliis, præſente etiam Rege Cypri aſſociante dominos tres filios dicti Regis defuncti, videlicet dominum CAROLUM ejus primogenitum, & alios fratres ejus Dominicâ infra Octabas Aſcenſionis, quæ fuit vigilia Beati Johannis ante Portam Latinam. Deinde in craſtinum celebratis ſolemnibus exequiis cum vigiliarum & devotis officiis Miſſarum, deportatum eſt dictum corpus præfati Regis cum comitiva prædicta ad Eccleſiam beati Dionyſij in Francia, & ibidem cum magna ſolemnitate in craſtino ſancti Johannis ante Portam Latinam traditum eſt Eccleſiaſticæ ſepulturæ prope majus altare Eccleſiæ Monachorum, ubi requieſcit cum pluribus in ſpelunca ex lapidibus decenter aptata, in qua ſpelunca dum aperiebatur ad præparandum inventi ſunt annuli adornati ex gemmis magni valoris & corona una aurea non modici pretij, ſed tamen ibi nulla oſſa ſunt reperta.

Sepulto igitur Rege Franciæ JOHANNE in ſancto Dionyſio, ut dictum eſt, regnavit dominus CAROLUS primogenitus ejus qui tunc erat Normanniæ Dux & Delphinus Viennæ, & in feſto ſanctæ Trinitatis dominus Rex Carolus unà cum JOHANNA de

Borbonio uxore ſua ſuſcepit Sacramenta de manu Archiepiſcopi Remenſis Johanne *de Craon*, ſimiliter & coronam & ſanctam unctionem anno ſupradicto apud Remis. Accidit autem quòd dum ipſe dominus CAROLUS Delphinus ratione Delphinatus Viennæ ad eum pertinentis erat Remis pro ſua coronatione & ſacra unctione, in feſto ſanctæ Trinitatis anno 1364. ut ſuperiùs diximus obtinenda, CAROLUS de Ebroïcis Rex Navarræ; de quo etiam ſuperiùs diximus ſatis, qui jamdudum Regem prædictum ante ſuam coronationem diffidaverat, audiens in partibus Navarræ quòd BERTRANDUS *de Claquin* acceperat ex parte Regis Franciæ villam ſuam Meduntam atque *Meulent*, vt ſupra narratum eſt, & eas poſuerat in manibus dicti Regis Franciæ dum adhuc erat Regens, doluit de hoc, & admirans dictus Rex Navarræ & volens dictas ſuas villas recuperare, celeriter juxta poſſe volens etiam defendere dictam terram ſuam apud Ebroïcas & in confinio adjacentem, miſit ad partes illas Ebroïcenſes magnum exercitum tam de Vaſconibus ſtipendiariis quàm etiam de Navarrenſibus viris ſuis, inter quos pro parte ſua erat Capitaneus dicti exercitus quidam Miles Vaſco vir nobilis & ſtrenuus in armis valde vocatus *Caſtal de beuf* * cum multis aliis Militibus & aliorum armatorum multitudine copioſa, & cum multis aliis Capitaneis qui aliquas partes maris deſcendentes & ſpecialiter in Neuſtria, caſtra quamplurima & fortalitia ceperunt, ea viriliter occupantes. Tandem veniens dictus Capitaneus *Caſtal* cum multis prædictis uſque ad portas Ebroïcenſes intravit civitatem Ebroïcenſem, in qua erat magna multitudo Navarrorum, qui eam pro domino ſuo Rege Navarræ in manibus ſuis detinebant, & eam contra Gallicos viriliter defendebant. Qui quidem dictum *Caſtal de beuf* lætiſſimè ſuſceperunt. Audiens autem Rex Franciæ adventum dictorum miſit eis obviam Comitem Autiſſiodorenſem, & BERTRANDUM *de Claquin* ſu-

* *Capital de Buch*

prædictum, qui ducentes secum magnam multitudinem Britonum & aliarum nationum ad debellandum contra illos Vascones & Navarros, campum & diem dimicandi multis verbis ad invicem habitis statuerunt, ut factum est die assignata, scilicet die Jovis infra Octabas Pentecostes, in campo ad pugnandum in loco qui dicitur ad Crucem sancti Laufridi ex utraque parte animosè convenerunt, & inito bello acriter pugnatum est, Vasconibus cum Navarrensibus nostros Gallicos & Britones viriliter invadendo, qui se nihilominus eis fortiter cum lanceis, gladiis, arcubus & sagittis modis similiter defendebant, & hoc pedester* & non in equis. Gens verò illa Vasconum cum Navarris & aliis multis de Normannia, qui de dominio Regis Navarræ aderant, densitate sui exercitus quasi impenetrabilis velut murus primò nostrorum Francorum & Britonum impetus viriliter repulit, & multos de nostris interfecit & lethaliter vulneravit: unde ibi ceciderunt de Francis dominus *d'Annequin* Miles strenuus Picardus, qui erat Magister balistariorum Franciæ, dominus Vicecomes de Bellomonte in Andegavia, dominus de Lantecuria de *Caux*, dominus *de Villequier* qui erat Capitaneus de *Caudebec* cum multis aliis Nobilibus quos ignoro. Videns autem dominus Bertrandus *de Claquin*, qui erat unus de Capitaneis Gallicorum, quòd tanta densitas armatorum Vasconum & Navarrorum cum suis non poterat à Gallicis finaliter penetrari, & per consequens nec superari, cautelam ut vir in armis edoctus apud se cogitavit, unde à bello se aliqualiter subtrahens una cum paucis de suis Britonibus equum armatus ascendit, & à tergo alios viriliter invadens totam illam Phalangem Vasconum & Navarrorum penetravit, Comite Autissiodorensi una cum suis Gallicis contra alios nihilominus dimicante: quibus Vasconibus & aliis de eorum parte aliquantulum sparsis, fuit ibi durissimè & acriter pugnatum multis ex utraque parte occisis & lethaliter sauciatis, sed plus

*l. pestres

de parte Vaſconum & Navarrorum quàm de Gallicis; unde ex parte Vaſconum & ſuorum occiſi ſunt in bello illo, primò JOHANNES *Ioel* Capitaneus *de Roleboiſe* & multorum aliorum fortalitiorum, qui ſe dicebat jactando eſſe Ducem Normanniæ. Item Vaſco *de Mareul* vir valde robuſtus & agilis. JACOBUS *Plantain* Anglicus; item dominus de Sarkanvilla Normannus ibidem captus fuit, cujus conſilio Rex Navarræ contra Regem Franciæ ut in pluribus utebatur, & qui fecerat in partibus Normanniæ multa mala; & ipſe poſtea ſic captus ductus fuit Rothomagum & ibidem in communi theatro civitatis coram cunctis capite truncatus, cujus caput eſt virga ibidem affixum, cunctis cernentibus uſque in hodiernum diem. Cùm ergo vidiſſent Vaſcones & Navarri multos de ſuis interemptos, & Francos & Britones quaſi indefeſſos in ſuos acriter inſævire, & ſtrage ſuorum jam facta valde magna, ſtatim ſe fugæ præſidio magis quàm armorum beneficio ſalvare procurarunt, ſed circumſtantium noſtrorum occurſibus & eorum infeſtationibus impediti longè fugam omnes evadere nequiverunt, quinimmo quaſi illa ſocietas Vaſconum & aliorum in majori parte tam de Capitaneis quàm de aliis fuit aut gladiis detruncata aut impreſſione Gallicorum & Britonum reddita, ipſorum tamen ſalva vita, inter quos dominus *Caſtal de beuf* eorum Capitaneus principalis Vaſco, cum aliis multis Capitaneis de parte Navarrorum qui mortem evaſerunt, ſe BERTRANDO *de Claquin* reddidit priſonarium captivatum: qui quidem *Caſtal de beuf* ſic captus pro aliquibus aliis Capitaneis correſpondens, quia ſolemnis Baro erat, incontinenti apud Rothomagum priſonarius adductus eſt, ut dominus CAROLUS novus Rex Franciæ quando reverſus eſſet de Remis de ſacra unctione & coronatione, de eo ſecundùm beneplacitum ſuum ordinaret. Sic igitur illo bello taliter victo, & per Gallicos & Britones de iſtis Vaſconibus & Navarrenſibus ibidem triumphato, magnum gaudium

gaudium & tripudium in cordibus hominum per Franciam subortum est laudantium Dominum, qui suos adjuvat quando placet : nam revera si nostri succubuissent & alij triumphassent, multa mala, pericula & damna per partes Franciæ ex impetu aliorum accrevissent ex eorum superbia nimia atque fastu.

Istis temporibus multæ victoriæ & multa particularia contra Navarrenses in diœcesi Constantiensi ratione Regis Navarræ per Normannos, & per Nobiles & cives patriæ commissa sunt ex parte Regis Franciæ & mandato, de quibus bellis & victoriis particularibus hîc non facio mentionem, sed tantùm dico & scio quòd nec ibidem nec alibi, utputà in Andegavia, Turonia, Cenomania, Belcia & prope Aurelianis & in confinibus dictarum regionum usque prope Parisius, non erat patria ulla à prædonibus & latronibus vacuata, quinimmo ubique tot erant, tam in pluribus fortalitiis per eos occupatis quàm etiam per villulas atque villas, quòd non poterant homines & mercatores sine dispendio & periculo per itinera proficisci. Verumtamen amici qui debebant nostros rurales & viatores defendere, omnes ad prædas & spoliandos homines itinerantes indifferenter & turpiter, proh dolor! intendebant; & similiter in Burgundia & versùs illas partes. Et hoc faciebant simili modo aliqui Milites tenentes secum brigantes, qui tantùm se amicos Regis & Majestatis Regiæ ficto modo, ut dicitur, prætendebant, quorum nomina hîc scribere non intendo. Et quod plus est admirandum, quando ad civitates, utputà Parisius & alibi declinabant, optimè prætendebantur & cognoscebantur ab omnibus, nihilominùs tamen in eis ultrix manus non intendebat: nam una nocte audivi quòd Parisius in suburbio S. Germani de Pratis, dum dormirent homines, attentarunt aliqui prædones, qui tunc Parisius cum dominis suis erant, aliqua hospitia & eorum bona furtivè deprædari, qui percepti atque violenter capti & in Castelleto positi, excusati tandem velut innocentes absque

aliqua pœna redditi sunt liberati, & ita ex facilitate veniæ incentiuum habuerunt unà cum aliis ad ampliùs delinquendum.

Habitâ victoriâ supradictâ dominus Rex Franciæ post ejus reversionem à coronatione sua facta Remis, & auditis rumoribus de victoria hujusmodi facta per dominum BERTRANDUM *de Claquin* supradictum, & dictum Comitem Autissiodorensem, dedit liberaliter dicto domino Bertrando modo magnifico, cui laus victoriæ acclamatur, totum Comitatum de Longavilla Rothomagensis diœcesis in Caleto; qui quidem olim fuerat domini Philippi de Navarra & nunc spectabat ad Regem Navarræ fratrem ejus. Qui quidem BERTRANDUS possessione dicti Comitatus accepta in recessu promisit Regi Franciæ, quòd omnes inimicos Regni prædones & latrones de partibus expelleret vi armorum, sed revera non fecit, sed sui Britones in reversione veniendo de Rothomago quidquid in villagiis reperire poterant & in viis, totum rapiebant, tam pecunias quàm vestes, equos, oves, boves, bestias & jumenta. Diebus istis Navarrenses, qui civitatem Ebroicensem pro suo domino Rege Navarræ detinebant, multis victualibus munierunt & castrum similiter fortificantes, & ne damnum propter aliqua fortalitia sustinerent, Ecclesias & domos Fratrum Prædicatorum & Minorum penitus subverterunt, eis pauca tuguria relinquentes. Et sic semper quasi continuè mala malis, proh dolor! per patriam addebant. Rege igitur Francorum CAROLO cognomento Delphino Viennæ, quem Delphinatum dominus HUMBERTUS quondam naturalis Delphinus Viennæ, & dicti domini ex affinitate domini Philippi avi dicti Caroli Regis Franciæ, de consensu Baronum contulerat, quia sine liberis, & quia dominus HUMBERTUS effectus fuerat Frater Prædicator, licet ibi non diu stetisset, quia postea Patriarcha Alexandrinus & Archiepiscopus Remensis per modum commendæ factus, habitu Prædicatorum derelicto, & dictum Carolum

quasi in filium adoptato; & ideò Delphinus sic vocatus est. Remeato verò de Remis CAROLO accessit Parisius & ibi cum maxima solemnitate receptus est, & post hæc Rothomagum satis citò accessit, ubi simili modo cum magno honore à Normannis & omnibus civibus est receptus circa festum S. Barnabæ Apostoli. Deinde Parisius est reversus; post cujus reversionem decapitatus est dominus de Sarkanvilla, de quo jam supradictum est, & similiter eodem tempore fuit captus & decapitatus Ambianis *Kieret* indigena Canonicus Ecclesiæ Ambianensis, quia multùm fecerat pro Rege Navarræ contra Regem Franciæ; & non redditus est Ecclesiasticæ Curiæ, quia Ecclesia cum lentè & quasi non curando requirebat, quoniam odibilis erat Ecclesiæ tamquam vir armorum & in pluribus malefactor, verumtamen si eum efficaciter requisisset, non est dubium quin eum Justitia Regia faciliter eis reddidisset; sed Dominus, ut videtur, exigentibus suis demeritis, sic eum puniri per manus hominum sæcularium finaliter dereliquit.

Post hæc isto anno scilicet 1364. magna guerra orta est inter Comitem Flandriæ cum domino novo *de Anguien* & suis ex parte una, & Comitem Hanoniæ seu regentem Comitatum ex altera parte, scilicet Ducem ALBERTUM quondam filium Ludovici Ducis Bavariæ, qui suo tempore pro Imperatore se gerebat indebitè & gesserat. Causa hujus guerræ fuit propter mortem domini principalis *de Anguien*, quem, ut dixi, dominus Dux ALBERTUS decapitari fecerat apud *le Quesnoy* sine forma judicij sive legis, unde Flammingi & alij amici dicti domini mortui intrantes Hanoniam isto anno multa mala fecerunt in diversis partibus, plures villas & Ecclesias devastantes flebiliter; propter quod tota terra multùm timuit & doluit & multus populus, ac Monasteria dimissis locis propriis ad loca fortiora & villas clausas cum bonis suis, uxoribus ac liberis se salvantes attoniti confugerunt. Crematæ autem fuerunt per Flammingos in Hanonia temporibus

1364.

illis multæ villæ, utputà *Soinguier*, *Havrech*, & aliæ quamplures, & ut guerra & defensio pro pecunia haberetur, voluit Dux ALBERTUS Regens patriam Hanoniæ pro Comite GUILLERMO fratre suo, qui infatuatus jacebat in villa *de Quesnoy*, facere impositiones in populo ad modum Franciæ, & gabellas super vina & alias mercantias; sed villa Valentiana hoc noluit concordare pro toto posse domini supradicti; quinimmo ipsa villa toto conamine restitit ne fieret hujusmodi insolita exactio quoquo modo: & quia sic refutavit & restitit sicut principalior inter omnes, ideò ceteræ villæ prædictæ patriæ Hanoniæ eidem castro sive villæ Valentianæ modo simili facere tallias denegarunt: quæ quidem denegatio magnam indignationem in animo dicti Principis generavit. Obtulerunt tamen dictæ villæ omnes se juxta suas facultates, dummodò Ecclesiæ & Milites ac Nobiles sic facerent, velle contribuere ad præsidium guerræ & defensionem patriæ liberè omni hora. Dux autem ALBERTUS videns quòd ad impositiones & exactiones ac gabellas secundùm suum velle assentire non vellent, indignationem contra eos concepit satis magnam, de qua cives Valentianæ & aliarum villarum modicùm turbabantur. Dicebant enim intra se: Si fecerimus sicut nunc fit Parisius & alibi per Franciam, servi erimus & perditi, & postea in magna parte qui lanificium frequentant à patria ista recedent & ad alias partes se transferrent indilatè, & forsitan tales exactiones in perpetuum non cessabunt. Sed quid de guerra illa actum fuerit, usque adhuc finaliter non est notum.

Regnante igitur domino CAROLO Delphino in Francia eodem anno 1364. accidit in Britannia minori lamentabile bellum, licet Deo volente dictum bellum finis fuit, ut credimus, in illa patria guerræ & initium bonæ pacis, juxta illud proverbium: *Finis belli pax.* Nam dominus CAROLUS de Blesis, qui se gerebat Ducem Britanniæ ratione uxoris suæ de qua & de quo

ſatis dictum eſt ſuperiùs, & JOHANNES de Monteforti, qui etiam dicebat dictum Ducatum ſibi deberi ratione patris ſui, de quibus etiam ſuperiùs fuit dictum, tractatus plurimos habuerunt, de quibus nolo hîc facere mentionem, quia errare poſſem deſcriptione veridica, quod non vellem. Igitur non valentes dictæ partes ſeu domini pacis tractatum finaliter inter ſe invenire, campale bellum contra ſe invicem ad pugnandum mutuò ſtatuerunt. Et factum eſt ut in feſto ſancti Michaëlis menſe Septembri accedentes apud *Alrey* caſtrum in Britannia Venetenſis diœceſis, in campo magno prope dictum caſtrum aciebus ordinatis in multitudine gravi Nobilium & armatorum ex utraque parte ſe invadentium acriter pugnatum eſt. In bello hoc ex parte CAROLI de Bleſis bellatoris nobilis, qui ibidem præſens erat, adſtiterunt pugnantes tam de Francia quàm de Britannia Nobiles multi valde, & ex parte JOHANNIS de Monteforti alia multitudo tam Britonum quàm Anglicorum in numero ſatis magno. Ambabus igitur partibus cum ſuis duriter pugnantibus, ſicut Domino placuit, in cujus manibus omnia ſunt poſita, pars ſeu acies Johannis de Monteforti prævaluit & alios ſuperavit illa vice campum obtinens. In hoc autem bello cecidit CAROLUS de Bleſis, proh dolor! morti datus vir inclytus, Nobilis & ſtrenuus, ac dulcis, affabilis & formoſus, & cum hoc ſimiliter obiit in hoc bello frater Comitis Autiſſiodorenſis Miles generoſus. Item dominus GUILLERMUS de Rupeforti in Britannia Gallicana, & alij multi Milites & Nobiles quamplurimi, & alij bellatores uſque ad numerum ſeptingentorum ſeptuaginta pugnantium, qui omnes in illo bello & campo mortui jacuerunt, & alia duo millia lethaliter percuſſi vulneribus fuerunt ad hoſpitia deportati; & nihilominùs fuerunt in dicto bello capti de parte ſuccumbente Comes Autiſſiodorenſis, Comes de Joignyaco, BERTRANDUS *de Claquin* Miles ſtrenuus, & cum eis

ſive, Aulroy

Nobiles plurimi se aliis reddentes, qui postea cum maximis pecuniis finaliter redemerunt. De fugitivis autem hîc me intromittere non est cura, quia de talibus non sum informatus plenariè. Sic igitur mortuo præfato CAROLO de Blesis bellatore nobili ac Milite gratissimo, corpus ejus apud Quincampum in partibus illis Britannicis cum multis fletibus & gemitibus delatum est, & ibidem in Ecclesia Fratrum Minorum traditum est honorabili sepulturæ. Audiens autem ejus casum seu necem uxor sua domina JOHANNA de Britannia, ratione cujus Ducatum dicebat se justè possidere, quæ tunc Nannetis residebat, quantùm doluit quantísve anxietatibus & inenarrabilibus gemitibus & lacrymosis suspiriis cruciata tunc fuit, non est mihi possibile ad plenum veraciter enarrare. Sed quid actum est circa ipsam? statim auditis illis rumoribus dolorosis castro Nanetensi derelicto unà cum parvulo ejus filio ad civitatem Andegavensem cum pauca familia ne perciperetur accessit, ubi ejus filia quæ Ducem Andegavensem, filium scilicet quondam Regis Franciæ JOHANNIS desponsaverat, in castro Andegavensi sæpius moratur. Conflictu igitur prædicto expleto & victoriâ habitâ, dictus JOHANNES de Monteforti victor per Britanniam ad diversa loca potenter equitavit, & diversa castra in partibus illis viriliter oppugnavit quæ sibi rebellaverant aliquando, & obtinuit munitiones plures, eas sibi subjiciens & ejiciens rebellantes, Tandem venit Nanetis cum multitudine armatorum ad expugnandum civitatem, quæ quidem muris, fossatis, turribus & aliis defensionibus erat gratissimè atque fortissimè præmunita. Verumtamen turris illa nobilis atque fortis *de Pilleuril*, quæ in principio pontis versùs nemus est supra Ligerim situata, jam erat à suis occupata subtiliter atque capta & suburbia juxta turrem, unà cum Ecclesia ubi sunt Monachi aliqui pro Prioratu, destructa & à flamma voraci concremata. Actum est dum dominus JOHANNES de

Monteforti ibi erat & partes illas ac fortalitia peragrabat, Rex Franciæ misit illuc solemnes Ambassiatores, utputà dominum JOHANNEM *de Craon* tunc Remensem Archiepiscopum, & alios Nobiles satis magnos, qui unà cum Baronibus illius patriæ pro pace tractanda inter dominum JOHANNEM de Monteforti & Relictam quondam dicti defuncti CAROLI de Blesis, quæ se adhuc pro Ducissa Britanniæ gerebat, & tractando interponerent vices suas; unde volente Domino qui terræ illi & populo Britannico per tot annos de guerris & spoliis & aliis miseriis afflicto compati voluit, & de pace & quiete de cetero providere, pax bona intervenientibus personis supradictis, & interjectis matrimoniis de ambarum partium liberis, aliis pactis factis ibidem, cum magno gaudio est firmata. Sícque Ducatus totus & Comitatus Nanetensis dicto domino JOHANNI de Monteforti debuit remanere, & Dux in perpetuum appellari. Terræ autem quæ de patrimonio dictæ dominæ contingebant, eidem dominæ remanebant, sicut est *Pontevre*, & nihilominùs super dictum Ducatum dicta domina debebat percipere omni anno quatuordecim millia librarum, & ulteriùs Vicecomitatus Lemovicensis debebatur uni de suis liberis, qui debebat alteri libero cum sorore dicti Johannis de Monteforti, utputà filius unius cum sorore alterius matrimonio copulari. Et sic fuit pax firmata in patria illa, laus Deo, & dictus JOHANNES Dux effectus Britanniæ, & cum gaudio visus ab omnibus, receptus per civitates & castella, & ambulavit per patriam sua homagia à Nobilibus suscipiens, & inimicos ac latrones à fortalitiis ejiciens viriliter & oppugnans; & sic Ducatum Britanniæ obtinuit, quod non potuit facere pater ejus dum vivebat, dominus JOHANNES Comes Montisfortis in Francia, frater quondam domini JOHANNIS Ducis Britanniæ defuncti, licet tamen Rex Angliæ EDUARDUS ad ejus auxilium ad dictas partes Britanniæ manu valida

pertranſiſſet, iſto JOHANNE moderno adhuc puerulo exeunte, de quibus auxiliis & geſtis ſatis eſt dictum in capitulo de anno 1341. & 1342. Utrùm autem dicta pacta atque pax durare debeant & teneri ab aliquibus dubitatur, qui dicunt dictam dominam relictam CAROLI de Bleſis defuncti fuiſſe malè conſultam & ſeductam, & quod dicta pacta & per conſequens pax prædicta ab aliis forſitan caſſabuntur vel poterunt retractari, & major guerra quàm antea, ut dubitatur, iterum orirетur. Hoc autem avertat Dominus omnipotens & Rex pacis. Quid autem de hoc acciderit, forſitan videbitur & narrabitur in futurum & ſcribetur, ſi vixero, conſequenter.

Eodem anno magna diſſenſio mota eſt inter populares ſeu nimis potentes civitatis Tornacenſis ex una parte, & inter magis potentes ſeu groſſiores ex alia parte & etiam ditiores dictæ urbis & burgenſes, quia populares conſentire nolebant ad gabellas & exactiones magnas ſuper mercantias appoſitas per dominum Regem Franciæ propter guerras. Dicebant enim populares quòd dicti divites ſeu burgenſes ideò ad prædicta conſentiebant, quòd illas impoſitiones & gabellas levaverant aliàs & levabant, & eas pretio accenſebant, & quòd de eis minùs quàm alij ſolvebant, ita quòd populares oppreſſos propter conſenſum talium reputabant quamplurimùm, easpropter eas perſoluere recuſabant omnimodè: unde propter hujuſmodi diſſenſionem lethalis guerra niſi Deus & alij ſapientes appoſuiſſent remedium citiùs inſurgebat; nam populares ad arma currebant & ad phalam * accedentes campanas ad vocandum civitatem per plures dies & noctes inceſſanter pulſaverunt armati, ut ribaldi per plateas diſcurrentes vagi & ad mala proni nullum opus mechanicum peragentes, ſed in foro ſeu theatro nocte diéque per plura temporis ſpatia armis protecti debaccantes ſteterunt, quorum propter furiam plures burgenſes notabiles fugerunt ne ab eis multarentur, & alij in domibus ſuis

* *Gal.* Beffioy

ſuis ſub ſilentio latuerunt, atque alij plures ab urbe dubitantes ſimiliter ad tempus ſe ſapienter & tutiùs ſubtraxerunt. Et ſic illæ impoſitiones & gabellæ propter popularium dictæ urbis ineptam reſiſtentiam pro illo tempore penitus ceſſaverunt: ſcripſerunt enim domino Regi Franciæ ambæ partes & nuntios tranſmiſerunt ſuas rationes motiva fortiter oſtendendo, quibus conſideratis dominus Rex & Conſilium dimiſſis dictis impoſitionibus uſque ad tempus, ambas partes ad invicem mitigandas atque pacificandas per prudentes homines citiùs ordinavit, dans eis & aſſignans pro gubernatore dictæ civitatis quemdam Militem ſapientem & in armis ſtrenuum, videlicet dominum EDUARDUM *de Renty* Picardum, qui eos prudenter ex parte Regis & pacificè gubernavit, diſſimulando multa de factis eorum, & popularibus conſentiendo in pluribus propter pacis bonum. Anno Domini 1365. inchoando in Paſchate more Franciæ, quod quidem Paſcha fuit XIII. die menſis Aprilis, tempore Paſchali receſſerunt prædones de turre quæ dicitur *Rouleboiſe* pecuniâ eis datâ. Erat autem illa turris ad duas leucas de Medunta, in via inter Meduntam & Vernonem prope Roigniacum in monte ſuper fluvium Secanæ, & illam tenuerant pauci homines valde cum una muliere annis, ut dicebatur, ſex vel decem, & eam ita fortiter defenſabant, licet plures inſultus habuiſſent contra ſe à Rothomagenſibus & ab aliis de patria, tamen capi non poterat dicta turris, quia alta nimis erat & quaſi inexpugnabilis habebatur. De illa igitur, ſicut ſuperiùs dictum eſt, multa mala accidebant, quia nullus poterat tranſire per vias illas, ſed neque per Secanam, quin ab illis qui eam tenebant damna plurima ſuſtineret. Illis igitur recedentibus, receptis pecuniis ut dictum eſt, dicta turris demolita eſt à populo illius patriæ volente Rege funditus & deſtructa ad finem, ne maligni homines ibidem ampliùs ſe ponerent ad nocendum; & ut dicebatur dicta turris tan-

1365.

tæ ſpiſſitudinis erat in muro, quòd vix poterat ab hominibus fortiſſimis cum malleis ferreis per magna tempora demoliri; nam ſpiſſitudo ejus ultra novem pedes cum cimento fortiſſimo colligatis lapidibus fortiſſimis excedebat. Erat etiam dicta turris ſicut ſæpiùs vidi miræ altitudinis ſuperiùs elevata, & nunc parva jacet in terris humilis & proſtrata.

Eodem tempore caſtrum *de Meulent* totum fortalitium & quaſi tota villa, quæ olim fuerat opulenta, clauſa muris fortiſſimis & foſſatis fuit ſimiliter à Gallicis cum turre nobili forte & quadrata atque alta valde funditus deſtructa & vaſtata; ſpectabat enim ad Regem Navarræ, ut Medunta, & tunc durabat guerra inter ambos Reges, ſcilicet CAROLUM Regem franciæ & CAROLUM de Ebroïcis Regem Navarræ, de quo ſuperiùs ſatis fuit dictum: dicta villa & caſtrum ſpectabat ad dictum Regem Navaræ ratione Comitatus Ebroïcenſis, unde fuerat oriundus dominus & nativus. Erat autem dicta villa ſupra Secanam locus ſeu vicus pulcher & amœnus valde & quamplurimùm opulentus, habens unum ſolemnem Prioratum in ejus inſula, ſpectantem ad Beccenſe Monaſterium, & ſimiliter pontem ſupra Secanam qui adhuc firmis lapidibus & ſolidis factus & utiliter conſtructus, & etiam eſt & erat locus fertilis, ornatus multis vineis & aliis bonis, & pro navigantibus & itinerantibus retinendis die noctúque neceſſarius & utilis ultra modum, & per Dei gratiam adhuc erit.

Tempore & anno iſto Miles ille cognominatus Archipreſbyter, de quo aliàs fuit dictum, audiens quòd pax tractabatur inter Reges Franciæ & Navarræ, dimiſſis partibus Gallicanis, ubi gens ſua multas deprædationes fecerat guerra durante ſub umbra victus habendi, quia Regi Franciæ adhæſerat, tranſivit versùs partes Lotharingiæ & cum eis vel pòſt magna copia Britonum & aliorum prædonum, qui tranſiens per Comitatum Campaniæ totam illam patriam per villas rurales non fortificatas & per itinera tam

mercatores quàm alias rapidè ſpoliabant, equos, pecunias veſtes hominum & ſupellectilia, per domos & per rura ut poterant victualia deprædantes: tandem Ducatum Barrenſem, qui ante pauca tempora Comitatus dicebatur, adjunctis ſibi aliis ſocietatibus prædonum ſubintravit, & ſimiliter Ducatum Lotharingiæ, & finaliter circa partes Virdunenſes & ultra uſque Metis civitatem opulentiſſimam, ſe ipſos liberè tranſtulerunt patriam ſpoliando, & eam quamplurimum devaſtando. Acceſſerat autem illis diebus CAROLUS Imperator Romanus, qui erat Rex Boëmiæ, Miles inclytus, obediens Eccleſiæ & vir Eccleſiaſticus & fidelis ad curiam Romanam in Avinione ad Domnum Papam URBANUM quintum, & illuc ſimiliter convenerunt Nobiles quamplurimi vocati, ut dicitur, per Domnum noſtrum Papam tam de Alemannia quàm de partibus alienis; de Francia autem miſſi fuerunt ex parte domini CAROLI Regis Franciæ Dux Andegavenſis frater ejus, & alij Barones & Prælati, inter quos erat dominus GUILLERMUS de Melduno Senonenſis Archiepiſcopus, & dominus GUILLERMUS *de Dormans* Cancellarius Normannorum, & alij plures ſecum. Cauſa autem hujus vocationis fuit, ut ſuccurreretur per Principes ad auxilium ferendum Chriſtianis & terræ quæ à Turcis & aliis infidelibus quamplurimùm turbabatur. Propter quod, ut dicebatur, Pariſius dum iſta ſcriberentur dominus Imperator memoratus obtulerat domno Papæ in ſuccurſum hujus decimas ſui Regni, & medietatem reddituum dicti Regni ejus capiendas pro ſtipendiariis fulciendis per tres annos, & ſuper hoc intentio domini Papæ & Imperatoris fuit illuc mittere plures Nobiles & ſolemnes ac ſtrenuos in armis, utputà Regem Cypri qui dudum propter hanc cauſam ad Curiam Romanam & ad Franciam acceſſerat, nihilominus vocare illos omnes prædones, qui in Francia ita diu ſteterant, & qui, ut dixi ſuperiùs, Lotharingiam devaſtabant, & remiſſionis be-

neficium de ſuis maleficiis ſi pæniterent impendere, & largis ſtipendiis eis datis ad dictum negocium & auxilium & defenſionem fidelium contra illos infideles & inimicos crucis Chriſti in Chriſti nomine citiùs deſtinare. Quid autem ſuper hujuſmodi facto erit, aliàs forſitan deſcribetur.

Ceterum iſto anno poſt feſtum Pentecoſtes per aliquos dies fuerunt in Francia & in Burgundia tonitrua magna & periculoſa die & nocte, nec non coruſcationes fulguris & tempeſtates, quæ per aliqua loca bladorum copiam in campis depreſſerunt, & ob hoc bladorum cariſtia invaluit & increvit, atque dicta tempeſtas multos homines & domos læſit de fulminibus & extinxit. Unde quidam homo inter Pariſius & ſanctum Dionyſium perambulans eques fulmine percuſſus interiit. In Eccleſia etiam Sanctimonialium juxta Pariſius fulgur intra Eccleſiam forti impulſu conflagrans adeò Moniales orantes, & aliquas dominas de Pariſius quæ ibi peregrè convenerant exterruit, quòd quaſi ſemivivæ ſuper terram jacentes mortuæ credebantur. Iterum in civitate Trecenſi in Eccleſia fratrum Minorum dum ipſi propter horrorem tonitruorum & fulguris Dominum deprecarentur, unus de Fratribus qui ipſa die Miſſam celebraverat, orando cum aliis à fulgure lethaliter oppreſſus ſpiritum exhalavit: Frater verò qui ſignum de campanili cum corda trahebat ſenſibiliter percepit coruſcationes atque fulgur per campanile deſcendere & per manicam latam brachij ſui, quod trahendo cordam ſublevabat, ſubtiliter ad intra ad carnem ſubintrare, in tantum quod pilos ſub aſellis combuſſit, carne tamen illæſa penitus remanente, propter quod ut debuit Dominum collaudavit; & quod mirum fuit ſoleas aliorum fratrum orantium combuſſit vel decoxit illæſis pedibus & intactis, nihilominus fulgur illud ſive fulmen Reliquiarum repoſitorium ſeu armarium ſine aliqua violentia feneſtrarum & parietis intravit, & bonos pannicu-

los ex quibus Reliquiæ involvebantur concremavit, vasculis & jocalibus Reliquiarum intactis & illæsis, nisi quod denigrata admodum remanserunt, & non apparuit foramen nec fractio aliqua per quam intraverit vel exierit ab eisdem. Campanile etiam majoris Ecclesiæ Trecensis quod erat miræ altitudinis fulgur ad terram dejecit. Porro in Burgundia in illo tempore, in villa quadam versùs Divionem fuit cum dicto tonitruo inundantia pluviarum, quòd una nubes ad modum cataractæ cæli crepuit & tantum diluvium fecit, quòd à torrentibus validissimum impetum villa illa, quæ in colle sita erat, unà cum domibus, viris plurimis, mulieribus atque infantulis in cunabulis raptu aquarum descendentium & mirabili lapsu deperiit, & ad vallem inferiùs & longiùs omnia prædicta imbrium rapacitate involuta & deducta demolitioni subdita sunt, & animantia & infantuli ac cetera viventia mortem lamentabilem aquarum voragine similiter incurrerunt. In Divione etiam muri qui oppidum circumdabant, & qui de novo propter guerrarum pericula fuerant resarciti, ex pluvialibus torrentibus & earum impulsibus abundantibus solo tenus in parte maxima collapsi sunt; sed & vineæ in aliquibus locis botris suis & racemis apparentibus licet nondum formatis tristitiam bonis potatoribus & damna earum cultoribus & suis dominis tunc temporis intulerunt. Sed certè satis citò pòst rediit serenum siccum & calidum ante & post festum beati Johannis Baptistæ & horâ bonâ, quæ alias vineas & cetera terræ nascentia copiosè & in meliùs volente Domino reparavit & caristiam temperavit. Nunc autem ad alia gesta revertamur, quæ ad laudem Dei sicut præcedentia & ad Regni Franciæ gaudium non modicum & lætitiam populi pertinent, & nihilominùs solatium & quietem.

Appropinquante festo beati Johannis Baptistæ isto anno 1365. in cujus gloriosi Præconis ortu, & ex sacro Evangelio colligitur, multi fideles & devoti tunc temporis gaudio sunt repleti: Dominus Noster 1365.

JESUS CHRISTUS compati voluit populo Gallicano, qui jam per ſpatium XXV. annorum, ut patet ex decurſu hujus libelli qui ab initio uſque huc inſpexerit, tot tribulationes, afflictiones, oppreſſiones, pericula, damna, multa mala, homicidia, exactiones, deprædationes villarum, Eccleſiarum, Monaſteriorum, caſtrorum depopulationes, mortalitates, violentias & violationes mulierum, & infinitas tribulationes quaſi continuè ſuſtinuit & paſſus eſt, & hoc propter guerrarum diſcrimina, quæ longo tempore inter Regem Franciæ immo inter duos Reges ſucceſſivè, videlicet dominum Regem PHILIPPUM de Valeſio & dominum Regem JOHANNEM filium ejus ex una parte, & ex altera parte dominum EDUARDUM Regem Angliæ & alios, inter dictos duos Reges Franciæ, & tertium ſcilicet dominum CAROLUM Delphinum Regem Franciæ poſt eos ex una parte, & dominum CAROLUM de Ebroicis Regem Navarræ ex parte altera, ſecundùm quod in ſerie hujus ſcripti ſi non in toto, tamen in aliqua parte licet ruditer declaratur, ut diximus, duraverunt: unde dominus Deus, ut dixi, videns tantas afflictiones & ita tanto temporis ſpatio jam duraſſe, triſtitiam & dolorem populi ſui voluit vertere in gaudium & ſolamen; quoniam ipſe eſt qui non deſerit finaliter ſperantes in ſua miſericordia & ejus auxilio in tempore opportuno, & vult pacem ponere in plebem ſuam. Factum itaque eſt, ut ipſo inſpirante his diebus tractatus pacis inter dictos dominos Regem Franciæ & Regem Navarræ CAROLUM de Ebroicis nominatum, quia Comes erat Ebroicenſis ratione patris ſui, & Rex Navarræ ratione matris ſuæ, fuit habitus & inceptus, & interveniente domino *Caſtal de beuf*, licet eſſet captivus Regis Franciæ, qui miſſus fuit ad dictum Regem Navarræ ſuper pace & concordia pertractanda, & revertens à dicto Rege Navarræ pacta pacis & ea quæ dictus Rex Navarræ poſtulabat Regi Franciæ & conſilio ut nuntius reportavit; quibus à Rege & Conſilio auditis

dictæ conditiones aliquibus minimè placuerunt, nec pax fuit; de quo plures populo afflicto compatientes multùm de pace non inventa, immo quamplurimùm doluerunt altiùs cogitantes. Tandem nihilominùs Dominus, qui suscitavit olim spiritum & sapientiam juvenis Danielis, inspiravit unum de dominis Consilij qui inter ceteros junior videbatur, sed non propter hoc junioris prudentiæ. Erat enim vir prudens, nobilis, honestus & pius erga pauperes & afflictos, & pia gestiens viscera, videlicet dominus LUDOVICUS Comes Stampensis de nobili & Regia stirpe & prosapia Franciæ natus & genitus, & in hospitio Regis & secum educatus. Hic videns, ut dixi, mala & pericula quæ ex hujus pacis denegatione poterant evenire, & etiam populo afflicto compatiens supplicavit domino Regi ut iteratò Consilium vocaretur, dicens quòd si nullus esset qui vellet de tractatu reinchoando proponere, ipsemet Comes propter bonum commune hoc se offerebat coram omnibus proponendum. Cui dominus Rex annuit quod fieret & concessit. Et factum est paucis diebus ante festum beati Johannis Baptistæ tempore nundinarum de *Landeto* dominus Comes Stampensis missis nuntiis apud Religiosos Parisienses ut orarent Dominum Deum pro pace habenda, convocari fecit ex parte Domini Regis & coram eo consilium iteratò; quibus congregatis dominus qui aperuit os Zachariæ Prophetæ in Natali beati Johannis Baptistæ, aperuit similiter os Comitis supradicti, qui loquens inter sapientes prudentiam ostendit quæ & quanta bona possent domino Regi & toti Regno pace facta provenire, & è contrà mala infinita quæ si non fieret in populo devenirent, & qualiter populus totus per tot & tanta tempora per tales guerras damna sustinuerit incessanter. Sic igitur Spiritus sanctus ipsum in loquendo taliter edocuit, quòd ejus consilio & precibus Rex cum suo Consilio ad bonæ pacis & tranquillitatis statum animum (laus Deo à quo omnia bona procedunt) penitus inclinavit, conditionibus interjectis quas alter

vulgò *Lendis.*

non rationabiliter videbatur petere, & quæ domino Regi & Consilio placuerunt, & quæ etiam rationabiles videbantur, videlicet inter cetera, quòd terræ quas Rex Navarræ in Normannia, scilicet in Neustria & in Constantiensi plaga, & Comitatus Ebroïcensis, exceptis Medunta & *Meullent*, sibi ut aliàs remanerent; & nihilominùs debuit habere Baroniam illam nobilem de Monte-pessulano cum dicta opulentissima villa seu castro, sed nihil in campania repetere tenebatur, nec, ut creditur, in Burgundia. De pecuniis autem quid & qualiter, hîc scribere non curavi. Igitur pace sic concessa fecerunt etiam per præcones publicè proclamari Parisius per plura compita, & in palatio Regis & in nundinis in Landeto, & hoc die quarta ante festum Johannis Baptistæ tunc nascentis ut ex his novis auditis populus in tanta festivitate Deo gratias redderet, & in gaudio & lætitia permaneret. Et revera ita fuit: Nam quantum gaudium inter populares adfuit, & quot gratiarum actiones factæ sunt apud Deum, scribere longum esset.

Sic igitur guerris in Regno Franciæ tam in Gallia quàm in Britannia per pacem sedatis, ut dictum est, territi prædones & latrones qui guerrarum tempore mala malis, damna damnis in populo cumulabant, inceperunt paulativè decrescere & minui, alias terrarum regiones requirentes vel seipsos ab infestationibus & malis suis cautiùs retrahentes, & etiam illi qui castra & fortalitia indebitè occupaverant eas in diversis locis dimiserunt, & hoc vel metu, vel pecuniis inde habitis & receptis à civitatibus propinquis vel à dominis earumdem, sed tamen sic recedentes quod ex consuetudine habuerant, scilicet deprædari, adhuc ab hujusmodi raptu per itinera & per ruralia loca non poterant abstinere; sed quid valuerunt rapinæ eorum sic exortæ? revera parum aut nihil, nam omnia in manibùs ipsorum ut nix ad solem exposita evanescere videbantur, quinimmo ad loca & urbes opulentas venientes quot vendebant debita si quæ vellent eis credere contrahebant

trahebant, pauperes & miseri tandem in oculis omnium se reddebant, verbum vulgare verum esse comprobantes, quo dicitur: *Malè acquisita disperguntur*, ita & finis talium tandem interitus & dolor, sicut finis Justorum dicitur esse in conspectu Domini pretiosus. Ergo benedictus Dominus per omnia, Amen. Verùm quia istis temporibus guerræ duraverunt, viri nobiles & quasi omnes, paucis de honestioribus exceptis, seipsos nimis in gestis & habitibus ac vestimentis deformaverant, & à modis antiquorum & proborum in talibus alienatos & alteratos se turpiter reddiderant; nam vestes strictissimas & usque ad nates decurtatas deportabant, & nihilominùs quod magis monstruosum erat, sotulares habebant in quibus rostra longissima in parte anteriori ad modum unius cornu, in longum, aliqui, alij in obliquum ut griffones habent retrò & naturaliter pro unguibus gerunt, ipsi communiter deportabant, quæ quidem rostra *Pouleanas* * Gallicè * *Poulainie.* nominabant, & quia res erat valde turpis & quasi contra procreationem naturalium membrorum circa pedes, quinimmo abusus naturæ videbatur, ideò dominus Rex Franciæ CAROLUS fecit per præcones Parisius proclamari publicè, ne aliquis quicumque esset qui auderet ampliùs talia deportare, & etiam quòd neque artifices sub magna pœna de cetero tales calceos, sed neque ocreas sic punctatas facere præsumerent nec vendere cuicumque: nam simili modo Domnus Papa URBANUS quintus in Romana Curia inhibuerat valde strictè. Sic etiam de robis brevibus & aliis dissolutionibus vestimentorum tam virorum quàm dominarum feminarum infra breve tempus mutatus est habitus. Sperent illi qui talia spernunt fore per dominos Prælatos & Principes tam in Clero quàm in laicis inspirante Domino firmiter inhibendum, & totum Regnum in melius reformandum.

Anno Domini 1366. recesserunt inimici & prædones de fortalitiis quæ in Normannia & alibi occupaverant, & iverunt versùs Hispaniam, ubi Rex Hisp- 1366.

paniæ PETRUS & frater ejus HENRICUS pro possessione Regni Hispaniæ adversùm se disceptabant: dicebat enim Henricus quòd licet dominus Petrus Regnum obtinuisset diutiùs, quòd hoc erat contra Deum & justitiam, & quòd magis ad eum scilicet Henricum pertinebat: imponebat enim illi, quòd non erat verus Regis filius defuncti, sed potiùs mutatus, & quòd erat filius Judæorum subrogatus per matrem Reginam secretè citò post partum ejus loco filiæ quam pepererat, & quòd hoc juraverunt Milites Secretarij dictæ Reginæ in morte, qui dictum filium loco filiæ rapuerant silenter à Judæis, & filiam absconderant, quia Rex juraverat se interfecturum Reginam nisi filium illa vice procrearet; & timore Regis fuit iste Petrus de Judæis secretiùs subrogatus, servatâ filiâ à Regina patre nesciente, prout dominus Henricus ei fortiter imponebat. Item objiciebat dicto Petro ipsum esse hæreticum, & quod pejus est, legi Judæorum & eis adhærentem, & legem Domini Nostri JESU CHRISTI vilipendentem & spernentem, & ob hoc secundùm Regni antiqua jura à Regno ejiciendum & penitus deponendum, & quòd alius institui debeat & eligi loco ejus, quod & factum fuit. Nam populus Hispaniæ, ut dicebatur, elegerat istum HENRICUM altero deposito atque spreto. Item dictus erat sanguine suorum sitiens atque vilis vitæ & inhonestæ, ut patuit, quia uxorem propriam de Regali Franciæ prosapia progenitam, pudicam, castam, sanctam & honestam propter unam aliam superinductam, quæ ut dicebatur Judæa erat, interfeci fecit & fine causa suffocari: de cujus morte indebita & injusta tota patria condolet & deplorat; & nihilominùs dictus Rex PETRUS per Judæos qui in maxima abundantia erant in Hispania seipsum & domum suam regebat, & totum Regnum suum per eos gubernabat. Hæc & multa alia enormia de dicto Rege Petro à pluribus dicebantur, & ob hoc Henricus frater ejus fultus auxilio multorum Baronum dicti Regni & burgensium ac Militum

dictum Regnum Hispaniæ invaserat, & se Regem de jure & pro Rege spreto Petro præferebat. Unde exorta est propter hoc magna discordia in illa patria, & guerræ non modicæ inter populares & dominos surrexerunt: quo audito à pluribus nobilibus & militaribus de Francia, Britannia, Alemannia lucra & spolia appetentes, & ut cupidi eorum more abundantiùs desiderantes illuc ad Hispaniam cucurrerunt, inter quos dominus Bertrandus *de Claquin** Miles bene strenuus cum suis, qui multo tempore modo prædonico per Franciam nuper & per Normanniam debachando patriam & rurales diutiùs spoliaverant, in magna multitudine armatorum progressus est in auxilium HENRICI qui pro Rege Hispanorum contra præfatum Regem PETRUM, ut diximus, se gerebat, & ibi multos actus strenuos in armis dictus Bertrandus cum suis Britonibus executus est, multos adversarios occidendo & Henrico subjugando, & potissimè infinitos Judæos, qui in potentia armorum Regem Petrum adjuvabant, trucidando potenter in magna potentia: qui interfecti, trucidati & effugati de illis partibus turpiter perierunt, de quibus sunt multi hodie Parisius & alibi in diversis civitatibus commorantes per usuras Christianos nostros multos subtiliter deprædantes, sed *Væ qui prædaris*; nam ut credimus & ipsi finaliter expellentur & similiter prædabuntur secundùm quod aliàs pluries visum fuit.

vulgò * *du Guesclin.*

Igitur virtute & potentia dicti Henrici & multorum de patria sibi adhærentium, & forti auxilio tam Britonum prædictorum quàm Gallicorum & aliorum, præfatus Rex PETRUS frater illius Henrici compulsus est Regnum pro tunc dimittere & fugere, non valens resistere potentiæ supradictæ. Et tunc cum paucis accessit ad Principem Valliæ primogenitum Regis Angliæ, Ducem Aquitaniæ, & Pictaviæ Comitem, qui tunc temporis in Vasconia erat in partibus Burdegalæ, petens auxilium ab eo, & ut ad recuperandum Regnum suum Hispaniæ adjuvaret ratione pro-

pinquitatis generis. Qui quidem Princeps collecta maxima multitudine armatorum tam de Anglia quàm de Vasconia, de Pictavia & Rupella in tempore hyemali anno illo isthuc ivit, ubi propter tempestates hyemis & propter imbres & frigora magnam partem de gente sua & de equis & curribus perdidit, & etiam propter penuriam victualium & defectum, ibidem etiam in quodam conflictu habito contra & inter suos & alios Hispanos cecidit in bello ejus Vexillarius scilicet GUILLERMUS *Felton* Miles strenuus & nobilis, Senescallus Pictaviæ, vir magni consilij, prudens & devotus. Eodem tempore Rex Navarræ CAROLUS de Ebroicis captus fuit à Rege, ut dicitur, Aragonum, sed postea redditus & restitutus fuit. Deinde in alio conflictu ibidem per dictum Principem EDUARDUM contra Henricum facto dominus HENRICUS à bello recessit, & BERTRANDUS *de Claquin*, qui pro dicto Henrico pugnabat captus fuit ab Anglicis cum multis Britonibus suis & aliis nobilibus & famosis: & hoc, ut dicitur, quia dictus Henricus cum suis lentè & pigrè pugnaverunt, & citò campo dimisso in fugam cum aliis remanentibus conversi sunt. Sed quia finis hujus guerræ adhuc dum ista scribebantur non erat ad partes illas Gallicanas veraciter declaratus, ad alia procedimus.

1367. Anno Domini 1367. inchoando in Paschate dominus Papa URBANUS V. postquam fuerat in Montepessulano, ubi fundaverat unum solemne Monasterium noviter Monachorum Nigrorum Ordinis S. Benedicti in honore sancti Germani, reversus ad Avinionem statim post Pascha, scilicet in mense Maij arripuit iter suum versùs Romam cum domnis Cardinalibus & tota Curia, & se transtulit in Viterbio cum maximo apparatu. Et dum ibi erat cum Cardinalibus mota est contentio inter quemdam de familia Cardinalium & unum de civibus præfatæ urbis; qua contentione invalescente, maxima pars civium & plebis dictæ urbis currentes ad arma invaserunt familiam dictorum Car-

dinalium etiam in domibus dominorum ſuorum, & conflictu inito plures de dictis familiis morte multaverunt; & in tantam rabiem & inſaniam prorupe-runt dicti cives, quòd manus ſacrilegas in perſonam unius Cardinalis violenter injeciſſent niſi ipſe præ timore citiùs fugam cautè adiiſſet; & quod magis nefandum eſt, propoſuerant, ut dicitur, Domnum Papam & Cardinales ſimiliter trucidare; ſed Deus noluit quòd tantum nefas & ſcandalum Eccleſia ſuſtineret. Videns autem hoc Domnus Papa & tantum exceſſum illorum volens meritò reprimere & punire, vocavit magnum exercitum contra illos, & tunc quamplurimis de civibus & malefactoribus illis captis & examinatis, fecit eos omnes ante domos ſuas patibulis affigi & ſuſpendi, & eorum fortalitia & muros præcepit funditus demoliri. His peractis receſſit Domnus Papa cum Cardinalibus & tota Curia, & ſe tranſtulit ad illam inclytam & famoſam urbem Romæ, & ubi eſt Sedes & Curia uſque ad hodiernum diem. Acta autem ſunt hæc iſto anno 1367.

Eodem anno in menſe Decembri in nocte ſanctæ Luciæ Virginis fuit tantus flatus ventorum & ita vehemens in partibus Flandriæ, Picardiæ, & Brabantiæ, ſicut aliàs numquam fuit viſum, & erat ventus veniens à parte maris & ſeptentrionali, & duravit per totam noctem illam, unde de venti vehementia nimia atque flatu impetuoſo multæ domus & Eccleſiæ corruerunt, & quæ non ceciderunt quia fortiores, tamen tam de tegulis quàm ſtipulis in majore ſui parte diſruptæ remanſerunt; unde multi homines & parvuli in diverſis locis dormientes in cubilibus & lectulis ex nimia domorum ſuarum & caminorum tempeſtate & caſu ac ruinâ mortui, proh dolor! & oppreſſi poſtea reperti ſunt. Sed de molendinis proſtratis qui ad ventum volvuntur magnus numerus eſt inventus; & quod mirabile fuit ex magno ventorum impulſu campanile de Eccleſia beatæ MARIÆ de Bolonia Canonicorum Regularium, quod erat pul-

crum valde nimis & forte, illa nocte corruit, & tectum chori sub eo demolivit, & ulteriùs voltas lapideas fregit ex suo casu similiter & quassavit, & nihilominùs multa alia magna campanilia alibi ventorum impulsu ceciderunt. Mare etiam Oceanum in partibus illis ex nimio flatu venti undas maris & fluctuosos scopulos adeò impulit, & ultra suos consuetos terminos in tantum excrevit & exivit, quòd multas domos & villulas quæ super littora ejus sitæ erant & aliàs securè remanentes, nunc cum dictis fluctuosis impulsibus oppressæ & inopinatè suffocatæ penitùs cum suis habitatoribus perierunt.

Eodem anno & tempore in Adventu, clientes qui vigilando de nocte civitatem pro custodia circuibant in nocte sancti Nicolai, aliquos scholares nunc pro dicto festo sancti Nicolai cantantes & jocantes violenter invaserunt etiam sine causa, & eos ultra rationem & contra libertatem privilegiorum Universitatis Parisiensis plures ex eis ad Casteletum traxerunt & plures vulneraverunt atrociter, quia se conabantur ab eis defendere: & horribile fuit, quia unum ex il. illis scholaribus ad mortem multatum in Secanæ fluvio quia prope erat & nox similiter projecerunt, nemine hoc vidente nisi ab eisdem qui flagitium perpetraverunt. Quod nefandum crimen Universitas sentiens in crastino dominum Regem CAROLUM adiit, & querimoniam gravem meritò faciens magnam emendam ab illis clientibus recepit: sed quia ille in fluvio projectus reperiri non poterat, non habuit illo tempore tunc Universitas emendam condignam juxta demerita prædictorum. Dicebatur enim quòd ad partes suas recesserat secretè, ut sic posset dici quòd ab illis clientibus fuisset forsan interfectus. Nec mirum si tunc in aqua non inveniebatur versùs illas partes propinquas, quia rapacitas & cursùs fluvij ad partes bene inferiores corpus mortuum detulerat descendendo. Tandem post aliquantorum temporum curricula ejus pulmone rupto & aquis fluvialibus diminu-

tis incepit corpus illius mortui ſuperiùs apparere, & ſic in fine civitatis versùs ultimas domos ultra habitationem & locum Fratrum Auguſtinorum Pariſienſ. eſt repertum corpus ejus; quo extracto & elevato ſepultum eſt in domo Fratum beatæ MARIÆ de Carmelo Pariſius cum honore maximo à tota Univerſitate ſolemniter & publicè ſibi facto: & tunc nova querimonia apud dominum Regem per Univerſitatem & per amicos iteratò inchoata de clientibus ſupradictis; ſed quidam ex eis fugerunt, alij capti fuerunt, & qualis juſtitia de eis facta fuerit neſcio.

Anno Domini 1368. inchoando annum in Paſchate, quod tunc fuit nona die menſis Aprilis, & cucurrit illo anno Luna per, I, hoc eſt quòd aureus numerus ſcilicet Lunæ currebat per unum. Igitur iſto tempore die Paſchæ præſenti viſa fuit cometa, id eſt ſtella comata, & jam apparuerat per plures dies in hebdomada ſancta præcedente, & duravit ejus apparitio per magnum tempus. Apparebat autem in principio noctis vel in nocte ſatis citò, & hoc in parte Septentrionali, quaſi inter partem occidentalem & Septentrionalem plagam, & hoc versùs mare Oceanum erat caput ſive ſtella illa, & projiciebat caudam ſuam comatam versùs partes Orientales, aliquando declinando ad Septentrionem, in alto tamen radios ſuos emittebat, & quaſi cuſpidem rubeam ad modum flammæ unius campanilis altiſſimi totaliter inflammati vel ardentis radios ſuos emittebat valde ſursùm; unde quando ego dictam cometam primò vidi, ex arrupto credidi quòd eſſet campanile ad longè ignitum & mirabiliter inflammatum: nam pyramidem ſeu cuſpidem rubeam ad modum flammæ ſurſum versùs cælum & versùs partes ubi tunc eram, ſcilicet Remis, emittebat, & quaſi totus populus & ſpecialiter qui excubias & vigilias noctis ſuper muros Remenſes agebant, dictam ſtellam comatam viſibiliter contemplati ſunt. Quid autem ſignificet talis apparitio ſtellæ comatæ dicit Beda, prout recitat

1368.

Frater Bartholomæus in compilatione sua, quod hîc notare curavi. Dicit enim Beda quòd cometa est quædam stella flammis circumdata repente nascens, & significat permutationem aut pestilentiam, sive bella, vel ventos, sive æstus: nescio tamen, quia tunc temporis, scilicet in isto Paschate, erat clarus aër, alioquin visa non fuisset illa cometa, sed erat tempus bene frigidùm & ventus frigidus & urens intensivè, & similiter aër totus frigidus & nocivus, & licet dicat Beda quòd semper apparet in parte Septentrionali, ita fuit de ista, tamen circa annum Domini 1340. apparuit alia cometa in parte meridionali versùs partem occidentalem, quæ emittebat radios suos versùs partes Orientales declinantes ad partes Septentrionales; quæ quidem cometa sic apparens fuit significatio magnarum tribulationum futurarum in Francia tunc temporis. Nam secutæ fuerunt pestilentiæ & mortalitates magnæ & horribiles & alia inaudita quæ anno 1348. postea inchoarunt, ut patuit universis: & deinde fuerunt guerræ horribiles, & gravamina importabilia in Francia, & occisiones, ut patuit per guerras longas per Regem Angliæ EDUADUM contra Regem Franciæ duriùs deductas, prout patet in serie hujus libelli de talibus memoriam breviter faciente, à quibus de cetero nos eripiat potentia Salvatoris, Amen. Verùm nos de eventibus & tribulationibus quæ in diversis Regni Franciæ partibus tempore apparitionis prædictæ stellæ comatæ, quæ sic isto tempore Paschali & jam antea per pauca tempora & deinceps evenerunt, sicut vidi & veraciter audivi, hæc consequenter conscribere ad futurorum memoriam dignum duxi. *

** Hîc desinit Continuatio in Ms. codice nostro.*

FINIS.